Pre-Linn
QK1
.A1857
1715
v.3-4

ACADEMIAE CAESAREO-LEOPOLDINAE CAROLINAE NATVRAE CVRIOSORVM

EPHEMERIDES

SIVE

OBSERVATIONVM MEDICO-PHYSICARVM

A

CELEBERRIMIS VIRIS

Tum Medicis, tum aliis Eruditis in Germania & extra eam communicatarum

CENTVRIA III & IV.

Cum

APPENDICE

&

Privilegio Sacr. Cæs. Majestatis.

& PUBLICA AUCTORITATE VENETI
W. G. Phyg.
ACAD
GD

NORIBERGAE,

Sumptibus WOLFGANGI MICHAHELLES.

Litteris JOAN. ERNESTI ADELBVLNERI.

ANNO M DCC XV.

Mo.Bot. Garden,
1902.

VBEIDICE

ENA

GEALABEY IH & IA°

EVLAMEIDES

WOWDEIWE

PIISSIMO AC FORTISSIMO
RECTORI ORBIS

FELICITATIS AC LAETITIAE
FVNDATORI

DOMINO SVO

CAROLO VI.
OPTIMO GLORIOSISSIMOQVE
ROMANORVM
IMPERATORI
PROVIDENTISSIMO PRINCIPI
VBIQVE VENERANDO
SEMPER AVG.

LIBERTATIS PVBLICAE
ADSERTORI

PATRI PATRIAE

REGI

GERMANIAE,

HISPANIAE, INDIARVM,

HVNGARIAE, BOHEMIAE,

CASTILIAE,

LEGIONIS, ARAGONIAE,

SICILIAE VTRIVSQVE,

HIEROSOLYMORVM, NAVARRAE,

DALMATIAE, CROATIAE,

SCLAVONIAE, BVLGARIAE,

BOSNIAE, SERVIAE,

ET

RASCIAE,

ARCHIDVCI
AVSTRIAE

DVCI

BVRGVNDIAE, BRABANTIAE,
MEDIOLANI, STIRIAE, CARINTHIAE,
CARNIOLIAE AC LVCEMBVRGI
VVIRTEMBERGAE ET VTRIVSQVE
SILESIAE,

PRINCIPI SVEVIAE,

MARCHIONI BVRGOVIAE,

MORAVIAE ET LVSATIAE,

COMITI PRINCIPALI HABSPVRGI,
TIROLIS, PFIRETARVM,
KYBVRGI ET GORITIAE,
LANDGRAVIO ALSATIAE,
COMITI FLANDRIAE,

DOMINO MARCHIAE VENEDICAE
PORTENAVIAE ET SALINARVM

HERO SVO
INDVLGENTISSIMO PARITER
ATQVE CLEMENTISSIMO,
BONO REIPVBLICAE NATO,
NOVAS EPHEMERIDVM CENTVRIAS,
RELIGIOSISSIMAE SVBIECTIONIS SVAE,
ADSIDVAEQVE SEDVLITATIS
QVALECVNQVE MONVMENTVM
VENERABVNDA SVBMITTIT,
SEQVE ADEO IPSAM
AERVMNOSIS BELLORVM CALAMITATIBVS
DIV PERCVLSAM AC PENE COLLAPSAM,
NVNC FELICI TEMPORVM REPARATIONE
ERECTAM
SVAQVE OMNIA
DEVOTISSIMO ANIMORVM CVLTV
OFFERT
SVBIECTISSIMA AETERNIS OBSEQVIIS
ACADEMIA
NATVRAE CVRIOSORVM.

MAIESTATI VESTRAE iterum, CAROLE, Caesarum Invictissime, hanc demississimae observantiae cultusque nostri, mediocris etiam in munere nobis impositio diligentiae significationem subjicimus, ut publice notum faciamus, nunquam spei jam factae de rebus nostris in melius restituendis nos fore immemores aut ingratos, sed summae VESTRAE erga omnes homines benignitatis, erga eos, qui ingenio magis, quam ceteris rebus praestare student, liberalitatis, ac reliquarum ingentium virtutum, quas dudum est, quod universus orbis stupet, praecones semper et ubique futuros. Has enim merito sane omnes, qui vivunt, laudibus concelebrant, devotione venerantur, pietatisque singulari affectu amplexantur, cum vident pacem sibi concessam, bonorum

)( )(

omnium

omnium largitricem, urbes civibus, cultum agris, vim legibus, judiciis auctoritatem redditam, ordinibusque suam dignitatem, regnis, provinciis, municipiis tranquillitatem et rerum omnium affluentiam restitutam. Quae beneficia, etsi videntur, et revera sunt maxima, aliorum tamen, eorumque plane insignium erga omnes meritorum magnitudine longo utique intervallo exsuperantur. Rerum siquidem bello ac pace gestarum splendoribus, fama prudentiae, aequitatis atque fortitudinis, maxime autem sincera erga DEVM OPT. MAX. *pietate, Domui Austriacae propria, palam est ad illud gloriae fastigium* VESTRAM MAIESTATEM *esse evectam, ad quod nullum Principem, a multis retro saeculis, neque vidimus, neque fando accepimus pervenisse. Namque cum primus inter Imperantes locus, una cum oblatione Romani Teutonicique Imperii abs Ordinibus fuisset stabilitus, strenuitate animi factum, ut hanc honoris tanti praerogativam non magis sanguini, quam spectatissimis caelestium virtutum decoribus deberi omnes agnoscant, omnes profiteantur. Narrant rerum Romanarum scriptores, Augustum, Principem divinitus*

tus ad maxima destinatum, clauso Jani templo, incredibili humanitate et clementia populis imperantem, moderationis lenitatisque fama Parthos, acerrimos Romanorum hostes, ita cepisse, ut signa militaria, quae M. Crasso et M. Antonio eripuerant, sponte quasi sua, poscenti redderent. Non est nobis dubium fore, ut conversis aliquando ad recta et justa animis, hostes Constantia et Fortitudine MAIESTATIS VESTRAE perculsi, eorum, quae detinent, iniqui possessores, traditione favorem VESTRVM, atque amicitiam sibi suisque judicaturi sint redimendam. Tot vero palmis et coronis cum speciosa cumprimis et praefulgens laureola intertexatur, singularis erga homines literatos et artium scientiarumque cultores humanitas ac indulgentia, eam omnino in fiduciam laeti ac futurorum pleni erigimur, non semper in hoc squallore, quem temporum injuria adfricuit, obhaesuram Academiam, neque nos, qui illi, pro modulo ingeniorum, ornandae operam laboresque nostros addiximus, diu opem, quae reficiat, salutarem desideraturos. Hujus igitur voti, hujus flagitationis nostrae interpretem libellum submissa veneratione

jam iterum offerimus, Caesareisque praesidiis atque auspiciis inchoatum ac digestum ad sacrum pulvinar religiosissimo obsequio deponimus, ut Augustissimo in terris Nomini honorique inscriptus atque consecratus duraturum pietatis nostrae cultusque subjectissimi extet apud posteros monumentum.

DEVM immortalem rogamus, CAROLE Principum Optime, ut quam diutissime MAIESTATEM VESTRAM salvam atque incolumem praestet, utque omnia consilia fortunet ac prosperet, et ad praefixum sibi, glorioſum Caesareis titulis, Imperio commodum atque salutarem finem dirigat, supplices, quanta possumus, maxima animorum devotissimorum sanctimonia oramus, obsecramus, obtestamur.

CATALOGVS

NOBILISSIMORVM DOMINORVM,

QVORVM OBSERVATIONES PHYSICO-MEDICAE IN HIS DVABVS CENTVRIIS LEGVNTVR.

D. D. Christianus Michaël Adolphi, Archiater Ducalis Saxo-Cizensis, & Medicus Lipsiensis, Academicus Curiosus.

D. D. Michaël Alberti, Profess. public. extraordin. Halensis, & Reipubl. Noribergensis Physicus ordinarius, Acad. Cur.

D. D. Conradus Bertholdus Behrens, S. R. M. Britannic. &c. Archiater, Academ. Cur.

D. D. Adamus Brendelius, Prof. Public. Anatom. & Botanic. in Academ. Witteberg. ordin.

D. D. Rudolphus Jacobus Camerarius, Medic. in Vniversit. Tubingensi Prof. publ. hortique academici Inspector, Academ. Cur.

D. D. Elias Camerarius, Consil. & Archiatr. Ducal. Wurtenberg. in Vniversit. Tubing. Prof. publ. Academ. Cur.

D. D. Justus Fridericus Dillenius, Prof. public. Med. in Vniversit. Gissensi, Facultat. Med. Senior. Acad. Cur.

D. Lic. Johannes Jac. Dillenius, Poliater Gissensis, Academ. Cur.

D.D. Chriſtianus Henricus Erndl, S. R. M. Poloniæ Medicus aulicus.

D.D. Michaël Erneſtus Ettmüllerus, Med. Prof. publ. in Vniv. Lipſienſi, Acad. Cur.

D.D. Guſtavus Caſimirus Gahrliep van der Müllen, S. R. M. Boruſſiæ Arch. Acad. Cur.

D.D. Johannes Adamus Genſelius, regiæ liberæ Civitatis Sopronienſis & Comitatus Caſtroferrei Medicus, Academ. Cur.

D.D. Samuel Graſſius, Sen, Phyſicus Vratislavienſis, Acad. Nat. Cur. Adjunctus.

D.D. Johannes Caſparus Grimmius, Archiater Ducalis Saxo-Iſenacenſis, & Poliater Lipſienſis, Acad. Cur.

D.D. Laurentius Heiſterus, Anat. & Chir. Prof. publ. in Vniverſ. Altorff. Acad. Cur.

D.D. Godofredus Heldius, Conſiliar. & Archiater Byrutinus, Acad. Cur.

D.D. Chriſtianus de Helvvich, Seren. Princ. Eliſabeth. Conſiliarius & Archiater, Poliater Vratisl. Acad. Cur.

D.D. Johannes Henricus Hertius, Conſiliarius & Archiater Darmſtad. Haſſiacus.

D.D. Johannes Mauritius Hoffmannus, Conſiliarius & Archiat. Onoldino - Brandenburg. & Solisbacenſis, Acad. Nat. Cur. Adjunctus.

D.D. Johannes Georgius Hoyerus, Poliater Molhuſinus, Acad. Cur.

D.D. Godofredus Klaunig, Sacr. Cæſ. Maj. & Princ. Palat. Medicus, Poliater Vratislavienſis, Acad. Cur.

D.D. Immanuel König, Med. Profeſſor publ. Baſileenſis, Acad. Cur.

D.D. Joſephus Lanzonus, Protomedicus & Profeſſor Ferrarienſis, Acad. Cur.

D.D. Hieronymus Laubius, Noſocomii regii Hafnienſis Medicus.

D.L.

D. L. Rosinus Lentilius, Consiliarius & Archiater Ducalis Wurtenbergicus & Proto - Medicus Stuttgardiensis Acad. Cur.

D. D. Michael Frideric. Lochner, Archiater et Com. Palat. Caes. Nobil. Ephem. Nat. Curios. Director, Medicus Noribergensis Senior.

D. D. Philippus Masierus, Medicus Patavinus.

D. D. Johannes David Mauchartus, Physicus Marbacensis, Academ. Cur.

D. D. Godofredus David Mayerus, Poliater Vratislaviensis, Acad. Cur.

D. D. Joh. Muraltus, Poliater & Professor Tigurinus, Acad. Cur.

D. D. Maximilianus Preussius, Protomedicus Vratislaviensis, Acad. Cur.

D. D. Vitus Riedlinus, Reipubl. Vlmensis Physicus primarius & Gymnasii Scholarcha, Acad. Nat. Cur. Adjunctus.

D. D. Jacobus Christophorus Scherbius, Physicus Episcopo-Zellensis.

D. D. Sigismundus Schmiederus, Poliater Pirna-Saxonicus, Acad. Cur.

D. D. Lucas Schröckius, Arch. & Com. Palatin. Cæsar. Nobilis, Acad. Nat. Curios. Præses, Reipubl. August. Physicus primarius.

D. D. Johannes Sermes, Medicus Amstelodamensis.

D. D. Vdalricus Staudigelius, Ord. S. Bened. Protonot. Apost. & Præpositus Senior in Päringen, Acad. Cur.

D. D. Ludovicus Testus, Medicus Venetus.

D. D. Adamus Christianus Thebesius, Practicus Hirschbergensis Siles. Acad. Cur.

D. D. Godofredus Thomasius, Collegii Medici Noribergensis, h. t. Decanus, A. N. C. Adjunctus.

D. D. Michaël Bernhardus Valentini, Med. Prof. publ. in Univers. Gissènsi, Acad. N. C. Adjunctus.

D. D.

D. D. *Antonius Vallisnerius*, primarius Medicinæ theoricæ in Patavina Vniverſ. Profeſſor, Acad. Cur.

D. D. *David Chriſtianus Valther*, Illuſtr. Comitum Schönburg. Conſil. & Archiater, Practicus Dresdenſis, Acad. Cur.

D. D. *Johannes Melchior Verdries*, Philoſ. natur. in Vniverſit. Giſſenſi Prof. publ. Acad. Cur.

D. D. *Gerardus Arnoldus de Vincquedes*, Rev. Præſulis & Principis Arduennatum Archiater, Acad. Cur.

D. D. *Johannes Georgius Volckamerus*, Medicus Noribergenſis Senior, Acad. Cur.

D. *Johannes Chriſtophorus Volckamerus*, Botanophilus Noribergenſis.

D. D. *Immanuel Weismannus*, Phyſicus Ducalis Vraco-Würtenbergicus, Acad. Cur.

OBSER-

OBSERVATIONVM PHYSICO-MEDICARVM ACADEMIÆ CÆSAREÆ LEOPOLDINO-CAROLINÆ NATVRÆ CVRIOSORVM CENTVRIÆ III.

OBSERVATIO I.

DN. D. MICHAELIS BERNARDI VALENTINI.

De

Duplici inteſtini ilei invaginatione.

CIrca finem anni MDCCXI. Filiolus Dn. Kortholti, Orat. & Poeſ. P.P. in Acad. Giſſena, torminibus abdominis acerbisſimis & vomitibus crebris obnoxius, irritis omnibus medicamentis, horrendis convulſionibus tandem denaſcitur. Cadaverculum ſectioni commiſſum inſignem primum in ventriculis cerebri lymphæ quantitatem ſuppeditabat, quam alii pro cauſa, alii pro morboso convulſionum epilepticarum

producto habebant. In medio ventre bene se habebant omnia. Quam primum vero ad infimum ventrem deveniebatur, binis in locis intromissio seu introreceptio intestini ilei (quam invaginationem alii vocant,) occurrebat, ut dubium nullum fuerit, genuinam mox passionem iliacam accessisse, si puerulus diutius in vivis permansisset, ut ut vomitus stercoreus nondum observatus fuerit.

Renes in margine crenati erant, quod ætatulæ huic est familiare.

SCHOLIVM.

INtestina aliquot hac ratione invaginata in liquore balsamico asservat Anatomicus Celeberrimus Dn. *Fredericus Ruyschius*. Vid. Ejus *Museum Anatomicum*. Sicque ad oculum apparet, intestina in passione iliaca non tam per nodum quendam convolvi, sed tumorem illic per introreceptionem formari.

OBSERVATIO II.

Dn. D. MICH. BERNARDI VALENTINI.

De

PHTHISI, diarrhœa aliisque symptomatibus, ab Atheromate Renali, indeque oborta stomachi inversione, scaturientibus.

BAro Illustris, Dn. de L. Sereniſſimi Ducis Mecklenburgensis Minister Primarius, Sverini adhuc degens, diarrhœa aliquamdiu corripitur, cui, in patriam delato ægro, arthritis vaga accedebat, contra quam Medici quidam acidularum Selterensium usum, per 4. hebdomadas continuatum, variaque edulcorantia & appropriata remedia, cumprimis autem succum lumbricorum terrestrium, Thée appropriatum præscribebant. His dolores quidem sistebantur, ast remanente quadam corporis consumptione viriumque imminutione; tempore coronationis Cæsareæ, Celeberrimus Dn. D. Brunnerus Francofurti per Medicum Ordinarium Dn. Lic. Fabritium consulebatur, qui ut aliquot ante menses curam lactis asinini per decursum 6. septimana-

manarum cum levamine, sed non totali reconvalescentia præscripserat, nunc ob colliquatos & per salivam, sudorem & urinam copiose effluentes succos nutritios (unde corporis viriumque consumptio provenire putabatur) usum lactis vaccini, cum pulv. ex antihect. Pot. ocul. ♋ & Margar. or. ℞. antiphthisica &c. suadebat, interpositis antiscorbuticis convenientibus. Licet autem appetitus suo semper in vigore permaneret, nulla tamen in corpore ejusque partibus nutritio observari poterat, quin potius tempore vespertino pedes inturnescebant & paulo mox febris quædam lenta se trudebat, contra quam laudatus antea Brunnerus Decoctum aliquod ex antifebrilibus & antiscorbuticis, destillatum antihecticum, balneum ex decocto hordei &c. commendabat. His febris nonnihil frenabatur, ita tamen, ut indies a meridie per aliquot horas lecto se addicere cogeretur. Accedebat cardialgia, quæ confortantibus in- & externe adhibitis cedebat. Reliqua antiphthisicis & analepticis ▽. ♋. decoctis & jusculis confortantibus, gelatinis CC. amygdalatis, ▽. Anglica, ♎. vol. decantato, balsamo Cellensi absolvebantur. Tandem omnibus irritis saccharum lactis suadebatur, sed in vanum pariter. Vix enim quarta ejus dosi adhibita vitam cum morte commutabat. Aperto cadavere, modo prorsus extraordinario emaciato & consumpto, præsente Professore Anat. Ord. Gissense & Medico Ord. Dn. Lic. Fabritio, observabatur situm stomachi prorsus inversum esse, ita ut orificium dextrum seu pylorus, in dextro latere alias reperibile, hic pariter in siniſtro latere conspiceretur, sicque cum orificio siniſtro, superiori vulgo dicto, in linea perpendiculari locatum hîc verè inferius (secus ac in statu s. n. fieri solet) dici potuerit. Intestinum Colon, omnium alias maximum heìc insigniter corrugatum erat. Reliqua viscera, hepar cumprimis & pulmones, etiam non sine omni labe conspicua erant, siquidem siniſter horum lobus materia quadam indurata, dexter autem cum hepate hinc pure quodam fluido commaculati erant. Vesicula, solito major, bileque referta globulum quendam perspicuum, & e plurimis quasi filamentis contextum,

continebat. Quod vero omnium rariſſimum, Excreſcentia quædam carnea ſuperiori Renis ſiniſtri parti capitis infantilis magnitudine inſiſtebat, cum pelvi renis illius communicationem habens, dura prorſus & ſcirrhoſa, intus autem materia cerebro fluido haud diſſimili, repleta, atheroma hinc recte dicenda. Tumor hic ad ventriculum extendebatur, & ad ſitum hujus p. n. & inverſum haud parum forte contribuerat, prout e TAB. I. Fig. 1. omnia ad oculum apparent. Reliqua inteſtina cum rene ſiniſtro ſalva erant, niſi quod ureter ex hoc deſcendens inſigniter ampliatus, & quaſi inflatus eſſet, quod an Lithiaſi (a qua per curam quandam Sympatheticam per ⊡ in terram defoſſam liberatus eſſe dicitur) tribuendum ſit, dubius adhuc hæreo.

Tab. I. Fig. 1.

EPICRISIS.

DN. D. JACOBI FABRITII

Archiatri Haſſo-Darmſtatini & Phyſici Butisbacenſis Ordinarii.

QUamvis e ſymptomatibus hactenus recenſitis vivente adhuc ægro colligi potuiſſet, affectum ejus a prava ſtomachi digeſtione, lymphæque vitiis oriri, utpote quæ acrimonia ſua, ſuccum nutritium ita vitiare valet, ut ob colliquationem per ſalivam, ſudorem & ⊡ qua data porta rueret, ſicque partes carnoſæ neceſſario emarceſcerent, ſiquidem & Dnn. Medicorum Conſilia & remedia eo quoque directa ſunt: Nemo tamen vel per ſomnium cogitare potuiſſet, omnia hæc ab inſolito ejusmodi ventriculi ſitu & tumore renum admirando propullulaſſe; ſi quidem B. Dn. Baro nunquam antea de dolore harum partium, ſed tantum de ſtupore & tenſione cruris ſiniſtri (ob muſculum pſoas a tumore compreſſum) conqueſtus fuerat. Nunc vero poſt inſtituram ſectionem anatomicam a poſteriori facile concludere licet, ob p. n. ejusmodi ſitum ventriculi cibos vix deglutitos, antequam in chylum laudabilem mutarentur, per pylorum elapſos fuiſſe, unde

nutri

nutrimentum legitimum generari non potuit; & cum reliqui humores circulantes a tumore supradicto pariter infecti fuerint, non potuerunt non reliqua etiam viscera, hepar scil. & pulmones inficere, quorum vitia hic non tam pro causa, quam producto morboso habenda. An autem atheroma supradictum renale a calculo (cui olim obnoxius dicebatur æger) an ab alia violentia ortum fuerit? doctiorum merito judicio relinquo.

(*Gissâ Augustam Vind. d. 6. April. A. 1712. missa.*)

OBSERVATIO III.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De Hemiplexiâ cum Aphonia & totali omnium rerum oblivione, a cholera triduana, feliciter curata.

PUer decem annos natus, diei cujusdam tempore matutino vehementer sitiens & largius potulenta absorbens, brevi post horripilatione præviâ, vomitionibus & alvi dejectionibus crebrioribus per triduum ferme durantibus, cruentaque materia tertio die notata, quin & lumbrico prægrandi per vomitum simul eliminato, mire quidem defatigatus; hoc tamen rerum statu licet satis periculoso, tam debito regimine quam necessariis remediis nihilominus insuper habitis, ipse ægrotus ab aëre frigidiusculo hypocausti tempore brumali non satis calefacti, sæpius e lecto surgens, nonnihil refrigeratus, tertia nocte, hora duodecima nondum audita, præter morem minus articulate loquens, nec amplius surgere potens, mox sensu & motu & voce penitus destitutus, velut in agone mortis decumbere videbatur. Neque enim, in consilium vocatus, prima fronte ægrotum hunc ab agonizante discernere poteram, ob phænomenorum desperatorum syndromen, quid potissimum, quid prius faciendum, pene anceps. Mox vero conatus inanes vomendi & involuntarias alvi dejectiones adhuc molestas, observans, mixturam ex Tinct. Bez. ess. theriacal,

cal. castor. & anodyn. compositam propinabam, aquis cinamom. cydoniatâ, flor. anth. lavend. lil. convall. melis. apoplect. loco vehiculi superadditis. Præcordiis insuper & stomachali regione lini mento ex oleis caryoph. salv. rut. succin. chamomill. carv. & spir. sal. ammoniac. b. n. inunctis. Ab his sopita feliciter irritatione cholerica, ægrotum denique meum lateris alterutrius saltim, dextri puta, sensu & motu prorsus esse destitutum, animadvertebam. Quare præter dicta, pulveres ex nervinis, spec. diambr. pulv. epil. March. cinnabarinis, magister. perlar. corallior. &c. cum infusis ex rad. & herb. nervinis & aromaticis in usum vocabam ; Spina dorsi & articulis omnibus lateris paralytici linimentis spirituosis & nervinis sæpius inunctis, non neglectis pedum frictionibus &c. Linguæ præprimis unam atque alteram olei caryophyll. guttulam illinendo. Quibus aliquandiu continuatis indies melius habere videbatur, adeo ut post dierum quorundam decursum adstantibus primum particula affirmativa: ja/ respondere posset. Post plures dies vocales, dein consonantes pronunciabat, & elapsis quatuordecim ab invasionis momento diebus, denuo loqui discebat, sensimque membra paralytica inferiora movebat. Pro quo quidem membrorum paralyticorum motu recuperando, balsami mercurialis (a sylvæ Semanæ accolis, e conis junioribus excelsissimarum abietum parati) usum, præ reliquis summe proficuum notabam. Post tertiam septimanam vocem articulatam motumque perfectiorem recuperabat, brachium sensim, sed difficulter & cum doloris sensu, sursum movendo: Dolores enim quasi arthritici vagi in omnibus lateris paralytici membris valde molesti, imo pene intolerabiles in manu & brachio se exserebant. Tandem vero post continuatum medicamentorum internorum & externorum usum ex voto convalescebat. Qui adhuc hodie pancratice valet, & arti pistoriæ deditus, duros & improbos labores exequitur.

Plura notatu digna ex hoc casu didici: & (1) quidem hemiplexiam hanc seu paralysin lateralem cum aphonia dubio procul ab exsiccatione tum humorum vitalium, tum spirituum animalium

malium seu subtilissimi succi nervosi originem traxisse. Quamvis nonnulli dubitent, an exsiccatio inter paralyseos causas referri possit? Vid. Cranen Observationes ad praxin Regii p. 62. Triduanam quippe choleram succorum dictorum maximam partem exhausisse probabile. Hinc etiam (2) oblivionem totalem & aphoniam a poris cerebri, ob defectum succi nervosi seu spirituum animalium collapsis, subortam fuisse. Restitutis autem (3) & auctis sensim per medicamenta spirituosa & nervina succis vitalibus & animalibus, ægrotum hunc non solum vocem, sed memoriam quoque recuperasse, expansis denuo a novo novorum succorum vigore poris & tubulis cerebri & nervorum, pristinisque rerum vestigiis postliminio quasi in integrum restitutis. (4) expansionem talem nervorum fieri vix posse sine doloris sensu, qui casibus ejusmodi in bonis habendus. (5) Notabilem naturæ progressum a facilioribus ad difficiliora. Hinc ægrum hunc primo vocales, dein consonantes pronunciasse, porro vocabula composuisse, tandem orationem dominicam rursus didicisse, legisse, scripsisse, omnia successive. (6) Similibus in casibus & quavis cholera, inter morbos acutos & brevi lethales relata, non tam ad stomachica & styptica sola, quam nervina interna & externa, velut ad anchoram sacram, in tempore confugiendum esse. Id quod si negligant, quid mirum, quod spe sæpius frustrentur Practici nonnulli, cholera afflicti celerius opinione extinguantur, adeo ut cholera defuncti sæpe quasi a venenis extincti falso credantur. De quo pluribus legi potest Observatio CLXXX. Dec. III. ann. VII. & VIII. De Anatome cholerâ defuncti.

OBSERVATIO IV.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De Lethalitate vulneraria subitanea sine lethali vulnere.

Adolescens sedecim annos natus sanguinei temperamenti sanus & robustus, die Solis ictu sclopeti non nimis periculose

seu

seu lethaliter ex Medici & Chirurgi sententia, qui spem salutis fererant haud dubiam, vulneratus; (dum verba facere, edere, bibere & deambulare adhuc posset pro lubitu) cum sequenti die lunæ celerius opinione animam efflaret, jussu superiorum, cultello anatomico subjiciebatur. Exterius itaque (1) brachium dextrum ictu citato, qua partem internam superiorem leviter saltim tactum, particulis quibusdam plumbeis sub cute relictis, pluribus aliis globulis sub axilla dextra inter tertiam & quartam costam in thoracis cavitatem trajectis, quibus non solum (2) integumenta communia contusa & dilacerata adeo, ut vulnus magnitudine floreni conspicuum, sed ipsa etiam quarta costa penitus distracta. (3) Vicini musculi intercostales una cum venis intercostalibus & ipsa pleura dilacerata. (4) Dextri pulmonis lobus superior unius digiti transversi, inferior pollicis transversi latitudinem & culmi straminei transversi profunditatem læsus. (5) In cavitate thoracis sanguinis extravasati coloris seroso sanguinei mediocris quantitas, cum quibusdam costæ diffractæ festucis & particulis plumbeis chartaque pro bombardæ explosione necessaria, visenda. (6) Globulus quidam plumbeus in ipsam vertebram dorsi penetrâsse notatus, & quantum ex situ & profunditate læsionis videre erat, ipsa fortasse spinalis medulla leviter tacta.

Notabile profecto est harum læsionum, seu vulnerum seorsim consideratorum, nullum per se lethale judicari posse. Quod enim 1. & 2. ad læsiones illas externas attinet, illæ sane nullius sunt momenti: Neque etiam unius costæ fractura lethalitatis metum potest afferre; cum sæpius unius costæ & haud ita pridem duarum quoque costarum & ipsius ossis femoris fracturas casu ab alto factas in cive & pistore hujus urbis feliciter curatas viderim. (3) Vulnera thoracis cum læsione vasorum intercostalium feliciter fuisse persanata, quotidiana experientia confirmat. Et sicut (4) ipsa pulmonum leviora vulnera, vasis majoribus illæsis, vix considerandа, sed pro curabilibus æstimanda; cum per observationes constet, lobos pulmonum, tam ensibus pertusos, quam ictu sclopetorum perforatos feliciter fuisse curatos: Ita (5) nec sanguis extra-

extravaſatus (vel alia materia purulenta) in thorace per vulnus inflictum, aut ſi nimis anguſtum fuerit, ſcalpello dilatandum, vel per ſectionem ſeu paracenteſin, in loco commodiori inſtitutam, bono cum ſucceſſu & curatione vulnerati forſan evacuandus, ut taceam, quantum excellentiſſima remedia interna a modernis inventa his caſibus præſtent, lethifer vix ac ne vix quidem pronunciari poteſt.

Hujusmodi enim vulnus thoracis & pulmonum cum ſanguine extravaſato copioſo per exſcreationem rejecto, in prætore pagano, pagi Molhuſini Felchte feliciter ſanatum notavi. Quo quidem caſu, præter interna remedia, empl. diaſulphuris Rulandi, exſcreationem purulentam promovendo & dolores leniendo, egregium levamen afferebat. Nec denique (6) vulnus medullæ ſpinalis in vertebra thoracis, niſi per transverſum inflictum & maximum, pro lethali habendum. Maxima quippe vertebrarum thoracis vel dorſi vulnera, ſiquidem lethalia ſint, non tam cito interimere ſolent. Quemadmodum Jenæ ſtudioſum, & hic Molhuſæ civem quendam, vertebris dorſalibus caſu ab alto plane diffractis & dislocatis, per plures ſeptimanas vitam protraxiſſe notavi.

Qualis igitur cauſa ſubitaneæ hujus mortis ſine lethali vulnere? Ipſas equidem læſiones citatas conjunctim conſideratas & vi quaſi unita mortem acceleraſſe, valde probabile. Ipſo enim thorace, a cujus motu impedito pulmonum motus etiam impeditur, in alterutro latere enormiter læſo, ipſaque materia ſeroſa ex vaſis intercoſtalibus effuſa, & partim in cavitate pectoris collecta, ibidemque ſubſiſtente, œconomia vitalis mire turbari potuit. Hinc ſpiritibus animalibus ſenſim depauperatis, altero die lipothymiæ notatæ. Quibus cum motus convulſivi, dubio procul a dilaceratione nervorum intercoſtalium ac læſione ſpinalis medullæ orti, acceſſerint, vomitu ſimul notato, neglectis apprime medicamentis cordialibus, confortantibus, nervinis, feſtinæ mortis eventus non fuit impoſſibilis.

OBSERVATIO V.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De
Enterocele magnetice seu per sympathiam curata.

CUras sympatheticas ad lydium rectæ rationis lapidem examinanti, triplicis generis occurrunt. Sunt enim (1) pure naturales seu rationales, cuivis Medico Christiano & rationali concessæ & usitatæ. (2) Superstitiosæ, a Medicis rationalibus negligendæ, quando verba vel preces simul proferuntur. (3) Magicæ, animo nocendi, seu proximo damnum inferendi institutæ. Nullus enim dubito, quin plurima veneficia per sympathias & antipathias explicari possint. Scilicet cacodæmon cum supra naturæ vires agere non possit, abstrusioribus his mediis utitur.

De istis Observatione CXVIII. Centuriæ I. & II. Ephemeridum Nat. Cur. currente hoc anno editarum, fusius dictum. De his inferius nonnihil dicemus. Illarum vero exemplum sequens hæc observatio nobis subministrat. Puer quatuor annorum, tenerioris constitutionis, alterutro peritonæi processu, per casum ab alto disrupto hernioſus factus. Itaque parentibus ejusdem non sine summo animi dolore animadvertentibus, scrotum a prolabentibus per rupturam intestinis sæpiuscule mirum quantum intumescere, magnasque sibi molestias, & majores filiolo dolores, afferre: quin etiam reposita intestina post leviſſimum motum denuo relabi, variis remediis, cataplasmatibus, emplastris, ligaturis &c. frustra adhibitis. Deliberantibus, an tenerrimum corpus crudeli sectione periclitari velint, venator quidam hernioſum magnetice curare spondet. Quare filiolus in proximam sylvam apportatur, ibidemque fissa, mediante cuneo ligneo, quercu teneriori, eousque donec dictus puellus per fissuram trahi posset, ternis vicibus per dictam fissuram trahitur atque retrahitur, superadditis quibusdam verbis, nescio qualibus. Postmodum quercus

fissa

fiſſa ligamentis ſedulo deligatur, ſtercus vaccinum vulneri corticis læſi illinitur, cuneusque ſub quercu terræ immittitur, ſuperaddito progroſtico : Quamprimum quercus fiſſura fuerit conſolidata, & cuneus ſub quercu defoſſus putrefactus, hernioſum certo certius ſanatum iri. Id quod feliciſſimus eventus plane confirmabat, hernioſo poſt ſemeſtre ſpacium perfecte, ſuperſtitioſe tamen curato, & ab hernia adhuc libero exiſtente. Regerat aliquis: Bona verba fuiſſe, quæ venator muſſitavit, & forſan invocationem nominis divini. Sed Numen divinum in omnibus corporis neceſſitatibus invocari poſſe ac debere, dubito. Cujus quidem dubii deciſionem Theoſophis relinquo, qui cum rationalibus Medicis loquor.

OBSERVATIO VI.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De

Vlcere cancroſo per ſympathiam facto.

FOemina paupercula in vico, tria propemodum milliaria Molhuſa diſtante degens, infantem lactans, a veterinario quodam precibus pretio permota, tantum lactis ſuppeditat, quantum pro ulcere antiquo verminoſo equi eluendo ſufficiebat. Quo quidem lacte veterinarius equum ab ulcere perfecte liberat, ſed peſſimo, proh dolor! omine. Ulcere ſcilicet equi perſanato, ſimili fermæ ulcere mammilla dextra fœminæ citatæ, ceterum ſanæ, corripiebatur, adeo incurabili prorſus, ut non ſolum mammilla a cancroſo ulcere penitus conſumeretur, ſed ipſa etiam fœmina miſerabili fato tandem extingueretur. Ex his colligere licet (1) cauto opus eſſe in curis Sympatheticis, ſcilicet ex nobiliori vivente in ignobilius vel vegetabile quoddam, traductione facienda. (2) Talismodi curam, ſiquidem veterinarius animo nocendi forſan a citata fœmina lac impetraverit, curationibus ſympatheticis tertii generis ſeu magicis accenſendam.

OBSERVATIO VII.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI

De

Visus acie in Septuagenario usu Nicotianæ conservata.

SEnex annos septuaginta quatuor natus, hactenus tanta oculorum acie præditus, ut subtilissimas etiam literas tum typis excusas, tum scriptas, ex voto legere posset; cum in morbi apoplectici metum incidisset, & suasu Medici a fumo Nicotianæ, cujus quotidiano usui per triginta vel plures annos deditus fuerat, aliquandiu abstinuisset, præter opinionem tanta visus debilitate cœpit affligi, ut omnimodam cæcitatem nunc instare putaret. Hinc alio Medico, usum Nicotianæ ultro permittente & suadente, senex decrepitus amissam oculorum aciem, non sine admiratione, brevi recuperavit. Idem senex singulorum dierum tempore matutino visus debilitate aliquali vexabatur, adeo ut majusculas etiam literas dignoscere vix posset: Quamprimum vero vel unicam fistulam Nicotianæ fumaverat, subtiles literas non solum dignoscere, sed accurate legere poterat. Ut hinc ordinarie Nicotianam prius fumare necessum haberet, quam sic dictam benedictionem matutinam seu preces matutinas legere posset. A fumo Nicotianæ, superflua humiditate, spirituum animalium in nervum opticum influxum cohibente, forsitan exscreata; aut spiritibus animalibus a particulis volatilioribus Nicotianæ quasi roboratis & unitis. Novi quippe plurimos, qui negotia sua exactius longe majorique robore & alacritate pertractant, dum Nicotianæ fumo utuntur.

(*Molhusa Augustam Vind. A. 1712. d. 7. Maj. missa.*)

OB-

OBSERVATIO VIII.

Dn. D. JACOBI CHRISTOPHORI SCHERBII.

Hiſtoria de Vomitu & Mictu lapidoſo.

JOhannes Henricus Stoker, e pago inferioris Turgoviæ Rüthi, 10. ann. æt. per 6. menſes pallidior, quam ſolebat, & ſegnior, d. 12. April. A. 1689. a ventriculo multum excruciari, motibus ſimul per intervalla ſpaſticis elevari cœpit, ſuccedente tandem magno cum fragore vomitu lapillorum ex arenato concretorum, nucis juglandis magnitudinem æquantium & ſuperantium. Urina tum quoque omnimode ferme ſuppreſſa erat: quare ſuaſu vicinorum, quantum adhuc licuit, ſuper cineres calidos minxit, vaporem inde excipiens; auctis autem doloribus & urinæ retentione a Chirurgo Oinopediano ▽ petroſel. accepit, qua epota ad ℔ß. (ſic referente ejus Parente) lapillorum muralium, nucis avellanæ magnitudine, & minorum, una vice, acuto cum dolore, cum urina enixus eſt. Remanente nihilominus urinandi impoſſibilitate, niſi decocto petroſelini juvaretur, urgere etiam pergentibus oppreſſione præcordiorum, ſingultu & ſæpius motibus convulſivis, conſilium parens a me petiit & medicamenta: urina, quam attulit, albida erat cum diſperſis filamentis mucoſis. Pro vomitu & ⊡ redditione facilitandis, ſuaſi pinguia, dedi leniter diuretica cum emoll. anodynis, intern. & extern. Unde poſtea facilius & multo minori cum dolore lapillos illos excrevit, non quotidie, ſed 8. dierum circiter intervallis, tumve plures una: per ⊡as redditi, ultra 1000. ſunt numero, pondere ℥xij. per vomitum numero 50. ℥ix. pondere; plures autem, ab initio a parentibus hujus pueri fuere projecti. Neſcierunt hi, qua ratione inconſueta hæc in corpuſculum filioli pervenerint, donec, monito meo, vi pro veritate detegenda adactus, confeſſus fuerit, ſe ante ſemeſtre, ſcholam frequentan-

tem a puero sodali, frustum panis promittente, persuasum & coactum fuisse, arenatum e mortario (**angemachet Mauer-Pflaster**) ut comederet, etiam dum ante quasdam septimanas equitasset, jam dolorem punctorium in loco vesicæ sensisse: innotuit tandem quoque, (cum impossibile fuisset, eum tantam arenati quantitatem una vice devorasse, & tot separatis paroxysmis, præsertim per vomitum reddere potuisse,) turdum hunc malum sibi parare perrexisse, e muro proxime lectulum suum frustula digitis effossa deglutiendo quæ appetitus depravati species huic & minori ætati satis frequens; ea tum causa sublata, etiam effectus ablatus, puerque 5. aut 6. septimanarum spatio sanitati pristinæ restitutus. Valde curiosum fuisset corpusculum hoc, arenato saginatum, cultello anatomico detectum perlustrare, id quod etiam, si ejus ille incongruus vitam ei extorsisset, a parentibus jam fuit promissum: cum autem vitæ nostræ Sospitatori in vivis ipsum porro conservare placuerit, ad me deduci curavi, seduloque, quæ ante & in paroxysmis senserit, inquisivi, qui nec a dorso, nec inguinibus dolores se percepisse, sed lancinationes hic illic in abdomine, præcipuos autem cruciatus in vesica & membro virili passum esse, respondit. Rotunde fateor, dubium mihi hucusque hærere, quibus viis vesicam versus lapilli hi incesserint? per hactenus cognitas eo pervenisse, ratione assequi nequeo, symptomata recensita etiam condem concipere potuissem, ac mulierem illam, in Ephemerid. Nat. Cur. Decur. II. Ann. VII. append. p. 131. Observat. III. D.D. Paullini, pediculos ovinos, contra Arthritidem vagam vivos in lacte sumtos, per urinam reddidisse: at de lapillis, nucis avellanæ magnitudin: excretis, (quos non in renibus aut vesica, prout 300. calculi, unico impetu cum ⊡a redditi, apud Tulpium Obs. Med. L. II c. 47. ita concrevisse, externa forma, item calx, cujus medio sabulum cohæret, ad oculum monstrant) res conceptu difficilior. Si viæ ex intestinis, aut ventriculo ad vesicam minus ambagiosæ, hucusque ignotæ, paterent, cogitassem, per sabulum primo assumtum vias ad vesicam ducentes sensim fuisse dilatatas,

ut

ut tandem etiam lapillis majoribus, motibus ſpaſticis eo adactis, os aperuerint. In Diabeticis, Hydropicis &c. quem quidam per poros inteſtinorum, veſicæ &c. humoribus in vapores reſolutis monſtrant tranſitum, locum hic habere non poſſet.

Quid ergo, quæſo, hoc in caſu ſentiendum? Diu canaliculi chyli lactei etiam lynceos ſedulorum naturæ ſcrutatorum ſubterfugerunt oculos, diutius qui claram ducunt lympham: forſan aliquando in anatomia ſtrenui cujusdam bibuli, qui continua irrigatione vias urinarias ſatis reddidit patulas, aut alia occaſione, quæ hactenus operta, quoque aperientur.

(*San Gallo Auguſtam Vind. A. 1712. d. 24. Maji miſſa.*)
a Nob. D. D. Anhornio.

OBSERVATIO IX.

DN. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

De

Lapide Figurato, ex Cubo & octaëdro compoſito.

MIttо tres figuras unius lapidis, diverſo ſitu conſpecti, & delineati, quem forte inter alios ab Amico communicatos offendi, cum occaſione lapidum, mira varietate oculos non tam corporis quam mentis delectantium, quæſiviſſem per Patriam, quid ipſa ferat. Singularem præ ſe ferre ille meus notam videtur & mereri, qui deſcribatur. Dum ita prodit in conſpectum Curioſorum, provocabit ſpero ſimiles aliosve rariores ex ipſorum muſeis.

Dicam paucis, quis, qualis, quantus. Lapillus eſt, ex Cubo & octaëdro mixtus. Sex quadrata & octo triangula oſtendit per ſuperficiem ſuam, ſuo ſibi ordine eleganter & accurate interpoſita. Latera ipſorum ſunt 2. minut. palm. roman. talium quinque habet diameter, ſive linea ab apice anguli per medium lapidis ad oppoſitum concepta. Satis accurata ſunt iſta omnia, triangula æquiangula; obtinet æqualitas tam inter lineas quam figu-

figuras. Pondus est drachmarum duarum cum dimidia. Accepi autem consimiles majores & graviores, vel sex drachmarum pondere, etiam angulosos, uno forte & altero quadrato ac triangulo insignes, sed quorum potior massa per superficiem est inæqualis, confusa, tuberosa: Unicus ille mihi suppetit, complete & perfecte exprimens dicta omnia, utut non ita exquisite politus, ac ab artifice posset formari. Cum reliquis autem temere sparsis ad agrorum margines inventus fuisse dicitur & collectus.

Ita figuratum non invenio inter illos bene multos & pulchros, quorum figuras magno numero exhibuit Joh. Bauhinus in descr. Font. Bollens. Paginis quidem 38. 46. 52. sistit pyritas tessellatos, tam simpliciter, quam angulosos; imo pag. 50. tessellam pyramidalem. Mixtura tamen duarum figurarum, sive corporum, vel non, vel non pro dignitate ibi repræsentatur. Boëtius de Boodt c. 290. etiam nimis generaliter hæc habet: Pyritum tam varia genera inveniuntur, ut mirum sit. Aliqui quadratis tesseris similes, aliqui angulis octo vel duodecim excrescunt. M. Listerus de font. med. Angl. non aliter pyritum memorat figuras, quam quod cubis quidam ipsorum constent, alioque modo sint anguloſi. Nec huc spectant Anglorum Bristolstones, utut quasi cubi, vel selenitarum rhombi. Cubos item exhibuit J. J. Wagnerus E. N. C. 2. 8. sive tesseras parvas, ubi mineras ferri sub diversis figuris lapidum, leguminum, testaceorum marinorum, fructuum exoticorum, atque confectionum, proposuit omnino spectabiles; quo tamen amplo in censu nullum comparet octaedrum.

Tandem tamen, vel olim potius, C. Gesnerus in libello de figur. lap. p. 25. meum illum utique videtur expressisse. Figura enim pyritis octaëdri, quam Basaltæ subjectum exhibet, præter triangula, quadratum etiam comprehendit. Suum Gesnerus scribit fuisse coloris fere ruffi, opacum, avellanæ prope magnitudine, durissimum. Talis videtur etiam meus, externe similis utcunque hæmatiti colore suo obscure fusco rubro. Quanta vero sit ipsi durities, explorare & periclitari lapillum nondum duxi consultum.

Alte-

Alterum potius ſelegi, ipſi homogeneum, utcunque anguloſum, & memor verborum de Boodt, (illi lapides pyritis nomen vere merentur, e quibus ignis excutitur; multi tamen ſunt lapides pyriti ſimiles, qui ignem non dant concuſſi:) ad chalybem allidendo examinavi. Hic vero perpaucis excuſſis ſcintillis in duo quaſi hemiſphæria diſſiluit, & oſtendit ſubſtantiam internam bene aliter comparentem, non rubram, ſed ſplendore quodam metallico præditam. Pro cujus declaranda natura, fruſtula quædam ipſius oleo tartari & ſpiritui ammoniaci injeci, ſed nec motum nec mutationem inde obſervavi. Aliter autem ſe habere iſtius lapidis fruſtula deprehendi ad ſpiritum vitrioli: ipſi enim per morã in frigido conciliarunt Tincturam flavo-citrinam, pulcram, claram, limpidam, ſine prævia efferveſcentia extractam: Cujus guttula infuſo gallarum inſtillata mox dedit atramentum, ferri argumentum. Uti quidem Liſtero pyrites inter mineras ferri recenſetur præcipuus, varie tamen alienis metallis mixtus.

Suum porro Gesnerus accepit a pharmacopœjo Antverpienſi. Hac occaſione recordor arcani contra lithiaſin, vel potius arcano modo præparandi Ludi, quem Helmontius ad ripam Scaldis prope Antverpiam invenit, & deſcribit, tanquam lapidem palleſcentem, ſubinde cruſta perſpicua per commiſſuras obductum, ſemper tali, teſſeræ aut cubi forma erui ſolitum: Addit, frequentem agro, ex cujus profundo venit ludus, eſſe pyritem, qui ſulphure dives & vitriolo, etſi ſub terra prædurus ſit, mox tamen ſub aura fit friabilis, fatiſcente ſcil. ſenſim vitriolo: ſed ludum maxima ſui parte in furno figulino eſſe volatilem. Cnœffelius in E.N.C. 4. p. 119. ludo ſubſtituit ſilicem nigrum, quo ad excutiendum utimur ignem: In app. ann. 6. p. 127. ſiſtit pro ludo lapidem pallidi coloris, magnitudine pollicis, & formæ tabulatæ. Liſterus etiam pyrites aureos cubicos & anguloſos a quibusdam Helmontii ludum exiſtimari notat l. c.

Gesnerus denique pyritem dodecaëdron non minus citat, quam octaëdron. Uti & Boodt angulorum æque duodecim ac octo facit mentionem. Ego nec cubum ſolum, nec dodecaë-

dron solum deprehendo inter transmissos mihi lapides, sed componuntur & miscentur, ut dictum, illorum figuræ tri- et quadrangulæ: quinquangulum autem nullum adhuc vidi, nec pentagonis constans dodecaëdron. Quale quidem si supperit, ubi manet tetra- & icosaëdron? Sic iterum singulari Natura modo geometrizat; observat duas figurarum præcipuas, triangulum & quadratum; repræsentat duo quinque corporum regularium, primum ex tribus primariis, cubum, & primum ex duobus secundariis, octaëdron: non separatim, sed mixtim. Geometrarum ego hic speculationi relinquam, quicquid figurarum interpositionem, sic figurati corporis compositionem, & cætera forte multa concernit. Interim hæc sunt ex numero illorum corporum Platonicorum, quibus suum mundi systema harmonicum accommodavit Keplerus. Hic in specie cubus, cujus duplicatura exercuit Geometras, provocavit mesolabia, cujus genesin adhibuit Wallisius, profundum Trinitatis mysterium utcunque adumbraturus.

Constat itaque de materia & forma externa, non æque de causa ipsius & fine. Boodt spiritum architectonicum requirit, sive formatricem facultatem, quæ ignoto modo, ingenua confessione, uti plantas, ita figuratos lapides fabricetur: sive per expressionem inutilis, sive per attractionem utilis ad centrum futuri corporis. Non rotundam, sed angularem ita fieri figuram concipit, cum materiæ coagulandæ partes non sunt prorsus uniusmodi, nec æque cito, nec æquali vi tendunt ad centrum. Salinæ sunt illæ, quas materiæ terrestri subtili mixtas concipit partes, pro concretione angulosa. Scilicet determinata salium crystallisatio ipsius obversabatur animo, & crystalli lapidis cum nitri crystallis convenientia. Obtinet hic sexangula figura, apta utique, in quam contrahatur circulus, explens bene locum; uti sex globulorum septimum ambientium exemplo monstrant de nive etiam sexangula soliciti. Ex corporibus autem æquiangula & æquilatera illa ideo dicuntur regularia, quinque, non plura, quia sphæræ inscribi

& cir-

& circumscribi concipiuntur, ita ut eam hic omnibus planorum centris, ibi suis angulis contingant.

Et ista quidem pro crystallo hexagona: An ergo pro cubis quadratum salis, & pro triangulis octaëdron aluminis & tartari vitriolati licebit advocare, & analogiam quandam inter salium & lapidum figurationem, imo pro isto lapide mixturam salium aut metallorum, prætendere? Ita forsan Belemnitis radii spectabunt ad ammoniaci stellam vel pectinem. Ad istiusmodi rationes figuram talium lapidum exigere si cui placuerit, has quoque observet difficultates; quarum quidem prior crystallisationi salium est communis. Primo, quod mihi sit ille solus inter multos ejusdem materiæ, qui eandem quoque figuram quasi affectarunt, sed plene non obtinuerunt. Secundo, quod cum figurato ita lapide multi alii, prorsus aliter figurati, mihi fuerint transmissi, tanquam in eodem campo collecti: astroites, conchites, ammonis cornua &c. Quos vel diluvii reliquias, vel a semine marino, aliove, oriundos, evincant, qui poterunt. Effectus magnæ quondam factæ mutationis applicare qui norit, determinabit quoque: Utrum per modum fusionis concipiendus sit induisse suam lapis ille figuram, cum separaretur lux a tenebris; an vero concreverit ex fluido, cum aqua misceretur arido, & per dissolutionem confunderentur universa terræ. Aut, siquidem novum ortum monstrare velit, quomodo adhuc pressione ambientium quasi typo coërceatur massa in eam figuram? vel a centro extrorsum ita radiet vis tendentiæ qualiscunque?

Hæc talia curiositati & dexteritati aliorum mihi relinquere fas esto.

OBSERVATIO X.

Dn. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

De

Diabete Strangurioso Periodico.

PArticulam exhibeo historiæ, & anatomen Senis quondam Stranguriosi: quarum illam olim ipse collegi; hanc autem accepi a Dn. D. Schaffero, Physico Nurtingensi. Scilicet Quæstor Principis ad Rhenum superum, habitu corporis præditus mediocri, ad senectutem usque sanus, nec morbis nec medicationibus obnoxius, nisi quod interdum spasmi pedum flatulenti, & olim doloris coxæ leve quid senserit, præ sociis tamen frequentius per noctes mittere urinas, quod recordatur, solitus, viduus modo, ab autumno anni 1705. deducit principium mali longi, doloris & difficultatis in mingendo, quam equitationis & rhedæ motibus veller adscribere, exacerbationem utique hinc expertus.

Hic annorum circiter 63. lectica huc delatus, inter nos vixit a Julio 1706. ad Februarium 1707. & diabetis strangurioſi periodici phænomena exhibuit sequentia: Erant dolorum intervalla & paroxysmi. Hi vix solebant recurrere ante octo, vix emanere ultra quindecim, dies. Durabant per diem in noctem, remittentes die altero, cum reliquiis sensus adhuc teneri per tertium, quo vel quarto licebat seni prodire in publicum, quasi nil passo, satis commode, adhuc vegeto. Erant primo cum urinæ multæ missione, dein paucæ urgentiâ vehementer dolorosa, non sine nixibus, ardore, puncturis, stricturis per ventrem deorsum, quin totius contentione corporis ad vesicam; varii tamen paroxysmi, modo breviores & leviores, alia vice graviores & longiores, forte ad anomalias aëris & diætæ. Sæpius mane incipientes, quam alio tempore: e. g. mane urina multa, sensim dolor, meridie intensior, in summo ad noctem, ab hujus medio remissior. Sic misere transactæ noctes, jacendo forte per quadrantem horæ & subdormiendo,

do, mox ad torturam currendo per cubiculum. Urinæ quantitas ab hor. 3. matut. ad meridiem circiter menſura dimidia, & ultra, a meridie in noctem libra plus minus una. Sic per 24. horas paroxysmi ad ſesquimenſuram. Abhinc ſub intermiſſione quantitas multo minor. Qualitas primo ſubflaveſcens, clara, citrina, ſtraminea, tandem quaſi aquea; nunquam rubra. Matulam obducens cruſta alba. Nunquam cum ſabulo aſpero, vel lapillis; nihil horum nec tunc nec olim excretum. Sedimentum talis per paroxyſmos collectæ urinæ album, nec durum aut arenoſum, nec tenax mucoſum, ſed pultaceum, vel quaſi cretaceum; acris odoris: raro cum gutta cruoris in imo. Hæc cum alvi quodam tenesmo, & familiari ſiccitate: tardabat ipſa plerunque in diem tertium; ab humida, lubrica, levamen aliquod. Nihil unquam ex ipſa cruenti, nihil tumidi per marginem.

Extra paroxysmos a deſcenſu ſcalarum, inclinatione corporis antrorſum, converſione ſubita in lecto, ſenſus levis quidem irruptionis tamen cujusdam in veſicam. Nullus unquam ibi ſenſus ponderis, nec volutationis; nec dolor a complicatione crurum. Nihil tunc moleſti per hypogaſtrium vel perineum; minus in lumbis, perque dorſum reliquum. Caput, pectus, venter, artus in ſalvo. Nec horrores, nec calores. Non vomitus, non tormina. Nondum magna ſitis; quam valde auctam audivi ſequenti tempore. Appetitus in mediis doloribus conſtans. Corpus ſenſim rugoſius quidem, ſenile, non tamen conſumptum. Quin ſub ipſis dolorum tormentis deliberatio de altero conjugio; quod tamen intermiſſum. Sanguis autumno miſſus e brachio ſiniſtro ſuperficiei quidem pulcræ, ſpumoſæ, juſto tenacior; caſeolus natans in ſuo ſero.

Ab affectu hoc doloroſo periodico, cum ſpe non ſemel bona, ſub longiuſculis intervallis, & paroxysmis lenioribus, ſuſtentatus, delinitus, ſublevatus quidem, non tamen plene liberatus. Noſter, per tam externa linimenta, epithemata, fomenta & enemata paregorica, quam interna gummoſa, gelatinoſa, blanda balſamica, oleoſa, emulſiva, abſorbentia cum nitroſis, & repetita

laxantia. Diſceſſit poſt dimidium annum, lectica iterum delatus verſus Rhenum medium: unde aliquoties non aliud de ipſo inaudii, quam vexari ipſum doloribus jugiter, cum ſedimento urinæ modo cruentæ, modo non, conſtanter albo, craſſo; & negari paſſim, uti apud nos, ſubeſſe veſicæ calculum, præ anguſtia viarum catheterem non admitti amplius, qui quidem apud nos nunquam fuerat applicitus.

Vario tandem fato actus rediit ad Nicrum, & die 21. Febr. anno 1711. Nurtingæ mortuus, laudato Medico corpus conceſſit ad inſpiciendum. Cui quidem primo admirationi fuit ſuperſtes pinguedo abdominis ſpiſſa, & copioſa ſatis, poſt tot annos dolorum, in hac ætate, quippe 68mum ſupergreſſi: Secundo veſica urinaria monſtroſo aſpectu, ſimilis maſſæ carneæ, duorum pugnorum magnitudine, ſubſtantiæ fibroſo-glanduloſo-ſcirrhoſæ, circumcirca ad usque cervicem duorum pollicum craſſitie; quæ cum membro & imo muſculorum abdominis omnino jam gangrænam conceperat: Dum reliquum corpus in partibus principalibus videbatur eſſe adhuc ſic ſatis bene conſtitutum. Cavitas ipſa veſicæ adeo incraſſatæ vix major nuce juglande, habuit ne guttam urinæ, nec granulum arenæ, parum tamen ſpiſſiuſculi & ſpumoſi albi muci: tantum abeſt, ut fuerit obſeſſa calculo. Adfuit etiam hernia utriusque lateris; de qua ſilentium adhuc apud nos, An nixibus demum contracta?

Hæc ſunt, non plura, quæ ſuppetunt, de hoc caſu, forte non indigna, quæ jungantur hiſtoriis ſenum diu moleſte ſtrangurioſorum. Accedat tamen examen qualecunque ſedimenti urinæ, de quo ſupra: Maſſula ipſius exſiccata cum prunæ imponeretur, non dedit fulgura, non ſtridores, nec crepitus, non ebulliit, noluit accendi, fumavit fœtide, abiit in carbonem atrum, digitis facilime conterendum. Altera injiciebatur oleo tartari per deliquium, ſed absque eo, ut ibi vel moveretur vel mutaretur. Tertia acetum avide quaſi arripuit, ſine motu tamen vel lucta. Cum vero matulæ adhærens ſicca cruſta elueretur aceto, manifeſtus inde erupit fumus: Liquor decantatus poſt calorem in frigore

nil

nil reliquit figurati. Quarta tandem sedimenti particula per aquam fortem primo etiam non videbatur affici, sed brevi post exhibuit multam desuper spumam: rubuit parum hæc & aquam levi rubedine tinxit; pariter autem crystallisari noluit.

(*Tubinga Augustam Vind. d. 13. Jun. A. 1712. missæ.*

OBSERVATIO XI.

DN. D. MAXIMILIANI PREUSSII.

De

Conformatione & Constitutione Corporis Infantilis vitiosa quoad Lienem maximum inprimis, ac monstrosum.

A. C. 1695. d. Januar. 2. Illustri Dno Bar. Z. de Z. nascebatur Filiolus 6. digitos manus dextræ, & totidem pedis sinistri habens, ita ut sextus uterque e radice minimi, tam in manu quam pede, non erecto reliquisque digitis parallelo situ, sed transversim enasceretur, apicemque a corpore prorsus averteret, quorum uterque tamen adhuc molliusculus, postero mox die, a Chirurgo olim Celeberrimo, Purmanno nostro, forcipe acutissima feliciter ablatus. Puerulus de cœtero semper valetudinarius & Rachiticus erat, pedibus incurvis, ventre magno capiteque maximo &c. Octiduo tandem ante obitum corripiebatur febre acuta cum hæmorrhagia narium quotidiana, remediis nullo modo vincibili: accedebat denique Anasarca universi corporis, inflatio totius abdominis, & motus convulsivi universales, decimoque Maji hora tertia pomeridiana, beata Analysis. Corpore dein per Chirurgum prælaudatum exenterato, uti partium externarum, sic & viscerum abdominis internorum p. n. inæquale prorsus augmentum deprehendebatur. In specie vero Lien in totum scirrhosus a sinistro hypochondrio per universum illud latus usque ad pubem, mole ac magnitudine sua extendebatur; hepar pariter maxi-

maximum, pallidum & enormiter induratum, ſtomachus autem & inteſtina flatibus extreme diſtenta, ut & ileon hinc inde maculoſum, nigreſcens ac ſphacelatum, renes vero naturalis fere magnitudinis & conſtitutionis, uti & cor in thorace, pulmones tamen emacidi prorſus erant. Ex quibus ultro patet, tam conformationem, quam nutritionem totius fere corporis non ſolum valde vitioſam, ſed & circulum ac motum ſanguinis ad inferiora in primis, prorſus tandem impeditum fuiſſe, unde, accedente ultimo exæſtuatione totius maſſæ ſanguineæ febrili, regurgitationem, redundationem & effuſionem ejus majorem ad ſuperiora ac per nares incoërcibilem, ſerique ejus in habitum univerſi corporis ſeceſſum, una cum reliquis anomaliis ac ſymptomatibus, morteque ipſa, preſſo pede, inſecuta fuiſſe, nullo modo admirandum eſt. Uti ſane de Lienibus inprimis magnis, eorumque noxa, pluribus videri poteſt Hippocratis editio Cornar. Lib. de Affectionibus p.m. 298. §. 19. 20. item de Intern. Affect. p. 323. §. 29. p. 326, 327. §. 35. 37. 38. ac de Morbis Popularibus p. 488.

OBSERVATIO XII.

Dn. D. MAXIMILIANI PREUSSII.

De

Liene in Corpore integro quoad partem aliquam abrupto & ſecedente.

PRægreſſo caſui breviter ac ſummatim ſaltem annectere placet exemplum aliud, non vulgare, Lienis in corpore integro, quoad partem aliquam abrupti & ſecedentis apud Illuſtriſſimum olim Comitem O. de Bn. quod Lorchwizii in Polonia, una cum Excellentiſſimo Dn. D. Beckero t. t. & Nirſchio, Phyſic. Medicisque Glogovienſ. & Leſnenſibus celeberrimis, ſub initium Junii An. 1682. conſpexi atque notavi. Heros ille erat quadragenarius, temperamenti cholerici, habitus corporis tenerioris & macilenti, diætæque inordinatiori, in primis potui Vini generoſi, aquarum ardentium, ut vocant, e ſpiritu Vini paratarum

ratarum, nec non affectibus biliosis ac passionibus animi variis, ut & motui corporis frequentiori enormiorique per venationes &c. valde deditus. Is postquam aliquo jam tempore valetudinarius, cibis hactenus quadragesimalibus, inprimis autem ovariis, piscium assatorum oleoque frixorum aliquandiu usus fuisset, corripitur appetitu penitus prostrato, vomitibus pariter ac secessibus per alvum materiæ maximam partem biliosо-æruginosæ & subnigræ, qua subsistente interdum, accedit inflatio ventriculi, difficilis respiratio, dolor hypochondrii sinistri, tumor ventris constans ac perseverans, color corporis icteritio-flavus, hæmorrhoides interdum dolentes ac tumentes, somnus quandoque bonus, quandoque nullus, urina flammea, pauca, quæ facile turbatur, ac pulsus varius, sine tamen notabili febris indicio. Variis contra affectum hunc valde complicatum, icteritio-tympanitico-ascíticum maxime, a supradictis nobis Medicis secundum indicationes rationales adhibitis; (quanquam & ab Empiricis quibusdam non pauca incongrua fuerint interposita;) nihil tamen effecimus, nec impedivimus, quin sub principium Junii proxime sequentis fatis tandem cederet. Sub extispicio postmodum observavimus pulmones emarcidos prorsus, cor exile, sed pinguedine multa refertum, cujus & integra frusta adiposa, instar conorum in mesenterio pendula, hinc inde hærebant; ventriculum flaccidum plane, intestina tenuia naturaliter quidem constituta, crassa vero nigra & sphacelosa, omentum in pubem ac scrotum dextri lateris prolapsum, herniamque ibidem constituens, testiculum dextrum emarcidum valde & parvum, sinistrumque adhuc minorem illo; renes optimæ constitutionis, hepar autem maximum, sed pallidum, exangue & exsuccum prorsus, lienem vero atri inprimis coloris ex gangrænoso-sphacelosum, parteque inferiore truncatum, ita ut pars ejus aliqua abrupta dissociataque ab ipso in cavitatem & fundum abdominis delapsa cerneretur, totumque abdomen lympha cruenta aliqualiter instar loturæ carnis plenum, ex sanguine procul dubio lienis, violento sæpe corporis motu ad rupturam prius dispositi, maceratione diu-

turna, a sero hydropico acerrimo ex parte dissoluti & diffracti quasi, lymphamque asciticam aliquo modo tingente.

Cœterum deductionem Theoreticam & Casualem Casus hujus rarissimi, cujuslibet arbitrio, cum Magno Hippocrate in Endemiis seu Popularibus, merito relinquo.

OBSERVATIO XIII.

Dn. D. MAXIMILIANI PREUSSII.

De

Ventriculi perforati, Hepatisque per hocce foramen illius cavitatem ex parte subintrantis illudque claudentis, cum eoque connexione cartilagineo membranacea firmiter concreti ac connati quasi, aliorumque in Corpore muliebri Constitutione summe præternaturali.

LIteras eruditissimas, hujus Casus gratia a Nobilissimo Dn. Joh. Casparo Sommero, Medicinæ Doctore & Practico Landeshutti in Silesia doctissimo, celeberrimoque, d. 26. Mart. Anni currentis 1712. ad me perscriptas, de verbo ad verbum hic communicare, Ephemeridibus nostris inserendas, dignissimas sane judicavi, sequentem in modum sonantes:

P. P.

Erubescerem sane concatenatos tuos pro miserorum ægrotantium salute labores, doctasque meditationes hacce Epistola interturbare; ni nota quibusvis ac tibi quasi propria, mihique ipsi plus simplici vice luculenter perspecta humanitas, pudorem quodammodo adimeret, impelleretque ad scribendum Casum, ut reor, non usque adeo vulgarem, quem nuper corpus Germanæ meæ pie defunctæ sectione investigatum exhibuit. Illa nempe Regina Catharina nomine, anno ætatis circiter quarto decimo aut paulo ante, priusquam prima menstrua erumperent, dolore quodam anxioso circa sinistrum hypochondrium scrobiculumq; cordis

dis quasi oriente, brevi vero cum indicibili cruciatu totam maxime thoracis, quin & abdominis regionem occupante, neque prius fere ad tempus intermittente, quam humi procumbens obdormisceret, (ex quo somno tamen semper quasi territa evigilabat) quotidie aliquoties affecta erat, qui tamen postea recesserat; remiserat certe, ut decimo septimo ætatis anno matrimonium cum Domino Jeremia Scholzio, Verbi divini ministro, idque fœcundum iniret. Primo infante ablactato rediere pristini cruciatus, nec prius cessarunt, quam altera vice gravida esset. A quo tempore initas inducias per plurimos annos, (quibus nempe adhuc septem infantes sanos & vegetos peperit & lactavit,) sancte servarunt. Aliquo vero post ablactationem ultimi infantis tempore invadere rursus misellam & quanquam cessarent ad tempus, quotannis tamen ac stato quasi tempore (circa finem nempe Augusti aut principium Septembris mensis) redire, & postquam hybernis mensibus satis eam excruciassent, circa veris initium aut paulo post intermittere rursum. Quotannis cum invaderent primum, de doloribus circa lumbos, subluxationem comitari consuetis, (**als wann sie ihr weh gethan hätte**) ac molestissimum quendam circa ventriculi regionem sensum (**als wann man sich den Magen verderbet**) cum inanibus vomendi conatibus querebatur. Quæ molestiæ quotidie aliquoties redeuntes, indies augebantur, tantasque inquietudines & anxietates cum palpitationibus cordis vehementissimis causabantur, ut qua eos ratione toleraret, sæpe esset nescia, donec tandem humicubatione, ut ante innui, aliquo modo levaretur, ac per aliquot horas plerumque noctu ab iis esset libera, sequenti die eodem modo redituris, donec verno, (ut superius monui) tempore emanerent, menstruis interim, quamvis non ordinatissime, copiosius tamen quam parcius semper (si ultimi decubitus tempus exceperis, quo cessarunt) profluentibus; alvo continuo adstricta, appetitu semper vigente, quamvis sæpius inordinata. Quotannis tamen lucidum, ut ita dicam, aut pacatum intervallum minuebatur, donec ultimis tribus quatuorve annis quotidie affligeretur, atque tandem ulti-

mis viginti & aliquot septimanis diu noctuque sine ulla fere intermissione; nisi quod duabus ante obitum septimanis dolor ille circa ventriculi regionem tribus quatuorve transversis digitis infra & sinistrorsum cordis scrobiculum, atque sinistro in hypochondrio antea immanissimus, adhibitis sæpe suppositoriis, clysmatibus, & pharmacis laxantibus, & eorum ope, sit venia, excrementis indouratis quamplurimis eductis, abiret; vagis interim doloribus, totum abdomen, imo & artus totumque corpus, exhaurientibus. Ab eo tempore vires indies magis magisque prosterni, abdomen vero, nec non artus intumescere incipiebant, donec summe & ad rupturæ ferme metum tenso abdomine, postremis diebus, multis fæcibus nigricantibus excretis, quartus Martii dies ætatis anno 44to, diu exoptatam Analysin afferret. Qua facta abdomen detumuit valde, plurima fœculenta nigricanteque materie etiam post mortem per alvum reddita. Quot quantisque per tam longum tempus usa fuerit misera, ex plurimorum Doctissimorum Medicorum consilio, medicamentis, iisque omnibus frustraneis, longum foret enumerare. Paucis potius, quæ post corporis apertionem fuerint reperta, adjungam:

(1.)

In cavitate abdominis, insignis & ad aliquot mensuras æstimabilis quantitas seri citrini.

(2.)

Lobus Hepatis ventriculum ordinarie contegens, ipsi ventriculo (in quem, dubium qua ratione, forte tamen occasionem dantibus intestinorum vermibus, quibus aliquoties ac præsertim ante hos 5. aut 6. annos infestata fuit, perforatum, longitudine trium, latitudine & profunditate unius pollicis immersum erat) connexione cartilaginea plus certe quam membranacea connexus.

(3.)

Ventriculus ipse multo sanguine congrumato repletus.

(4.) Fun-

(4.)

Fundus ventriculi per totam longitudinem ad pylorum usque, scirrhoso glanduloſa excreſcentia inæquali, & hinc inde plus quam transversi digiti latitudine protuberante; obsessus, ipsque ventriculus in duos quasi saccos diremptus.

(5.)

Vasa brevia turgida nigricante sanguine.

(6.)

Inteſtina tenuia æque ac crassa, (quæ intus tamen non fuere perlustrata) quantum quidem oculis patebat, non minus ac Mesenterium, naturalia.

(7.)

Hepar, lien, renes, uterus naturalia & integra, nisi quod hepar cum liene parum magnitudinem consistentiamque naturalem superarent.

(8.)

Cor integrum; pulmones hinc inde parum colore livido superficietenus infecti, sparsis hinc inde minimis tuberculis.

Habes, Vir Excellentissime, brevem & rudem longissimi & exquisitissimi mali, & fontis forte ipsius, unde omnes reliqui calamitatum torrentes promanarunt, delineationem.

Quam ut serena aspicias fronte, est quod opto.

OBSERVATIO XIV.

Dn. D. MAXIMILIANI PREUSSII.

De

Cephalalgiis pertinacibus ac periodicis, ex Hydrope Cerebri natis.

TAlium exempla non pauca sub Praxi Clinica observavi, quorum tamen sequentia saltem instar omnium brevibus enarrabo.

I.

N. H. Chirothecarum sarcinator, sanguineo-cholericus, ætatis triginta, & quod excurrit, annorum, baculo syncipiut ante plures olim annos percussus, ut pronus in terram collaberetur; nullos tamen fere dolores postmodum sensit. Medio autem Junii præterpropter Anni 1704. sensum rupturæ quasi cujusdam in cerebro, & ex nisu alvum deponendi, dolorem mox non contemnendum syncipitis sinistri contraxit, successive magis auctum, dies noctesque sæpius repetentem, & exacerbatum in primis post aliquot semper a potu assumto horas, per paroxysmos breves ac frequentes, quarto tamen quovis die solennius ac insolentius ut plurimum redeuntes, idque summo cum impetu ac clamore furioso & convulsivo quasi, **durch starckes/ auch wider seinen Willen offt erfolgetes Schreyen und Gillen/** ut vocant; appetitu de cœtero stomachi optimo, & urina naturali simillima. Varia a Medico ipsius ordinario Dn. Doctore Nimtschio, Collega nostro æstumatissimo, tentata auxilia non incongrua, & tandem quoque a meipso in consilium simul vocato, evacuantia per diaphoresin, diuresin ac alvum, interna & externa, clysmata & V. S. revulsor. alterantiaque, absorbentia, antifebrilia, anticachectica-que, tonsura capillorum, vesicatoria syncipitis, applicata &c. omnia tamen frustranea, usque dum d. 9. Octobris anni prædi-

cti, mors ultima linea rerum & dolorem hunc intolerabilem amplius, & vitam animamque simul solveret. Aperta proin demortui, per artem, calvaria, deprehendimus: Vasa cerebri sanguifera valde turgida, cerebrumque ipsum summe intumefactum ab hydrope ventriculorum cerebri, inprimis siniſtri, majori longe copia lymphæ flaviuſculæ præ dextro referti, cerebellum autem ſemiputridum quaſi cum ſanguine pauco extravaſato circa illud hærente. Ex quibus ſane manifeſto apparet, Vaſa cerebri lymphatica percuſſione & lapſu olim in caput ad diſtenſionem majorem jam diſpoſita, accedente conatu alvum exonerandi violentiore, rupta tandem eſſe, hincque hydropem cerebri ſucceſſive enatum, cum dolore reliquisque ſymptomatibus ſpasmodicis hinc ortis, & magis ſubinde exacerbatis in primis, poſtquam horis aliquot a potu copioſiore hauſto, lymphæ affluxus, extravaſatio & congeſtio intra cerebri ventriculos & meninges ſenſibiliſſimas, major ac impetuoſior facta, usque dum tandem cedere amplius diſtenſioni nequirent, ſicque ex compreſſione omnimoda principii nervorum ſubtus ac deorſum verſus, Apoplexia vitam denique finiret.

II.

D. M. Cerdo Alutarius ſanguineo-phlegmaticus, annos 25. fere natus, ultra annum jam laboraverat obaudition*e* inſigni, & Cephalalgia dextri lateris enormi, una cum epilecticis ſubinde inſultibus, & his ſuccedentibus paralyſi, & contractura artuum, ſphincterisque tandem etiam veſicæ & ani, cum involuntario hinc lotii & fæcum alvinarum effluxu, ut & viſus denique ſenſuumque internorum ſucceſſiva hebetatione, inſigni tamen, ut in priore exemplo, appetitu ciborum ac potulentorum ſemper ſuperſtite, ob lymphæ procul dubio nutritiæ & hic nimiam extravaſationem & conſumtionem, hincque deſiderium per alimenta eam reſarciendi. Remediis cunctis fruſtraneis d. 12. Aprilis Anni 1706. in Noſocomio noſtro ad Omnium Sanctorum vocato, placida morte tandem extinctus, poſtmodumque luſtra-

tioni

tioni Anatomicæ commiſſus eſt, ubi ſimiliter, haud diſpari ratione, ac in hiſtoria prægreſſa, ſiniſtrum, ſic in præſente ſubjecto dextrum cerebri ventriculum (magis dolentem) invenimus lympha turgentiſſimum, & lymphatica ſubtus latentia vaſa, ab aqua inter valvulas eorum hærente, nodoſa quaſi, nec non glandulas hinc inde ſcirrhoſas, ac tantum non gangrænoſas, a ſanguine feroque turgente, indurato, corruptoque in iis, maxime circa medullam oblongatam. Producta inde ſymptomata ſucceſſive cumulatiora ex modo generationis eorum formali, in priore hiſtoria notato, facile quoque deduci poſſunt, ad nauſeam hic loci proinde non repetendo, niſi quod cauſam occaſionalem in noſtro ſubjecto violentus ſæpe labor ſub extenſione & præparatione coriorum in aqua frigida forſan ſuppeditaverit; ut taceam eroſionem quoque aliqualem ab humoribus, contagio forte venereo aliquo modo infectis, cum & membrum virile, veſicamque urinariam maculoſam valde, & ex nigro ſpaceloſam quaſi, hinc inde deprehenderimus.

III.

In Noſocomio prælaudato ad omnium Sanctorum dicto, A. 1706. d, 12, Febr. mane ſubito obiit J. G. M. puer melancholico-cholericus, 13. annorum, medios inter ejulatus intolerabiles, ob dolorem ſyncipitis ſiniſtri enormem, qui per integrum ſesquiannum hactenus una cum paroxyſmo febrili quartanario utplurimum, eumque præcedente ſemper fame ac ingurgitatione ciborum inſigni, conſtanter per periodos rediit ac exacerbatus fuit, cum Gillen / ſive vociferationibus hinc delirabundis quaſi interdum. Calvaria poſt obitum ablata, deprehendimus pariter ſiniſtrum cerebri ventriculum aqua limpidiſſima repletum, quæ inciſo illo ad ℔j, præter propter effluxit, cum ſcaturigine & unda viva quaſi illius lymphæ ſurſum prorumpente & proſiliente, inprimis lacerato a nobis operculo tunicaceo tenui infundibuli ſubtus intra cerebri ventriculos ſiti, ex lymphaticis procul dubio a glandula pinéali vicinisque ad infundibuli latera extenſis vel eroſis

ſis ſucceſſive: de quibus vid. Nuckii Adenogr. p. 5. 149. 150. Bartholin. Anatom. p. 488. & Willis. Anat. Cerebr. p. 10. 11. 15. 26. 58.

Dolor autem capitis hic paroxyſmalis, præter adducta in Caſibus ſuperioribus, ab exundantia inprimis & propreſſione quaſi majore lymphæ acrioris in rupta vel eroſa ventriculi cerebri vaſa ſub paroxysmo febrili, derivandus magis nobis videtur. Plures de cœtero Caſus, parallelos aliquo modo, vide ſis apud Bonettum Prodrom. Anatom. Pract. de Dolore Capitis, qui ſi vel alii non inſerviant uſui, docebunt ſane ad minimum, in doloribus capitis pertinaciſſimis nulli remediorum generi cedentibus, vitium ut plurimum haud diſſimile prælaudatis, hincque incurabile prorſus, ſubtus latere & abſconditum eſſe.

OBSERVATIO XV.

Dn. D. MAXIMILIANI PREUSSII.

Venena hauſta feliciter curata.

A. 1706. Januar. d. 30. Infectoris cujusdam, N. H. filiolus 9. annos natus, fruſtum Arſenici, inter ſupellectilia patris demortui caſu improvido repertum, ignorans tale quid eſſe, contundit in pulverem luſu puerili medicinam inde facturus ac diſtributurus, cujus deinde, quantum cultelli capit cuſpis, fratri ætatis 6. annorum propinat, & ipſe quoque talem ejus doſin in vehiculo aquæ communis accipiens.

Vix deglutito hocce veneno, inſignem mox faucium, pectorisque conſtrictionem incurrunt, cum ſiti, roſionibus, ardoribus, & torminibus circa ſtomachi ventrisque regionem, ſedibusque brevi poſt pariter ac vomitibus enormiſſimis. Matre hoc animadvertente, inquirit in cauſam hujus mali, & ecce indicant materiam, de qua guſtarunt, agnoſciturque mox eſſe arſeni-

cum. Anxii hinc circa vesperam auxilium a me requirunt. Propino tunc mox ad temperandum, eluendumque iterum venenum, lac bubulum cum oleo amygdal. dulc. bihorio deinde elapso, Ess. stomach. & alexipharm. ac pro nocte deinde, lap. ℈ bezoard. oriental. crystall. montan. Matr. Perl. & ℥ ß. caryoph. in aqua menthæ, potiunculas itidem stomachico-cordiales ac cydoniatas. Externa itidem fomenta, stomachica & aromatica, nec non clysmata lactea & diascordiata &c. applicata sunt; sed frustra fere omnia, quin vomitus, sedes, reliquaque symptomata prædicta una cum febre ardente ac biliosa continuarent aut repeterent sæpius per aliquot adhuc dies. Tandem tamen remittebant citius quidem apud natu minorem, cum apud majorem natu longius adhuc perseverarent, inprimis quoad sitim, ardorem, æstumque febrilem continuum fere, apud quem quinimo d. 5. Febr. etiam accessit insignis rubor & intumescentia faucium totiusque vultus, anginoso- erysipelaceus quasi, quibus obviam itum est per gargarismata diluentia, discutientia, æstumque contemperantia, ac per frequentem usum potiuncularum ex aquis Card. Bened. Scorzoner. Scord. Rubi Idæi, cinnamom. buglos. Syrup. e toto Citro & Diascord. Fracastor. pulverumque e lapid. ℈. Crystall. mineral. Bezoard. Orient. ac Nitro, usque dum per sudorem & per diapnoën tumor ille & symptomata reliqua successive evanescerent, ut die 9. Febr. melius longe se haberet, lectumque desereret, postmodumque usu abstergentium, stomachicorum & traumaticorum ex integro successive per DEI gratiam convalesceret.

Parili fere ratione G. K. Institoris conjux suavissima 1711. d. 29 Octobr. succum araneæ, dum jusculum pararetur, cochleari improvide expressum, jusculoque sic commixtum, mediante hoc per incuriam hauserat, ruderibusque insecti hujus in fundo vasis animadversis, nauseam mox & anxietatem præcordiorum insignem contraxerat, virus se hinc accepisse certo sibi persuadens: quod animalculum alii tamen cum Listero de Aran. cap. 1. & 6. per morsum sive puncturam, vulnusque hinc inflictum saltem

tem nocere, non autem per os in ſtomachum receptum, potius aſſerunt. Facto hoc, in conſilium ſtatim vocatus, mox ipſi in vehiculo conſueto propino ℥ri emet. gr. iij, cumque trihorio inde elapſo nulla adhuc evacuatio nec *ἄνω* nec *κάτω* ſequeretur, copioſam porro ▽ butyratam probe ſalitam, tepidamque deſuper biberet, ſuadeo: unde brevi vomitus quinque cum euphoria ſubſecuti ſunt. Ne tamen vel imaginatio ſola, pejor ſæpius veneno, noceret, curavi inſuper, aſſumeret veſperi dimidiam partem potiunculæ ſequentis ex ▽ Scorzoner. & Scord. aa ℥ij. ▽ Cinnamom. bugloſſ. ℥ß Syrup. e toto Citro ℥j. Theriac. Androm. ℥ij, ac Boli armen. ℈ij. Miſc. Pro nocte vero pulv. bezoardico-alexipharmacum, & matutino d. 30. Octobr. tempore alteram partem potiunculæ prædictæ conſumeret juſſi; quo facto ſudor egregius cum euphoria ſucceſſit. Sequenti tamen die propino Eſſ. Alexiph. Dtam, &, ob torſiones obſtructionesque ventris una cum capitis dolore adhuc urgentes, clysma domeſticum circa veſperam applicavit, ſicque per gratiam divinam convaluit, integræque ſanitati reſtituta fuit.

Huic ſubjungere forte non nocebit ſequens recentiſſimum exemplum. Cum ſub extructione cryptæ cujusdam ſubterraneæ in Templo noſtro Mariæ Magdalenæo, ad arcas ferales cum corporibus demortuorum ibi condendas, filius Murarii ibidem primarii, C. R. ætatis 12. annorum, audacia & curioſitate inductus d. 15. April. anni currentis 1712. manum capulo cuidam ſemiputrefacto ibidem reperto immitteret, fœtore, horrore, & ictu quaſi mox perculſus inde fuit, hincque ſurſum in aërem liberiorem deductus, ſopore ac inſenſibilitate, palloreque ac frigore emortuali fere corripitur. Domum deinde deportatum variis foventibus & confortantibus excitant tandem, pulveremque mox domeſticum alexipharmacum quendam ipſi propinant, quem tamen vomitu mox rejicit iterum ac reddit. Interea temporis ego in auxilium vocatus, ordino ipſi Miſturam itidem ſuperius adductæ analogam ex Aqu. Scorzoner. ℥jß. Aqu. Cinnamom. bugloſſ. ℥ß. Diaſcord. Fracaſt. ℥ij. Syrup. e toto Citro ℥j. M. cujus medie-

tatem circa meridiem cum accepiſſet, vomitus quidem aliquos adhuc habuit, poſtea vero egregie cumque euphoria inſigni ſudavit. Pro nocte alteram partem illius potiunculæ hauſit, beneque hinc dormivit ac ſudavit iterum. Poſtero hinc die cum adhuc nauſearet, propinavi Tartari emetici gr. iij. cum pauxillo ſacchari, unde brevi poſt ſexies evomuit viſcida multa, bilioſa, & fœtida valde: quibus autem e corpore eliminatis plane pleneque reſtitutum ſe ſentit, hincque reliquis diebus ipſi porrigo adhuc aliquoties Eſſentiam Alexipharmaco-Stomachico-Nitratam, eaque curam omnem, per Dei Gratiam, feliciter abſolvo.

OBSERVATIO XVI.

Dn. D. MAXIMILIANI PREUSSII.

Clysmata blanda in Excretionibus cutaneis variis, cum Febre acuta & motibus convulſivis aut deliriis &c. alvi obſtructione inprimis juncta vel urgente, prorſus innocua.

HOc propria experientia multiplici feliciſſimaque apud plurimos, infantes potiſſimum, obſervavi, ſi Variolarum veſtigiis ſive maculis parvis, rubris & aſperis ſe jam exhibentibus, aut pure etiam ſatis turgentibus, alvus obſtructa, vel ſpaſmi aut motus quoque convulſivi &c. jungerentur, non modo non nocuiſſe, ſed nil magis contra hæc ſymptomata profuiſſe, quam Clysmata blanda, e. g. ex lacte vel aqua hordei, cum radice Pœoniæ decocta, butyroque & ſaccharo Thom. ſaturata, unde non ſolum obſtructiones & convulſiones ex voto ceſſarunt, ſed variolæ etiam majus incrementum cepere, & benignior totius morbi decurſus hinc ſecutus eſt. Quale quid & olim ſocer meus nunc beatus, Vir ſenex tunc temporis incomparabilis in medendo dexteritatis, ſucceſſus, & experientiæ, D. Godofredus Thiliſch, Patritius, & Proto. Phyſicus Vratislavienſis ſumme meritus, in uſu ſæpiſſime habuit,

buit, unaque mecum obſervavit, nec non experientiſſimus & ingenuus Practicus ac ſcriptor, Anton. Sidobre Tr. de Variol. & Morbill. cap. 14. p. 206. 208. una cum Bergero Excellentiſſimo Diſſert. de uſu Venæ Sectionis & Clyſterum in Curatione Variolarum §. 27. f. inprimis, ſimilia ſuadet, maximeque proficua expertus eſt.

Metuunt quidem aliqui, inter quos & ego meticuloſus olim, quia nondum uſu proprio tunc peritus ſeu expertus, Naturam ejusque motum ſecretorium & excretorium ad cutem, ſive peripheriam corporis, ſic impediri & aliorſum diverti, diſtrahi, aut avocari. Sed vano ſane metu mentisque conceptu, cum noſtra & aliorum experientia multiplex contrarium certe teſtetur, & a blandis ejusmodi demulcentibus ſeu foventibus & eluentibus inteſtina, hoc non ſoleat fieri, licet per draſtica & ſtimulantia valde, totamque maſſam ſanguineam & œconomiam corporis facile turbantia, id accidere poſſe & actu ſæpius evenire, nullo modo negaverim; quin quod & aliquoties ac nuper inprimis apud adultum etiam ſummi cujusdam Mercatoris miniſtrum N. M. cui medio ſub curſu Febris malignæ morbilloſo-petechialis, ex obſtructione ſimul alvi pertinaciſſima motus convulſivi cum deliriis atrocibus accedebant, Clysma blandum juxta cum internis bezoardicis & antiſpaſmodicis temperatis, præſentaneum levamen ac reſtitutionem ſanitatis attuliſſe, ſine macularum prædictarum hinc evaneſcentia, ſancte atteſtari poſſum.

OBSERVATIO XVII.

Dn. D. MAXIMILIANI PREUSSII.

Materiæ Calcis arthriticæ, ad Mammas cancrosas, Metastasis.

GEneroſiſſimi Excellentiſſimique Domini a F. Præfecti Generalis Diverſoriorum Cæſareanorum in Hungaria, Conjux, ſanguineo-cholerici aliquo modo temperamenti, ſub juventute vitæ caſtrenſi, diætæ lautæ ac ſpirituoſæ, venerisque exercitio valde dedita, media circiter ætate transacta, variis ſæpe corripitur malis, inprimis paſſionibus Aſthmatico - Hyſtericis, poſtmodumque doloribus nephriticis & arthriticis vagis, denique etiam nodoſis, cum pedibus oedematoſo-ſeroſis, ulcereque tandem tibiarum ſcorbutico, diſepulotico & valde diuturno. Huic autem jungebatur quoque tumor mammæ ſiniſtræ durus, ſpongioſus, cancroſus, ſucceſſive exulceratus, inque latum & profundum valde ſerpens, cum excretis ex illo præternaturalibus variis, partim glanduloſo-filamentoſis, partim purulentis, partim etiam ſanguinis mere coagulati interdum, imo calciformibus etiam, cum ſub ſenium nodi digitorum arthritici, eorumque concrementum duriusculum ac lapidoſum quaſi, diſparerent; manifeſto ſane indicio, vel materiam calcis reſolutam, ex artubus in maſſam ſanguineam reſorptam, & ad mammam cancroſam translatam, vel naturam, cum potens amplius non eſſet, recrementa ejusmodi ad extremitates artuum deponere, ad loca hæc cordi propinquiora patentioraque mammæ exulceratæ amandaſſe, inprimis cum morte A. 1708. Febr. 8. appropinquante, mamma non ſolum cancroſa cum muſculo ibidem pectorali, ſed & interſtitia coſtarum muſculoſo-membranoſa adeo eſſent conſumpta, ut conum cordis nudum, pulſantemque oculis manifeſto conſpicere liceret.

OBSER-

OBSERVATIO XVIII.

Dn. D. MAXIMILIANI PREUSSII.

Fœtus purissimus ex Matre Lue Venerea conspurcatissima natus.

ANno Æ. C. 1685. die 2. Augusti Nosocomio nostro, ad omn. Sanct. vocato, ob summam pauperiem inferebatur sutoris cujusdam H. G. S. uxor, octavo mense gravida, sed ex Venere, impura Lue cognomine, cum ulceribus profundis & putridis in Isthmo faucium, ac crustis ulcerosis pustulisque fœdis & magnis in capite, corporisque habitu universo externo diu summeque infecta. Cura hinc, cum salivationem requireret, differenda necessario erat, usque dum partu a fœtu liberata esset, id quod factum mense mox insequente Septembri. Fœtu fœminei sexus conspecto mirati sumus, quod nulla fœditate aut impuritate Venerea affectus esset, cum tamen nec genitalia matris a spurcitie hac gallica libera omnino, deprehenderentur.

OBSERVATIO XIX.

Dn. D. MAXIMILIANI PREUSSII.

Tumor Anevrismaticus genu sinistri, incisione tandem cauta feliciter persanatus.

INter Sancti Moniales Collegii Ursulini Vratislaviensis Laica quædam, ita dicta, nomine M. B. eo quod genubus frequentissime duriori in solio innixa prolapsaque, tumorem in genu sinistro contraxit molliusculum aliquo modo, densa tamen persistente desuper cute, successive magis magisque auctum, tandem-

que

que genu illud universum omnimode operientem, magnitudine mali Punici majoris, basis tamen latiusculæ, dumque in genua procumberet, uti & sub motu, hinc valde impedito, dolentem inprimis atque spasticos hinc motus subinde excitantem; de cætero ex rubro lividum tandem, ulcusculis quasi crustosis in superficie hinc inde refertum, minus tamen pulsantem, nec foveam, ad impressionem digiti tangentis relinquentem, multo minus dum manu premeretur, retrocedentem, illo scilicet tempore, cum post aliquot annorum intervalla, ex quo natus erat, Anno 1694. scilicet mense Februario nobis demum ostenderetur, socero nempe meo sæpius jam laudato, nunc autem Beato, tanquam ordinario t. t. sacri hujus Conventus Medico, mihique simul, ac Balneatorum Chirurgorumque hic Seniori, Johanni Georgio Lindnero, nunc pariter cœlitibus annumerato.

Præmissis proinde præmittendis, universalibus & Venæsectione revulsoria inprimis brachii sinistri &c. quoniam frustra hactenus topica varia discutientia & mitigativa fuerant applicata, proposuimus denique incisionem cautam exiguamque, mediante lanceola Chirurgorum per foraminulum, quale in sectione venarum formari solet, inflictum, ut appareret, qualenam contentum proprie subtus lateret, omnemque in eventum emergens hinc hæmorrhagia nimia per turundam stypticaque mox immissa, nec non optimam deligationem, statim iterum cohiberi posset, usque dum successive sanguis aliave contenta tutius emitti, vulnusque dilatari magis posset. Manum ergo hac ratione operi huic admovimus mane d. 19. Februar. Anni prædicti, levique punctura mediante Lancetta aperto sic tumore, sanguis mox fluidissimus ad ℔j. præter propter effluxit, sine magno tamen impetu prosiliendi, nisi sub principium & finem, qui collectus in vase figulino exiguum saltem grumum postmodum in fundo exhibuit, reliquo omni fluido floridoque prorsus manente, sine tamen seri alicujus secessu, aliter sane ac in Venoso fieri assolet. Tumore autem, doloreque mox abhinc notabiliter flaccescente ac diminuto, turundam, stypticaque aliqua vulnusculo immisimus, emplastroque

con-

conglutinante deſuper impoſito, membrum apte optimeque deligavimus, propinata inſimul interne, per intervalla ſæpius repetenda, potiuncula ex aquis cordialibus frigidis ac temperatis, præcipitantibusque ſic dictis ac nitratis, ad motum & influxum ſanguinis impetuoſum ſic inhibendum. Poſtridie aperto iterum per Chirurgum prælaudatum vulnere, parcior longe quantitas ſanguinis effluxit, injectoque liquore ſtyptico balſamicoque, de die in diem cruentus nunc ſaltem Ichor loco ſanguinis prodiens, tumorque prædictus valde diminutus, usque dum menſium fluxu ordinario ſe exhibente, paulo magis iterum increverit tumor, duriorque factus & inflammatus aliquomodo, dolorem etiam haud parum auxerit atque exacerbaverit. Quibus autem turbis iterum ſedatis, nulloque amplius ſanguine ichoreque prodeuntibus, turunda ex ſpongia compreſſa vulnus ſucceſſive magis dilatatum, ſicque d. 26. Februarii deinde ingens copia materiæ fœtidiſſimæ ex albo rubeſcentis, granuloſæ quaſi ac veſiculoſæ, per vulnus partim excreta, partim expreſſa extractaque fuit, ovario piſcium ſimillimæ aut globulis guttulisve ſanguinis arterioſi minimis, ſucceſſive erumpentibus guttatimque cohærentibus, ſive concretis ac invicem conglutinatis, fontemque anguſtioris forſan rupturæ aut Anaſtomoſis utriusque tunicæ arterioſæ obturantibus & conſolidantibus tandem, ob compreſſionem forte antea frequentem, dum in genua ſæpius procubuerat Monacha. Altero deinde die labia vulneris tumorisque hujus cruciatim prorſus diſſecuimus, cruſtamque albicantem ac mucoſam, patellam fere univerſam obducentem, in fundo hujus tumoris deprehendimus, qua per abſtergentia, mundificantiaque e Balſamicis Peruv. camphoratis, Mercurio præcipitato, melleque roſato &c. ſucceſſive conſumta, interneque corpore ac ſanguine per Eſſ. Myrrh. ℈ſat. Decocta lignorum cathartica ac Venæſect. optime depurato, vulnus ulcusque hoc mucoſum, mediante Maſſa Pamphilius nuncupata, tandem exſiccavimus, reliquisque topicis congruis, Deo benedicente, ſub finem Aprilis ad conſolidationem, ſanationemque plenam, multisque nunc Annis perſeverantem, ex voto perduximus.

OBSERVATIO XX.

DN. D. MAXIMILIANI PREUSSII.

Infantum recens natorum Tumores in capite lati & elati, ſanguineo- varicoſi, & ichoroſi interdum.

TAles non adeo paucos apud infantes quosdam recens natos obſervavi, difficili inprimis partu in lucem editos vel protractos, quando potiſſimum capite in carceribus oſſis pubis diu hæſerunt, ita ut hinc cutis violentia quadam partus, vel obſtetricis eam trahentis, a cranio ſecedere coacta fuerit, perque venas ſic compreſſas ſanguis a partibus refluus tranſire non valens, valvulas earum accumulatione ſua majori in majus latiusve ſpatium ſucceſſive distenderit, imo ad rupturam & effuſionem ſui intra cutis interſtitia disrupta adegerit, ſicque molliores ſacculos ejusmodi varicoſos ſanguine plenos, & corruptione interdum cruoris aliquali ichoroſos, in & per univerſum ſynciput alterutrum utplurimum extenſos, tandem formaverit, transparente per cutem hinc valde attenuata ſanguine fluido, atro-cœruleo ſeu venoſo, juxta modum parallelum tumorum ſanguineo-varicoſorum & ulceroſorum, in medio oſſis ſacri recens natorum infantum a me annotatum, & fuſius delineatum in Hiſtor. Morb. Vratislav. Anno 1701. p. m. 285. 288. & Ephemer. noſtr. Dec. II. A. VII. Obſ. 141. p. 278. de ſaculis lymphaticis, itemque a Severin. de Abſceſſibus reconditis p. m. 170-172. principio, de ſupervomitu Venarum &c. ac a Dolæo Encyclop. Chirurg. p. m. 1248.-1251. aliquomodo adumbratum. Curandi ratio inſtituta partim per fotus & ſacculos diſcutientes Cephalico-Nervinos in vino coctos, quibus tamen raro effectum exoptatum obtinuimus, partim per inciſionem tandem mediante lanceola a Chirurgis, qua majoris cautelæ gratia, pariter ac in caſu proxime præcedente, primitus exiguum ſaltem vul-

vulnuſculum fecimus, quale in ſectione venarum fieri ſolet, ſicque copioſus ſatis ex ſacculis illis emanavit ſanguis, isque nigricans, fluidus, & interdum ichoroſus, quo emiſſo ſucceſſive, abſceſſuque hoc ſanguifluo externis convenientibus ſtyptico - vulnerariis & abſtergentibus, mundificantibusque ſanato, aliqui evaſerunt quidem, plurimi tamen, poſtquam per aliquot dies aut ſeptimanas inde adhuc vixerant, convulſionibus tamen frequentibus prægreſſis, vitam poſtmodum cum morte commutarunt, & quidem tam illi, quibus Lancetta inciſus hic tumor, quam quibus non apertus, ſed per diſcutientia, fruſtra ſaltem ut plurimum, tractatus fuit.

(*Vratislavia Auguſtam Vind. d. 18. Jun. A. 1712. miſſæ.*)

OBSERVATIO XXI.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De
Viribus aquæ vitæ.

AQuæ ardentis uſum etiam antiquis temporibus in Medicina locum habuiſſe, teſtatur Jo. Mich. Savanarola in libro de ea conſcripto. Ejusdem uſum ego quoque pluries feliciter expertus ſum. Ad ulcera optimam eſſe obſervavi; etenim ſine tanto unguentorum apparatu, ſola impoſitione ſpiritus vini & mundificatio & incarnatio ſucceſſit. Ita ſimplices contuſiones eadem curatas non ſemel vidi. Vulnus ea curatum in milite notavi in Miſc. Nat. Cur. Dec. 2, Ann. 10. Obſ. 134. Hæmorrhagiam contumacem ab evulſo dente molari in quodam ruſtico ſola ea cohibui. Scabiem curatam ſola, ſed frequenti, lotione cum aqua vitæ A. 1711. in quadam adoleſcentula, ab omnibus unguentis abhorrente deprehendi. Vomitum in muliere gravida immanem uſu ſpiritus vini extra & intra per plures dies adhibiti compeſcui. Famulus quidam eryſipelate phlegmonode in dextra manu labo-

rans meo consilio eum parti affectæ apposuit, unde dolor ac inflammatio cessavit. A. 1710. tumores quidam genarum cum dolore dentium populariter grassati sunt, quos feliciter curavi internas oris partes sæpe cum eo eluendo, unde salivatio suborta morbum fugavit. Honesta quædam fœmina annorum 40. hinc inde in coxis, brachiis, utroque cubito & dorso maculas habebat elevatas, rubras, asperas & serpentes, atque de novo subinde erumpentes, quam prius purgato corpore, sola frequenti lotione aquæ vitæ sanavi. Impetiginem in facie & collo, sola hac, in qua tartarus fuerat solutus, appositа bis sanatam vidi. Vir quinquagenarius molestе hæmorrhoidum dolore conflictatus cum modica inflammatione, adhibito cataplasmate, ex cepa cocta & aqua vitæ parato, intra biduum sanus evasit.

OBSERVATIO XXII.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GARLIEP Van der MÜLLEN.

De *Bubonocele periculosa.*

PHilippina honestorum Parentum filia proba, natu Palatina, teneræ constitutionis, sexto forte ætatis anno, Parentibus ob Gallorum, Palatinatum invadentium, tyrannidem extorribus extra patriam denatis, orba, a cognata quadam consulis uxore in familiam suscepta, & sat rigide educata, servilibus & pro ætate ac viribus nimis gravibus laboribus exercita, decimo quinto ætatis anno ab onere nimio, cui tollendo impar, dolorem cum aliquali tumore in inguine sinistro sensit, qui postea in bubonem excrescens, dein inflammatus in apostema transiit, obstructionibus, febri, torminibus, aliisque symptomatis, superveniente quoque interdum Ileo, horrendis stipatum; tandem post unius alteriusve diei moram, perforato bubonis cacumine, tribus successive inde erumpentibus lumbricis, spithamam & ultra longis, exulceratum,

ceratum, quod diu saniem purulentam cum quibusdam excernendorum indiciis fœtidis eructavit. Hera neglectius licet illud tractante, remediis quibusdam domesticis, interque ea decocti herbarum quarundam dubio procul vulnerariarum, usu, Dei potissimum gratia & ætatis juvenilis, si quid illa contribuere valuit, beneficio, ulcus illud diuturnum ac periculosum tandem coaluit. Ipsa sanitati quidem aliquatenus restituta, variis tamen infirmitatibus ac accidentibus subinde infestantibus obnoxia. Tandem ab Hera illa severa dimissa, Berolinum venit, novoque ministerio paulo tolerabiliori mancipata, triennium fere firmiori valetudine gavisa. A trimestri autem malum illud tamdiu sopitum recrudescere cœpit, occasione nimirum rursus oneris nimii elevati, a quo in dolores colicos aut Iliacos, quantum recordatur, denuo incidit intolerabiles, quibus sub hypochondrio sinistro ad inguen usque vergentibus, & immensum dies noctesque torquentibus, gravissime afflicta; obstructionibus quoque alvi pertinacibus in perniciem simul conspirantibus, eodem, quo ante inguinis loco, prope cicatricem ab ulcere priori relictam, tumor rursus bubonem, aut bubonocelen potius, mentitus, emersit. Adhibentur, uti solet, in talibus ab astantibus egenis, graves in Medicos, Pharmacopolas, & Chirurgos, erogandas impensas vitantibus, rursus domestica & euporista tam interne, quam externe, sed frustra: tumor enim ille, neutiquam iis cedens, indies potius augetur & altius adtollitur, ac gravia illa symptomata magis ingravescunt, gemente interim & miserandum ejulante ægerrima & miserrima patiente: demum & vomitus fœtidi superveniunt, Ilei instantis prodromi haud obscuri. Solicitor tandem, eousque cum deventum, ut opem ægræ feram. Symptomati itaque urgentiori, ut aliquomodo saltem occurrerem, subventurus, primum Enema satis validum emolliens ac stimulans, in Pharmacopolio Regio parandum, & protinus applicandum ordino, sed irrito effectu. Paratur postea, me inscio, a Chirurgo pauperum, ex mera urina, sale & oleo aliud, sed eodem successu; accurritur denuo ad me, præscribo cataplasma, valide admodum emolliens, tumori aliquoties calide adhibendum, cujus

ope cacumen tumoris ſub epidermide aliquatenus attenuatur, quo audito, enema aliud validius præſcribo, paulo poſt iteratam cataplaſmatis applicationem adminiſtrandum, pro alvo pertinaciter adeo aſtricta magis lubricanda & ad viam ordinariam ſolicitanda. Quo vixdum peracto, Bubo ingenti cum fragore, diſploſæ inſtar bombardæ, præſente & aſſidente Chirurgo, crepat, atque copia inſignis ſtercoris liquidi, cum pure admodum fœtido, tandem & injecti enematis liquore ſuccedente, effluit. Unde mox inſigne levamen cruciatuum, quibus miſerrima hactenus torta, obortum. Deterſo tandem ſolicite ſqualore, ulcere mundato, ac rite penſato vulnere, ut & propinatis interdum vehiculo commodo guttis aliquot Eſſentiæ traumaticæ D. Wedelii, alvus demum ad officium debitum rediit, conſueta via recrementa ſecernens & eliminans. Vulnere itaque medii fere digiti longitudinem ac transverſi latitudinem æquante, ſicque transverſim ab inguine ad pubem deſcendente, Chirurgorum duorum dexteritati ac ſolicitudini commiſſo, ſub ſpe recuperandæ propediem ſanationis, ac integræ tandem valetudinis ulteriori me ejus curæ ſubducens, pene reſtitutam deſtitui.

(*Berolino Auguſtam Vind. d. 28. Junii A. 1712. miſſa.*)

Poſtea inaudivi, illam aliquandiu ſatis incolumem vixiſſe; verum haud ita pridem recidivum eſſe paſſam, ac malum illud recruduiſſe, quo eventu, cum in auxilium non fuerim vocatus, ignoro. (*idem d. 6. Maji A. 1713.*

OBSER-

OBSERVATIO XXIII.

Dn. D. ANTONII VALLISNERII,

De

Vomitu mulieris 95. annorum, meracæ bilis, & viscosissimæ pituitæ, non eodem tempore, sed eadem die.

MOnialis 95. annorum, febre Tertiana duplici spuria laborans, vomebat sæpius meracam bilem, aut viscosissimam pituitam, non eodem tempore, sed eodem die.

Quæritur primo, quomodo bilis exuberaret in tam vetusta ætate? secundo, quomodo humores diversæ indolis impermixti eodem die rejicerentur.

Fas est opinari, non attingere id ævi, nisi homines optimam corporis constitutionem a natura sortitos, qui præterea moderate, ac placide vivant. Ii mores, ea corpusculi firmitas, inerat Moniali propositæ. Læta quædam oris gravitas, & rubor candore fractus vix annos fatebantur. Elucebat in dictis, factisque prudentia mirifica, & sanctitas, tenor animi pacatissimus, quæ omnia temperiem sanguinis præclaram arguunt. Itaque fons iste spirituum, & alimoniæ, adinstar vini generosi antiquioris, retinens non minimam partem sui roboris, ex accessu chyli, tanquam musti, quotidie renovatus eum fervorem concipiebat, qui sufficeret regimini œconomiæ animalis, ideſt, exaltandis separandisque pro more biliosis moleculis, cæterisque functionibus, licet languidius, adimplendis, quemadmodum videmus flammam usque ad extremos igniculos separationem fuliginum facere. Scimus vetusta olea coire in balsamum: ita sanguis, nonnihil densatus annorum cursu, acriores particulas intimius sibi alligat, neque sinit ita facile, ut juvenibus, eas evanescere: quantum enim biliosæ subtilitatis ex laxiore sanguinis compage in auras elabitur? constitutio senilis paucas quidem, ut ita loquar, divitias habet in

sangui-

sanguine, sed parca magis manu illas profundit, & ne immaniter evolent, lenitate motionum efficit. Sed vetula nostra, propter occursum aëris frigidioris, passa pororum cutis occlusionem, & ex ea febrem, uberiori bilis emersioni ansam dedit, quatenus expirare vetitæ auctiores, & tenuiores fluidorum partes exagitarunt vehementius solito massam sanguineam, & tanquam indito fermento relaxarunt. Hinc citatior uterque motus, intestinus nempe, ac circularis, abundantiorque per glandulas hepatis secretio, tum quia ubi major velocitas secretionis, ibi etiam plus liquoris segregati, tum quia promtius, copiosiusque occurrebant biliosæ moleculæ cribrantibus osculis exaltatæ, & ut ita dicam evocatæ, atque ad discessum a vinculis agglomeratæ media febrili fermentatione. Ut Apes seditionem passæ turmatim evolant ex alueolis suis, ita particulæ bilis ex abditissimis specubus massæ sanguineæ, facto agmine, moliuntur discessum. Observare est in plerisque febribus biliosas excretiones, quæ febris potius effectus sunt, quam causa, febreque interdum per chinam chinam, aut alio ingenio sublata, illico desinit flava ejusdem colluvies. Quamobrem ex duplici fonte manavit in nostro casu proventus bilis, primo ex naturali sanguinis probitate excitandis biliosis particulis adhuc idonea: secundo ex febre sanguinem acuente, & sollicitante ad copiosiorem, quam par erat, ejus humoris separationem.

Quod autem impermixtus exierit, ex ejus levitate, & phlegmatis viscosioris densitate, ac pondere, ratio facilis deduci potest; liquores enim in eodem tubulo, specificam gravitatem diversam habentes, haud solent permisceri.

Arduum est, determinare, quomodo constaret vis naturæ in elaboranda bile, ventriculus autem inerti, glutinosoque phlegmate gravaretur; bilis enim robur quoddam videtur addere coctioni, & extenuando chylo adiumentum.

Credibile est, acre illud, quod stomacho indidit natura pro subigendis alimentis, annoso labore defatigatum, cruditatem effecisse, ad quam emendandam bilis afflatus satis non esset, & po-

tentius

tentius remedio vitium esset. Bilis quoque ipsa, inter febrem genita, vitio aliquo texturæ, aut motus non carebat: ut autem in Republica cives mediocritatem egressi potius sunt legibus impedimentum, quam tutela, ita bilis excessu aliquo peccans, quam Hippocrates *meracam* vocat, turbandæ coctioni aptior est, quam fovendæ. Præterea bilis etiam, cum bene habet, vi gaudet saponaria, & chylum diluente, non solvente, nec naturaliter ingreditur ventriculum in hominibus, ut ipsum abstergat, sed eam operam solis fert intestinis, aut succis venas lacteas trajectatis. Forte etiam in nostro casu a succo pancreatico frangebatur, ut potius bilis colorem servaret, quam energiam, aut vis menstrui coctrix, quæ stomacho in hominibus insidet, constat quidem sale volatili, sed benigno, non turbativo, & fibras vellicante, qualis inest bili. Nunquam minor coctio, quam febris tempore, cum regnat hic humor. Et tandem dici potest, genitum esse in ægra nostra chylum glutinosum etiam tempore sanitatis, nimirum propter senescentem attritionem, aut coctionem, ex illo tamen delibari a venis lacteis, excribrari, & veluti deligi potuisse portionem tenuiorem, quæ officio hepatis secretorio uberem satis materiam submini-strasset, cum præsertim venienti extra ventriculum chylo bilis occursus opis aliquid attulisset. Difficile itaque non videtur, posse stomachum crudis succis scatere, non cohibito interea, imo adaucto bilis proventu.

Mo.Bot. Garden,

OBSERVATIO XXIV.

Dn. D. ANTONII VALLISNERII.

Hydrops ascites raro cum siti, & paucis ante mortem diebus perenne roris limpidi depluvium a cruribus.

VIrgo vestalis annorum 50. mortua ex hydrope ascite. Eo morbo laborans raro sitiebat. Post mortem, antequam humaretur, exauctus venter in molem solito ampliorem. Paucis ante mortem diebus crura inflata emittebant e minimis porulis rorem limpidum, a quo in variis locis vesiculæ elevabantur, quæ abruptæ ostendebant in cute surgentes guttulas perenni quodam depluvio pavimentum ipsum madefacientes. Per hoc effluvium tumor crurum imminutus est: supremo die nihil effluxit.

SCHOLION AUCTORIS.

CUr parum sitiebat Virgo ascitica? Cum esset melancholica, multum comederet, & jamdiu menstrua defeciissent, suspicari fas est, crassitie sanguinis, atque lentore Chyli laboraviisse: hinc paulatim glanduloforum viscerum, imo ventris infarctus, qui probabiliter intra tumorem asciticum delituerant, nec enim medicum consuluit, nisi admodum sero, cum omne abdomen summe esset distentum. Itaque lentescens textura sanguinis, nec minus in motu expedita, cum insuper a tumentibus hac illac in ventre glandulis vascula sanguinea comprimerentur, tubulis quoque chyliferis non parum impeditis, credibile est, ex tumescentibus vasis seri sanguinei, atque chylosi partem aliquam secessisse in abdominis cavum, paulatimque collectam ex eo fluxu illuviem serosam, quæ demum in id molis excreviisset. Cum vero compressa quidem fuerint vascula fluidorum, sed non disrupta, pars

aliqua

aliqua tenuior ſeroſi laticis minus aberrans ab ea curſus naturalis directione, ad quam ab inſequentibus undulis impellebatur, ſuppeditabat fontibus ſalivalibus, quot ſatis eſſet ad ſitim retardandam; cum præſertim pars ejus gravior, & magis ſalſa hæſiſſet in tranſitu abdominis glanduloſo tartareis mucis referto, non diſpari fortaſſis eventu, ac aqua maris, quæ in anguſtioribus terræ, per quam tranſit, meatulis, ut nonnulli autumant, ſalſedinem exuit. Poſtremis tandem diebus corroſis forte vaſis chyliferis, & ſe deplentibus in lacum aſciticum, contabeſcere partes ſuperiores, & ductus ſalivales aridos fieri, neceſſe fuit.

Sed cur crura ſero redundabant, dum ſuperæ partes erant ſicciſſimæ?

Id fortaſſe pendet ex vaſorum ſitu: cum enim venæ inferiores, & vaſa lymphatica ſurſum revehant latices ſuos, iſtique ſint, tum propter ſtatum cruditatis, & craſſitiei ſegniores in aſcenſu, tum propter comprimentes vaſorum tunicas, tum propter tumoris aſcitici impedimentum, facilis accidit humorum in cruribus retardatio, & tandem ſtagnatio ſeroſi laticis, cum hic præcipue & languidum habeat impulſum ad motum in vaſis lymphaticis, vel ſaltem languidiorem, quam ſanguis, hinc facilime per arteriarum oſcula, aut lateralia, ut nonnullis placet, aut in earundem extremis ſurculis hiantia exudet in interſtitia partium, ubi earum compages laxior eſt, ibique lacunet. Areſcunt autem in ſuperioribus partes, quia latex ille caret particulis oleoſis nutritioni aptis, abundatque vitioſis, eas potius abradentibus, quam reparantibus. Abeſt quoque illinc impedimentum comprimens vaſa. Num vero ex fonte ipſo aſcitico arteriarum deſcendentium rivuli elutriarent portionem quandam in cruribus relinquendam, judicent alii. Videtur tamen id evincere hiſtoria nonnullorum hydropicorum, qui apertis cruribus, & large aquam fundentibus convaluerunt.

Cur magis intumuit poſt mortem? Fortaſſis omne ſerum, quod in venis continebatur, in proximas glandulas, muſculos, & cavitates effuſum eſt, concreſcente ſanguine, ac ſpiritibus orbato.

ita Louveri experimento conſtat, trunco venæ cavæ, aut venis jugularibus ligatis, proximas partes ſero turgere. Concretio autem, aut frigus ſanguinis morientis parum diſtat a vinculo. An potius antea tumidas magis dilatavit?

OBSERVATIO XXV.

Dn. D. ANTONII VALLISNERII.

De

Abſceſſu in capite, ac inde morte poſt profligatam Chinachina tertianam.

VIr nobilis craſſi corporis habitus febrem tertianam diuturniorem, ſumpta Chinachina, repreſſit. Paulo poſt dolor capitis nullis cedens remediis. Poſt quatuor menſes adhuc dolore laboravit, nunc mitius, nunc ſævius infeſtante: tandem per aures pus craſſum, & album apparuit, ſed cito evanuit, perſeverante in ipſis auribus tinnitu, qui a doloris initio eas occuparat, non ſine aliqua etiam oculorum, & viſus hebetudine. Occluſis auribus excerni cœpit per os materia phlegmatica, nunc craſſior, nunc tenuior, aliquando nonnihil infecta ſanguine, aliquando pura, aut cum ichore purulento, qui jam a duobus hebdomadis perſeverat exire in mediocri quantitate. Poſt purulentos effluxus dolor mitior viſus eſt, ſed a duobus diebus recruduit, adhuc eodem ſputo fluente, & Medicis non parum metuentibus novam in cerebro ex abſceſſus materia eroſionem fieri. Dum vero expectamus eventum pro ulteriori narratione: Obiit patiens, ſuperveniente ſingultu, & diarrhœa cum Maraſmo,

OBSERVATIO XXVI.

Dn. D. ANTONII VALLISNERII.

De

Vrina potus diversa ab urina Sanguinis, hinc viis diversis.

VIrgo Vestalis dolore Renum, arenulis, & paucitate urinæ laborans, sumpta juxta usitatam methodum aqua Blandulæ (ut Bacii vocabulo utar) facile, & cito illam totam nullo infectam colore, aut sedimento reddidit. Transacta una, aut altera hora ab excretione aquæ, redibat pauca quidem, sed pro more colorata, & fæculenta urina, quasi aqua Blandulæ, sive Brandulæ, (uti eam nos vocamus) per aliam viam transisset magis nitidam, urina vero per sordes iter fecisset, quod etiam conjici potest ex quantitate urinæ, quæ post effluxum aquæ mineralis non minus, quam antea imminute, ac parcissime fluit. Videtur itaque patulum esse iter aquæ mineralis, non autem urinæ sanguinis.

OBSERVATIO XXVII.

Dn. D. ANTONII VALLISNERII.

Alvo styptica, urinæ quantitas diminuta, obediente copiosa, contra Aphorismum Hippocratis.

PErpetuum est in viro sano, & prudenti experimentum, post alvi excretionem, copiosam urinam fundere, tum prima vice, tum pluribus aliis, brevi temporis intervallo. Nec dicas exonerato intestino amplius non impediri compressione vesicam urinariam quia hæc suspicio tantum valet de prima effusione urinæ, non sequenti, quæ postea descendit in vesicam. Comprimi certe vi-

te videntur viæ ſuppeditantes veſicæ copiam urinæ, non ipſam veſicam tantum, cum ſæpius poſtea repleatur, & ſe exoneret. Itaque diebus, quibus alvus penſum ſuum ſoluit, large fluit urina, cum ſubſtyptica eſt, modice, contra Hippocratis Aphoriſmum, juxta quem *multum mingentes, pauca dejiciunt.*

OBSERVATIO XXVIII.

Dn. D. ANTONII VALLISNERII.

De

Vi diuretica Decocti Saſſaphras in deſperata Hydrope.

MOnialis annorum 60. palpitationi cordis obnoxia, laborabat hydrope tum ventris, tum artuum cum ſumma urinæ penuria, & rubedine lixiviali. Diu chalybeatis, terebentina, aliisque diureticis nequicquam uſa, cum in vitæ deſperationem deveniſſet, & mors in proximo putaretur, aſſumpſit ex præſcripto noſtro Decoctum Saſſaphras bis in die, cujus beneficio cœpit paulatim fluere urina, & in dies copioſior facta adeo tumorem omnem exhauſit, ut egomet vix oculis meis fidem haberem, cernens ægram penitus ab hydrope liberatam.

OBSER-

OBSERVATIO XXIX.

Dn. D. ANTONII VALLISNERII.

De

Chinæchinæ vi mira in febre tertiana mali moris.

JUvenis annorum 27. Tertiana laborans, dum æstas aderat, incidit in decursu quartæ accessionis in copiosum sudorem frigidum, cum una aut altera dejectione alvi liquidissima: pulsus omnino imperceptibilis, facies Hippocratica, vox languida, æstus ingens interius. Aderant plures Medici, convenimus ad Chinamchinam confugiendum, qua statim assumta, & pluries repetita, quinta accessio non rediit, & æger bene habuit & habet hactenus. M. Augusti convaluit sine recidiva.

SCHOLION AUCTORIS.

REs ipsa evincit, a succo quodam acriori, os ventriculi vellicante ac dissolvente, spirituum deliquia, frigus & tenuem sudorem ortum habuisse: hinc a substantia Chinæchinæ substyptica, subamara, & penetrante ac subintrante succos illos salinos datam iis densiorem arctioremque texturam, ut facile postea a natura subigerentur, atque sensim expurgarentur.

OBSERVATIO XXX.

Dn. D. ANTONII VALLISNERII.

De

Liene cani exemto.

ILl. Dn. D. Vallisnerius d. 7. Februar. An. 1707. canem, cui lienem ante quinque annos exciderat, interfici curavit, ut quid

inde

indeipſi acciderit, obſervaret, præcipue cum celeberr. D. Joh. Baptiſta Morgagnus, amicus ejus optimus, commode Patavium tum adveniſſet. Pilos ille habebat ruffos, eratque mediocris magnitudinis, & ex illa canicularum venaticarum ſpecie, quam Hiſpanicam vocare ſolent. Semper admodum agilis, velox, & in currendo indefatigabilis, hilaris, & magis pinguis quam macra, vorax, animoſa, ædiumque ac Domini ſui fidelis cuſtos fuerat; extra ædes inprimis immorigerum ſe præbebat, multum latrabat, & fere omnes, quos non cognoſcebat, potiſſimum vero ruſticos ac pauperes morſu petebat; fœcundiſſima fuit, ſæpiusque peperit; cujus fœtus præpingues, & omnes integro liene prædiți erant. Id unicum D. Vallisnerius obſervaverat, quod interdum ſe contorquebat, & improviſo vociferabatur, quaſi doloribus vagis in ventre torqueretur; quamvis D. Vallisnerius ſemper judicaverit, quod ab hernia ventoſa aut peritoneo rupto in eo loco, ubi pro liene eximendo ſectio fuit peracta, id proveniret; quia ibidem tumor aliquis nuce major cernebatur, qui obortus eſt, poſtquam in vulnere conſuendo canicula valide ſe contorquendo, impedierat, quo minus peritoneum ſimul uniri potuerit. Cum poſt mortem aperiretur, totus ille tumor candida pinguedine prorſus repletus adparebat, & peritonei ruptura clariſſime ſe oſtendebat. In loco, ubi lien ſitus fuerat, in parte inferiori inventa eſt ejusdem minima particula, parvulo venæ ramo adhærens, quæ ſcrupulum unum cum dimidio pendebat; atque a D. Vallisnerio ac D. Morgagno attente obſervata, particulam lienis in ejus evulſione fortuito relictam eſſe evidenter adparuit. In evulſione, inquam, poſtquam D. Vallisnerius in aliis ejusmodi experimentis ſemper deprehendit, quod tali modo magis evadunt, quam ſecando & ligando, fortaſſe quia non fiunt violentiæ & partium attractiones, quales in ligaturis accidunt; imo neque hac ratione notabilis hæmorrhagia ſequitur ex vaſis, quæ in ſeipſa ſic reſiliunt, & cum membranis ſuis conniventibus oſtium ſanguini exituro ſic præcludunt; operatio etiam ſic celerius, & minori cum moleſtia perficitur. Eligit canes nec nimis juvenes, nec ſenes, ſed potius qui ætatis

tis adhuc sunt teneræ, & etiamnum crescunt. Sectionem musculorum non instituit per transversum supra lienem, quia vulnus nimium sanguinis effunderet, sed magis versus, aut etiam in ipsa linea alba.

Arteria splenica & venæ optime cicatricem induxerant, neque caro aliqua, aut aliud quid notabile superaccretum fuerat.

In vena portæ, pancreate, hepate, aut aliis partibus ventris inferioris, nulla mutatio aderat, omniaque perfectissime sana comparebant. Omentum totum pingue, & ubique plus pinguedinis, quam alias in similibus canibus, aderat.

Ad bilis contemplationem ubi deventum, multum ab alia bile quoad colorem differebat, sive id per accidens, sive ob defectum fermenti lienosi contigerit: Tabaci aut Caffe obscurioris coloris erat, nonnihil ad rubedinem tendentis; sed gustata, instar alterius, amara, similisque consistentiæ fuerat.

Ex quo elicitur, vere aliquem usum habere in imponendo, ut sic dicam, bili ultimam manum, tincturam & perfectionem. Non tamen adeo necessarium esse, ut vires bilis detersivas efficaces absentia ejus corrumpat, cum bilis sine illius fermenti auxilio esse queat, quod forsan meliorandæ ei, non producendæ inservit.

Metus multorum egregiorum Virorum, quod talia animalia splene orbata raro supervivant, propemodum est vanus, postquam hæc canicula quinque annorum ætatem habuit, atque visceribus & robore suo monstraverat, diutius multo vivere, atque, ut sic dicam, ad caninam senectutem pervenire potuisse.

Corruit insuper opinio illorum, qui arbitrantur, tales macrescere; & aliorum, qui infecundas fieri credunt, quod nigrum hoc viscus ad magnum seminis opus aliquid contribuat; & tandem, qui sæpius tales urinam emittere notant, cum hæc nostra more aliorum canum in urinando se gesserit.

Relinquitur campus ingeniis perspicacioribus, desuper suas meditationes instituendi, cum exiguam illam particulam & quasi umbram saltem visceris fortuito relictam, potuisse, ob suam extremam parvitatem, usus visceris exercere, non sit credibile.

OBSERVATIO XXXI.

Dn. D. ANTONII VALLISNERII.

De

Foramine aculei in Scorpione Africano.

AN apex aculei Scorpionis sit perforatus, intricata est quæstio, quibusdam affirmativam tenentibus, aliis constanter negantibus. Hos inter Galenus l. 6. de loc. aff. c. 5. dixit, non habere ullam aperturam, & Ludov. Locatellus in theatr. arcan. chim. cum eo concludit: *Scorpius nullo fuso veneno, sed tantum aculeo caudæ aut interitum, aut grave negotium percussorum vitæ facessere.* Inter illos Plinius, Tertullianus, S. Hieronymus, S. Basilius, Ælianus, Græcus Nicandri Scholiastes, Gorræus, Aldrovandus & alii, quos inter D. Franc. Redus in suis experim. de Insect. & & P. Phil. Bonannus S. J. in Microgr. cur. cap. 6. perforatum esse adserunt. Dn. Redus equidem illud adstruit conjectura aliqua permotus, dum casu videbat aliquando comparere in apice Scorpionis Tunetani minutissimam & fere invisibilem guttulam aquæ candidæ, ex quo concluſit, illum perforatum esse debere: sed quantam etiam diligentiam cum microscopiis exquisitissimis adhibuisset, nunquam foramen videre potuit. Doctissimus P. Bonannus fidem in hisce dedit D. Redo, & prout scribit, *hujus veridici auctoris observationem amplector*, firmiter credens cum aliis, *aculeum scorpionis usque adeo insensibiliter perforatum esse, ut omnem oculi aciem foraminis illius structura effugiat.* Sed certe res aliter se habet, quia D. Vallisnerius illud optime vidit. Causa erat, quod cum exquisitissimis suis microscopiis verum situm foraminis illius non observarent, dum in extrema summitate aculei illud esse credebant, quod tamen in laterali ejus parte occurrit, idque provido naturæ consilio; cum, in extremitate si foret, tria exinde incommoda pro fine suo obtinendo sequerentur: (1) quia non tam acutus aculeus redderetur, neque

in

in tam ſubtiliſſimam ſubtilitatem in circumferentia vel diametro foraminis, quæ requiritur, terminaretur, (2.) fragilis admodum foret, utpote in cavitate illa debilitatus, (3) in intruſione in carnem nimis facile ab omni occurrente minima materia occluderetur. Unde ſapiens natura propter ſublimes ſuos, nobis incognitos fines, foramina in lateralibus partibus in triangulari forma elaboravit, ne ullum prædictorum incommodorum ſubſequi poſſet, quando, ut Tertullianus in Scorpiaco loquitur, *arcuato impetu inſurgens hamatile ſpiculum in ſummo, tormenti reſtringens*, vivens aliquod vulnerat. Idem jam ante duodecim annos, & cum eo Rev. P. Caſatus, Monachus Caſſinenſis, vir omni fide & æſtimatione digniſſimus, viderat.

Neque ſolum in ſcorpionibus Tunetanis, & Ægyptiis, ſed in Italicis etiam, quamvis pro corporum proportione multum minora foramina hæc obſervavit, quæ etiam venenum quaſi innocens emittunt: Eadem non minus A. 1707. Bononiæ Dn. Ferdinandus Antonius Ghedinus vidit, in literis ad D. Joh. Bapt. Morgagnum ſcribens: *D. Vallisnerius ſcorpionem Tunetanum miſit D. Stancaro, qui eum in Academia monſtravit, dixitque, deprehendiſſe D. Vallisnerium in aculeo tria lateralia foramina, per quæ, non in extremitate ejusdem, venenum exeat: reſcire deſideravi, num idem in ſcorpionibus vulgaribus ita ſe haberet, in quibus ob parvitatem eorum difficilius idem deprehendi poteſt. Et licet tam per analogiam, quam per multa inſtituta experimenta idem certum eſſe tenerem, nihilominus die Mercurii & hodie rem tam claram vidi, ut ſine mora id tibi indicare voluerim, quo D. Vallisnerio, ſi tibi videatur, notum facias, qui ſi fortaſſe & ipſe illud, ſicuti facile eſſe poteſt, obſervaverit, meus ſaltem animus ipſi probetur. Modus, quo experimentum feci, talis fuit: Ultimum nodum caudæ una cum aculeo parvula volſella arreptum in manu ſiniſtra, dextra vero bonum microſcopium tenui, & ita conſtringendo, ut venenum proſilire cogeretur, manifeſto vidi, primo ex inviſibili foramine illud prodire, quod apici aculei quam proximum erat, poſtea etiam ab alio remotio-*

re; & ſum certiſſimus, duo ad minimum eſſe foramina, per quæ venenum exeat; an vero tria vel plura ſint, neſcio &c.

Refert D. Vallisnerius, quando Joh. Swammerdamius in ſua hiſtoria Inſect. gener. de quodam ſcorpione hirſuto & terribili, deſcripto & delineato in ejusd. libri pag. 147. ad ipſum ex India Orientali delato, rem aliquam diverſam a ſuis Tunetanis, cum alter ille tres nodos in cauda, hi autem, ut & noſtri ſex habeant. Dicit, ſibi eſſe alium aliquem ex America, cujus cauda in quinque articulos dividitur; unde in hiſce naturæ luſus eſſe videtur, ſed non in aculeo, quem omnes poſſident, nec in foraminibus, de quibus Swammerdamius in hoc loco aliisve, quantum ſcit, nullam facit mentionem. Multi usque ad decem articulos habent; & creditur a Plinio aliisque antiquis, quod illi ſcorpiones, quibus plures articuli aut nodi in cauda ſunt, magis venenoſi exiſtant; quod D. Vallisnerius deridet, alii duos interdum adeſſe articulos referunt, id quod luſum quoque eſſe naturæ credit, uti duas caudas in Lacertis, & plures quam duos dentes vulnerantes in Viperis.

OBSERVATIO XXXII.

Dn. D. ANTONII VALLISNERII,

Mirus veſicularum partus.

FEmina ætatis annorum 43. temperamenti melancholici, dolori pungenti in dextro hypochondrio ſemper, adparentibus menſtruis, expoſita, cum flatibus, & interdum vomitu a levi occaſione facile excitato, novem annorum ſpatio quatuor filiolas, & unum maſculum, mercatori ſeptuagenario nupta, peperit. Dum ultimum hunc, texturæ venuſtæ & debilis, cum multo majoribus incommodis, quam vires ferrent, lactabat, præter ſalsacrem ad fauces defluxionem, & multos ventris dolores, elapſo Februario omnimodam menſium ſuppreſſionem paſſa eſt, qui

alias

alias in eadem ægra, ſimilibus in caſibus non modice comparere ſolebant, in menſe autem Martio, Luna creſcente, denuo notabiliter fluxerant, & ſimul antiquus dolor in hypochondriis, majori cum moleſtia rediit, cum flatibus, cordis oppreſſionibus, inappetentia cibi, vomitu, febricula aliqua noctu increſcente, & urina ſaturate rubro colore tincta. D. 16. dicti menſis Medicus N. N. in auxilium vocatus, cum notabiles ſanguinis grumos quotidie exire obſervaret, gravidam eam non eſſe probabiliter credidit, eamque primo lenibus purgantibus, & poſtea humectantibus, validisque aperientibus, nec non venæſectione in pede curavit. D. 22. Aprilis alius inſuper Medicus conſultus fuit, qui adhibita remedia, ſymptomatum pervicaciam, & ſpeciatim continuum iſtum ſanguinis exitum conſiderans, eandem gravidam non eſſe conſenſit, omniaque a ſuccis valde acetoſis, cum vitiatis viſcerum fermentis, & diſpoſitione aliqua ad cachexiam, provenire, veriſimile eſſe credidit, unde ſectionem ſaphænæ iteravit, ordinavitque quidquid hodierna ſagacitas ad abſorbendos aut frangendos hoſtilium iſtorum ſuccorum aculeos hucusque inveſtigavit, d. 9. Maji denuo quatuor incirca ſanguinis uncias ex manu detrahere curavit, & altero mane largior longe fluxus uterinus, cum virium reſolutione ſucceſſit, ſuperveniente ſemper memoratorum ſymptomatum majori pertinacia & ferocia. D. 22. poſt ſolitum moleſtiſſimum vomitum, magna ſanguinis copia exiit, & per quatuor circiter horas Dominam ægrotam in dubio ſalutis ſtatu reliquit. Dehinc viribus aliquantum reſtauratis, malum decreſcere, & per quinque continuos dies minus eandem torquere videbatur, non ceſſante tamen quotidiano, quamvis remiſſiore, fluxu uterino: Sed noctu diei 26. vehementioribus quam unquam antea redeuntibus ſymptomatibus, magno niſu corpus ovatum, tunicis ſuis involutum, magnitudine circiter anſerini ovi ex utero expulit, quod immediate mirabilis veſicularum copia ſubſecuta eſt. Illo aperto, & remotis externis teneræ ac mollis texturæ involucris, comparuit corpus imperfectum & fuſcum, in quo omnia illa mirabilia inſtrumenta deficiebant, quæ ad perfe-

ctam machinæ illius architecturam requiruntur; neque caput, neque brachia, pedesve conspici poterant, sed merus truncus ruditer compactus, qui aliqua delineatione potius, quam vera viscerum forma certo modo vixisse se monstrabat: inter omnia cor equidem melius formatum erat, magnum tamen respectu parvi & macri sui corporis, cum duobus sacculis membranosis, flaccidis & rugosis, qui pro pulmonibus habiti fuerunt, cum aorta & cava, atque ramulis quibusdam huc & illuc per thoracem protensis. In abdomine hepar obscure sanguineum, absque lobis & figura consueta aderat; pancreas & lien tantum rotundi grumuli glandularum fortuito connexi, non eleganti artificio efformati videbantur; ventriculus & intestina aliquantum rubebant, & juxta cum tota ista informi massa, tam delicata & tenera erant, ut levi saltem contactu dissolverentur; id quod impedimento fuit, quo minus reliquum tam curiosi & imperfecti naturæ operis adcurate observaretur. Verum non sine stupore nullus putredinosus odor in eo a me adstantibusque sentiri poterat.

Oculis ad ova sive vesiculas supra memoratas conversis, tam prodigiosum earum numerum, atque adeo confuse intricatas deprehendi, ut eas tam adcurate, ceu in raris casibus fieri deberet, dinumerare impossibile mihi fuerit; parte tamen earum aliqua numerata, eademque cum tantæ molis reliquis partibus, quæ simul magnam illam massam composuerunt, multiplicata, collegi, quod sex mille incirca esse potuerint. Trunco unico communi carebant, a quo varii rami, atque ab his minores alii aliique derivarentur. Solum rete quasi ex variis filis inordinate & confuse contextis adparebat, e quibus elegantissimi ramusculi diversæ longitudinis & crassitiei huc illuc derivabantur. Rete hoc in utero meliorem & elegantiorem formam habuisse, in laborioso autem partu, aut ab obstetricis manibus corruptum fuisse, suspicari licet. Multæ unico soli ramo adhærebant, aliæ racematim jungebantur, aliæ in longa serie per unicum saltem latus decurrebant, omnes tamen exiguo pediculo erant prædiræ, quo mediante ramis adpendebantur. Diversæ magnitudinis erant, minimæ

instar

inſtar milii, majores inſtar globulorum ſclopetariorum ordinariorum; quædam aliis rotundiores; niſi illud evenerit, ſi involucrum, ex materia tenera & flexili conſtans, ubi rumpebatur, rotunditatem perderet. Aqua, quam continebant, guſtui adparebat inſipidiſſima, & ſoli expoſita non erat ſine incorrupta limpiditate; nec minus plane lubrica erat, ſed paululum lubricitatis quid, minorem tamen quam ovi albumen, & majorem, quam naturalis aquæ communis viſcoſitas habebat; cum alcali non effervеſcebat, nec cum acidis coagulabatur. Coctæ multum molе, contrahentes ſe in ſe ipſas, atque inter ſe invicem conſtringentes, decreſcebant. Hac ratione tunica earum minor reddita, craſſior, & liquor magis albicans, ſed non viſcoſior evaſit: unde perforatæ procul ejiciebant liquorem, quaſi expreſſum a tunica per calorem contracta; a quo etiam transparentiam priorem amittebant, & albicantes adparebant. In iis per microſcopium luſtratis parum amplius, quam cum nudis oculis vidi, ob earum qualemcunque albedinem & lucis defectum. Rami & fibra, qua adfigebantur, revera non erant aliud, quam ſimplices & continuati canaliculi, qui humorem ad bullulas vel veſiculas, inſtar tuborum a fontibus, vehebant. Vaſa ſanguifera nulla potui deprehendere, niſi aliquam ſubtiliſſimam lineam, quæ primo canaliculum ſanguiferum referens, poſtea adcuratius obſervata non niſi particula rubicunda ſanguinis in quodam ſubtiliſſimo ſulco aut plicula tunicæ relicta fuerat. Hæc tamen pulchre contexta cernebatur, ex longitudinalibus aliisque fibris, uti in veſica oculo nudo adparet. Super tabulam per aliquot dies relictæ colorem fuſcum induerunt, nec computruerunt, ſed effluente prius omni aqua, in ſeipſas contractæ fuerunt exſiccatæ, & tunc odorem gravem, admodum nauſeoſum ſpirarunt. Conſervo etiamnum easdem, ut curioſitati, ſi quis videre eas velit, ſatisfaciam.

Poſtquam hæcita evenerunt, ſanguinis excretio cum levamine Dominæ ægrotæ continuavit, & poſt quinque dies notabile fruſtum placentæ, triduoque abhinc reliqua ejusdem pars abſque ſingulari aliquo fœtore excreta fuit. Lochia etiam bene &

nota-

notabiliter fluxerunt, sicque prior exoptata sanitas fuit restitutа.

SCHOLIVM.

OBservationem hanc Nob. D. Vallisnerius celeberrimo D. Marcello Malpighio (in cujus Operibus posthumis pag. 116. edit. Amstel. & pag. 87. edit. Venet. eadem contractior, una cum alia ab eodem Malpighio notata legitur,) inscripserat, suasque doctas Meditationes desuper formaverat; quarum potiores in compendio recensere Lectori non ingratum esse posse confidimus.

Quærit autem I. An vesiculæ illæ fuerint ovarium vel ova muliebria? Quo de multum dubitat, quia confusam potius ramorum aliquorum texturam, quam abstrusum illud artificium, quale tam præclarum naturæ instrumentum habere solet, ostenderit; neque credibile sit, integrum ovarium sine dolore, aut ullo notabili omnium istarum delicatissimarum partium damno ad uterum ferri, atque fortuito eidem adhærere & crescere potuisse; præterea liquorem contentum ab igne non fuisse coagulatum, secus ac ovulorum humori, suo & Regn. Graafii cap. 11. de mul. org. experimento, evenit: injuriam insuper magnam providæ naturæ fieri, tot mille superflua ova statuendo, ubi pauca sunt necessaria; neque obstare primariam quandam feminam unico partu trecentos sexaginta quatuor filiolos, & aliam mille ac quingentos, quatuordecim edidisse, cum, præterquam a recensito numero quod hi multum adhuc distent, de veritate relationis dubitare liceat, Autoribus nempe in numero variantibus; & verum si esset, supernaturale quid, non lex aliqua naturæ fuisset &c. Præterea etiam extra uterum, in ipsisque maribus similes vesiculas generari, uti in Th. Bartholini cent. 4. ep. med. 86. Solenandri sect. 1. consult. med. 15. atque Cordæi comm. 5. ad lib. prior. Hipp. de morb. mul. exempla occurrunt, & quendam Antonium Mazacænum, febricula lenta contumaci laborantem, post lon-

gam

gam & pertinaciſſimam alvi obſtructionem, per menſem circiter, magnum earum numerum excreviſſe.

II.

An fuerint Hydatides, aut lympha in propriis canalibus ſtagnans, quæ inter unam alteramque valvulam cohibita fuerit? Ubi negativam amplectitur, cum corpuſcula ex omni parte elata, aut rotundi ſacculi, & nulla in eis valvula viſa fuerit, variis modis a ramo ſuo dependerint, non vero in uno aliquo ramo comparuerint, nec ſine vehementi aliquo motu, & ita novorum ſymptomatum concurſu, neque cum notabili adeo ægrotæ levamine ſeparari potuiſſent; præterea minutiſſimam hanc vaſorum ſtruem ſimul internis uteri partibus adhærere non potuiſſe.

III.

An aliquarum glandularum noviter inventarum, quæ veſiculares dicuntur, inque extraordinariam illam magnitudinem excreverint, ſint congeries, aut ipſius uteri laciniæ, qui non minus ac lien, & pulmones, ex veſiculis eſſe contextus cuidam ſtatuatur? De utroque tamen dubitat, cum vera eis deſit glandularum idea, atque vaſis excretoriis ac ſanguiferis deſtituantur; neque particula uteri tam notabilis ſanguine carere & lympha ſaltem repleta eſſe, nec ægra a morbo obſtinato inde liberari potuiſſet.

IV.

An ſit ſpuma, vel productum aliquod ſanguinis menſtrui & ſeminis? Ubi non multum diſſimilem veſicularum partum ex Zodiaci med. gall. ann. 1. obſ. 1. his verbis adducit: *Veriſimile, utrumque æqualiter concurriſſe, hoc eſt, ſanguinem menſtruum in uterum citius a conceptione irrumpentem, commixtum, & confuſum ſeminibus, antequam germinum naturam adepta eſſent, aut, ut loquitur Hippocrates genituræ: unde exorta eſt fermentatio, ex contrarietate partium horum liquorum, quæ*

excitare valuit effervescentiam ſat inſignem, ut ideo effectæ ſint ſpecies hæ ampullarum, aut veſicularum, quæ erumpunt in aqua ebulliente, vel in quam aliæ incidunt imbris modo, quæ poſtquam formam nacta ſunt, augmentum adipiſci potuerunt, non ſecus, ac molæ, ac alia falſa germina, hoc eſt, ſervata priſtina forma. Verum diſplicent hæc, cum (1.) antiquæ illi & erroneæ opinioni de fœtus ex mixtura ſeminum ortu nitantur; (2) fermentatio *ex contrarietate partium horum liquorum* non ſit poſſibilis, quia inter ſerum & ſanguinem menſtruum, qui idem eſt cum reliqua tota maſſa ſanguinea, talis inimicitia non datur, & uterque dulcis ac amiciſſimus, neque unus acidus, alter alcalicus eſt, unde pugna induci poſſet; (3.) neque in ſuppoſita ab ebullitione bullarum productione canaliculi tam elegantes cum pediculis ſuis, ſed confuſa potius conglomeratio aliqua bullarum orta fuiſſet, neque liquorem continuiſſent, bullis utpote in aqua aliisque liquoribus, dum in ſpumam abeunt, vacuis remanentibus; inſuper nulla vaſcula ſanguifera, vel minutiſſima etiam ſanguinis pro earum nutritione neceſſarii guttula obſervari potuerit; (4) in aliis etiam partibus, inque vario ſexu tales oriantur, ubi cauſa illa locum non habet.

Tandem Clar. Auctor, poſtquam ex celeberrimi Marc. Malpighii diſſ. de polypo cord. in ſuperiori ſanguinis concreti parte, præter rubicundas particulas, cruſtam ex ſubalbis pelliculis contextam, meatibusque & fere veſiculis perviam, quæ diaphano & minus gravi ſucco replentur, obſervari notaſſet, hanc ſolam ſanguinis partem continere particulas ſic figuratas adſtruit, quæ telam quandam formare poſſunt, aliis minutiis, non ita facile invicem implicari aptis, frenum imponentem. Et haſce illas eſſe ſuſpicatur, quæ nutrire aut renovare ſolent corporis membranas, ſolamque eſſe materiam, ex qua natura, per quandam quaſi petulantiam, vel ex neceſſitate veſiculas iſtas efformaverat; & cum in eadem fluant ejusmodi ſalia, quæ formas aut ideas rerum continent, his mediantibus omnes iſtas minutias aut ramos, ex quibus membranæ componi ſolent, debito loco diſpoſitas fuiſſe; atque

facile

facile ſic percipi, quomodo in brevi tempore talis fabrica fuerit efformata. Incredibile D. Auctori videtur, ex confuſo tumultu & ebullitione partium, ſine idea aut naturæ conſenſu tam bene formatum opificium, ſuis canalibus, pediculis, aliisque ad ſui productionem requiſitis inſtructum, progigni poſſe, unde reconditum aliquod agnoſcit, quod non ſine arte, aut ſine illis inſtrumentis vel principiis fieri poteſt, quæ in motum poſita non niſi res determinatas ac proprias operari ſoleant. Salia itaque hæc, ab aliquibus rerum eſſentialia dicta, veram veſicularum iſtarum baſin & ideam eſſe; hæc autem in corpore, & etiam extra illud, modo certa ratione agitentur ac moveantur, ſemper figere, aut ramuſculos & fila membranarum diſponere conari; hæc illa eſſe, quæ ingenioſam illam ſanguinis cruſtam etiam extra venas efficiunt, & quæ veſiculas in inteſtinis, abdomine, utero efformant: ſive jam ab aliquibus abraſis perfectarum membranarum particulis proveniant, ſive natura ſimpliciter eadem in ſanguine pro novis in de fabricandis conſervet, quarum magna in corpore noſtro eſt abundantia. In cujus rei dilucidationem adducit doctiſſimi cujusdam amici ſui obſervationem, qui aliquando, cum cibus aliquis ex ſolo uvæ ſucco, cum aliqua farinæ portione cocto & confuſe mixto, refrigeraretur, in ſuperficie ejus elegantiſſimum truncum ſe extollere vidit, ex baſi ſua ramos, paulatim minores, inſtar rudioris pyramidis emittentem, in extremitate autem cujusque rami veſicula rotunda, protuberante, quæ eleganter cum eo ſe inoſculando, integram racemi figuram repræſentabat. Ex quo adparere ſtatuit, quod licet corrupta, ac in minutias redacta ſint corpora, atque ex propriis quaſi nidis egreſſa, ſemper tamen cum ipſis remaneat permixtum aliquod principium temperaturæ quaſi æternæ & incorruptibilis, aptum natum ad eadem denuo producenda, cui Salis nomen imponit. Minime tamen eo ipſo ingenium aliquod eidem tribuere intendit, quo ſolo ſingula in debito loco diſponat, & cum aliquibus partibus flexibilioribus paſtæ circumdet, aut trahendo ab uno ad alterum, & texendo, ac ſuperponendo ſtamina, incognita arte mirabilem membranarum ſitum efficiat; ſed tantum, quod omnia faciat virtute ſolius molis &

figuræ, in motum ab impetuoso aliquo ac subtili prius positarum, id quod omnes poros magnæ hujus molis penetrat, & sine intermissione omnia agitat & conquassat. Alia insuper Domini Auctoris mentem subit cogitatio, omnem nempe illam fabricam non esse aliud, quam plantæ aliquam speciem per se, ex proprio semine natam, ac tali modo productam, aut postquam magnum corpus membranosum suis ubique canaliculis perfusum, fuit generatum (uti uxori Com. Montfortii apud Fel. Platerum, in obs. propr. contigit, quæ membranosum corpus crassum, amplum, fistulosum, multis appendicibus obnatum, per uterum ejecit,) in hos sese insinuasse serum, salibus & particulis membranarum productioni destinatis prægnans, quæ usque ad eorum limbum ab aëre interno, aut ab aliis corporibus propulsæ fuerint, vel saltem via in aliqua commissura aperta, a tergo autem occlusa aut leviter conglutinata, illas liberius spatium invenientes, ubique æqualiter se dilatasse, & blande intumescentes in lateribus, aut fine earum, descriptas vesiculas efformasse, fortasse non dissimili modo, ac pueri tubulum aliquem insufflando, in pauculo liquido, pro lubitu simile quid in hujus summitate comparere faciunt. In præsenti casu non tantum imperfectus, sed etiam extremam ad maciem perductus fœtus cum non reciperet aut absumeret tantam seri copiam, quæ ibi fluctuabat, illud regurgitasse, multumque stagnasse, & sic ab eo massam istam dein augmentum accepisse; quale quid in hydatidibus glandulisque, alias in corpore nostro invisibilibus, accidere solet, suspicatur Dn. Auctor; nec non ab aliquo corpore placentæ analogo, quod sanguini permixtum cum ejiceretur, non observatum fuit, dependisse, cum ipsa etiam placenta ex meris hydatidibus composita quandoque deprehensa fuerit, vel ab uteri tunica, aut vasis umbilicalibus, aut fœtus involucris, quia in omnibus hisce locis generari & dicta ratione crescere possunt, eoque magis cum in his casibus turgidiores liquidorum canales ubique compareant.

Tandem indagaturus, quomodo vesiculæ istæ tam atrocium malorum & pertinacissimarum febrium causa fuerint, suspicatur,

catur, quod ſerum inter veſiculas fluitans, propter valvularum defectum, quas neque in earum oſcillis, neque canaliculis deprehendere valuit, in ſanguinem regurgitaſſe, & ideo propter illum continuum fluxum & refluxum, ab ejusdem partibus, ceu peregrinis, atque a ſanguine jam ſeparatis, motus hujus placidus & amicus confundi, minimæ ejus particulæ impelli, varie & confuſe transponi, & ita ob debitam ſuccorum cribrationem impeditam vel confuſam, totam ejus maſſam alterari & turbari, ac inde longa illa ſymptomatum in hiſtoria memorata ſeries enaſci potuerit, usque dum natura, debitum nutrimentum tam moleſto corpori ſubtrahendo, aut inſtar alicujus criſeos illud magna vi ſeparando, vel etiam ipſomet ob proprium pondus delabente, liberata fuerit.

OBSERVATIO XXXIII.

Dn. D. LUDOVICI TESTI,

Saccharum Lactis.

LAteret adhuc maximum illud Dn. D. Ludovici Teſti, Regienſis, Medici Veneti, dum in vivis erat, antipodagricum Arcanum, niſi Ill. D. Antonius Vallisnerius, ne, ut inquit, in bonum publicum peccaret, id nobis cum communicaſſet. Patienter is de verbo ad verbum totum caput libri manuſcripti Auctoris, in quo poſtquam de Lacte, ejusque partibus, ac proprietatibus egerat, modum tandem præparandi Saccharum pandit, in fine etiam addens Balſama externa antipodagrica.

Ad terminum devenimus (ſcribit Clar. Teſti) in quo omnes lineæ a præceſſis Lactis conſiderationibus emanatæ, in puncto eſſentiali colliguntur: Hæc optata dies eſt, qua ad majorem ſupremi Numinis gloriam, proximique utilitatem ſecretum Sacchari Lactis palam exponitur. Iſto accurate conſiderato ſecreto, certe confitentur omnes, meum cœlitus illuſtratum fuiſſe intellectum, ut

nobile hoc conficere potuerim remedium. Isto arthritides non solum, verum etiam multæ aliæ affectiones, ab acidi causa originem trahentes, superari possunt. Domabile nihilominus præsupponit acidum, quippe quod aliquando adeo acutum est, vel potius causticum dixerim, ut violenter omnia erodat remedia, quo casu Sacchari usus irritus est.

Inventio hæc illa est, quæ hactenus occultam tantam excitavit admirationem, ut pro certo fere omnes habuerint, quod impossibile esset, Lac in Saccharum convertere, nullo extraneo concurrente corpore. Ab aliquibus, animi gratia (sed incassum) methodus conficiendi Saccharum inquisita fuit. Quidam alii (stimulante avaritia) ut lucrum facerent, frustra circa hoc secretum consumsere operam. Sal proinde seri pro Saccharo lactis vendere sategerunt.

Cum vero in impressa relatione modum fabrefaciendi Saccharum edocuerim, verum hermeticis terminis ad Lapidem spectantibus philosophicum, meum fuisse inventum secreto nequaquam congruens, omnes etiam credidere. Necessarium igitur erit explicare, quod visum est obscurum; ut manifesta eluceat veritas, secretum Sacchari Lactis, nec Sal seri, nec quandam esse Lactis condensationem, verum Philosophicum existere opus, quo confecto, non alio forsan nomine, quam Sacchari, ut præcipuo condecorare potuerim, aut debuerim. Cum hæc omnia ad hoc secretum attinentia dilucidata fuerint, tunc certe constabit, nec chimericum, nec inane fuisse nomen Sacchari, quo callide decipere proximum data opera curaverim, ne perspicacissima ingenia ab impossibilitate nominis deterrita, illud fabrefacere tentarent. In conspectu omnium non obscure erit, quod puram veritatem exaraverim, quæ etsi cognosceretur, non tam facile se omnibus perhibebat, impossibile tamen, ut detegeretur, haud erat. Prius autem sequens explicanda est propositio, quam jamdudum ob omnium oculos exposui; utpote, quæ Sacchari lactis secretum exprimebat: *Menstruum extrahendum est a Chaos, quod depurandum est a sulphure impuro, & terra damnata, quibus*

bus rite rectèque peractis, cæterisque dispositis, potest fieri Saccbari lactis in infinitum multiplicatio.

Hæc a multis pro ænigmatica statuta fuit: quod autem talis non sit, sed veritatem contineat, ostendam. Ast sequentem Hermetis propositionem percurrere opus est: *In Sole, & Sale omnia posita sunt.*

Omnes tum antiqui, tum neoterici Philosophi, qui experientiam consuluerunt, hanc Hermetis propositionem inconcussam esse, pro certo scriptis firmarunt. Solis activitatem omnibus in mundo existentibus genitis necessariam esse, nemo contradicit. De Sale autem non pauci dubitare facile audebunt, illique præcipue, qui sola quatuor considerant elementa, hæcque rerum omnium potissima esse principia, cæteris omnibus neglectis, determinant. Circa sal ergo breviter aliqua dicam.

Certum atque indubitatum est, quod si terra fœcundanti privetur sale, sterilescit, adeo ut nullo modo germinent semina huic commissa. Ipse Mundi Redemptor in summa consideratione habendum esse sal, pronunciavit &c.

Pro nunc sat mihi erit, quod perspicuum sit, me, pro Lactis conversione in Saccharum, a Philosophica propositione lumen desumpsisse; meum proinde menstruum, quo usus sum, sal fuisse, quo liquorem fluidum, Lac nempe, fixavi. Verum non omne sal, commune puta, aut a terra, plantis, herbis separatum, & depuratum, ut hoc perficeret opus, erat opportunum. Essentiale Lactis expurgatissimum ista gaudet prærogativa, ut peroptime Lac convertere in Saccharum possit.

At aliquis objicere posset, quomodo menstrui nomen Sali competit? Menstruum enim ab omnibus intelligitur illud esse, quod diversum est in illo corpore, cui conjungitur, etenim intime ejusdem partes penetrare debet, & tincturam, aut resinam extrahere. Cum autem Sal Lactis hujus naturæ non sit, quidpiam ab eo separabit. Respondetur: Animadvertendum esse, hunc exprimendi modum nemini injuriam intulisse, nec tunc rei essentiam diversificasse, ut nunc contingeret, ejusdem si obscuris,

aut

aut consimilibus uterer terminis. Hoc nomen Menstrui a veritate non adeo recedit, quin absolute improprium sit. Etenim manifestum est, quod agentis nomen Sali competit, succum quippe fixat liquidum, adeo ut cum Menstruis, prout agens est, conveniat, ista quippe agere tenentur, si resinas vel tincturas a corporibus extrahere volunt. Sal nobiliorem Lactis partem fixat, incomparabilemque reddit.

Omnia alia salia Lac non in Saccharum, verum in Caseum salsum commutassent.

Quomodo vero verificatur: (dicat aliquis) *Menstruum extrahendum est a Chaos*; Resp. Quod si considerabit, quid hoc nomen importet, impropriam locutionem non fuisse, determinabit. Hoc enim nomen Chaos multorum diversæ naturæ confusionem significat. Ita Lac. Hinc Lacti nomen Chaos inditum.

Hinc cognoscitur, quam manifeste hallucinati fuerint illi, qui opinati sunt Lactis concretionem in Saccharum triviale opus esse.

Manifestum est, nihil esse hoc permutationis opus, quam quædam alcalicarum partium fixatio, ex qua Sal oritur dulce. Hinc vocavi Saccharum.

Verum cum hoc Sal a Lacte purum sejungi nequeat, multis quippe excrementis involutum separatur, addidi: *Depurandum a Sulphure impuro, & terra damnata.*

Quod autem necessaria sit diligentia, ut Sal ab omnibus sordibus expurgetur, consideres velim, Sal purissimum essentiale Lactis facilius tantummodo haberi posse, nisi separando coagulo vaccino partem butyrosam, & caseosam a serosa, quæ impuritatum est prægnans. Hoc manifestatur, quando humiditas ejusdem seri Lactis vi ignis in auram resolvitur: in fundo enim vasis materia remanet fixa, quæ proprie capitis mortui nomine vocatur, dum ad nigredinem vergit, ut in destillatione seri apparet. Hæc atra materia cum sal sit acidum, in quo sulphur & terra damnata confusa sunt, sal etiam dulce istis impuritatibus immixtum est.

Ab

Ab enarratis sejungendum est dulce, qua operatione peracta, verificatur: *Menstruum depurandum a sulphure impuro, & terra damnata.*

Cum ergo a sordibus diligenter expurgabis sal, dulcissimum & persimile Indico saccharo erit. Ut autem perfectam exequaris depurationem, sequentem observa ordinem:

Coagulo vaccino separata parte caseosa a serosa istius humidum in auram resolves. Aquam postmodum purissimam capiti mortuo in vasis fundo manenti, superaffundes, quam debito peracto tempore decantabis. Sal remanebit essentiale, verum colore flavo tinctum, qui color cum fit impuritatis signum, denuo huic aquam puram superimpones, miscebis, debitoque tempore eandem separabis. Reiteratis ablutionibus, sal perfectam obtinebit expurgationem, albissimumque evadet. Supra lagenas extendatur, solaribus radiis, ut exsiccetur, exponatur, usuique servetur, ut infra innotescet, Menstruum quippe est præparatum.

Ad methodum transeo, qua Lac disponendum est, ut facili negotio in Saccharum converti possit; etenim insuper dixi: *cæterisque dispositis potest fieri sacchari Lactis in infinitum multiplicatio.*

Lac igitur disponendum erit, ab eodem primo partem sejungendo butyrosam, qua operatione peracta, a caseosa postmodum secernere debes serosam, utpote quæ impurissimam continet pinguedinem. Ut hæc omnia ordine proprio & accurato exequaris, primum habebis paratum cacabum, cujus altitudo quatuor sit digitorum, latitudo autem duorum palmorum cum dimidio. In isto libras 24. Lactis recentis collocabis, & subter ignem accendes. Animadverte, quod sola ignis flamma cacabi fundum lambat. Ne Lac comburatur, necesse est, ut Lac indesinenter in fundo commoveas cacabi lignea spatula quatuor digitorum lata, sicque a combustione Lac præservabis. Observabis, quod dum in principio Lac projicies in cacabum, huic adjunges butyri recentis uncias duas. Cum autem Lactis imminet ebullitio, cum eodem unciam farinæ tritici in pauco lacte dissoluti mi-

scebis. Lac postea ferveat temporis spatio, quo bis Oratio Dominicalis recitatur. Ab igne dein removebis cacabum, huncque a terra palmi altitudine distantem collocabis, paucosque subter in parvo catino pones accensos carbones. Moderatus sit carbonum calor, ne comburatur Lac; calor enim in isto impressus per mediam solum horam si conservetur, sat est. Septima, aut octava peracta hora, butyrosam partem in Lactis superficie separatam observabis. Hæ gratissima sunt Venetiis epulæ, *Cao di Latte* dictæ.

A Lacte dempta ista, supra ignem denuo expones cacabum cum eodem Lacte, ut incalescat, non autem ferveat. Remoto postmodum ab igne cacabo, post quartam vel quintam horam Butyrum in superficie exaltatum separabis. Tertia vice hanc repete operationem, ut Lac omnino butyro spolietur, etsi ars isto omnimode orbare nequaquam possit.

Istis cum Lacte peractis operationibus, serum remanet, quod a parte caseosa sejungendum est. Cum hæc pars verum sit sanguinis alcalizans, seri neglecta separatione, Saccharum non adeo perfectum dulcificandi producet effectum. Ut autem facile sequatur seri separatio, per aliquod temporis spatium Lac aëris expositum injuriis remaneat, non ut acescat, sed ut componentia hoc liquidum aliquam inter se fermentationem promoveant. Istam cognosces, si v. g. æstate matutino tempore omnes supra enarratas feceris operationes, vespertinis autem horis observabis aliquam tenuem butyri portionem in superficie Lactis ascendisse. Dempta ista butyrosa portione, Lactis deinde paucam quantitatem in scutella terrea aut æris supra ignem expones. Cum Lac ebullire inceperit, tunc pars caseosa & serosa obscura dabunt signa, disposita esse, quod ab invicem sejungi velint. Ubi Lac ita dispositum erit, cacabum collocabis supra tripodem quatuor digitorum altitudinis, & in copia accensos substernes carbones, ut Lac brevi temporis spatio bulliat. Indesinenter spatula lignea movebis Lac in fundo cacabi, ne comburatur, sicque serum a caseosa parte sejungetur. Istis duobus ab invicem exacte separatis, tunc pars caseosa dispositа est, ut facile in Saccharum convertatur.

Opta-

Optatam poſtea efficies converſionem Lactis in Saccharum, hæcque omnibus perfecta erit numeris, ſi in terreo catino caſeoſa parte poſita, huic adjunges ſal eſſentiale Lactis, quod ſupra peroptime depuraſti, ſpatulaque lignea hæc duo miſcebis, ut perfecte uniantur. Salis autem quantitas tanta erit, quanta ſufficiens fuerit, ut emergat compoſitum, convenientem conſiſtentiam habens. Cum iſta duo in compoſitum reducta fuerint, ſupra lances extendantur, radiisque ſolaribus exſiccentur. Poſt aliquot horas Saccharum viſitabis, quod ſi moderate in ſuperficie exſiccatum fuerit, ſpatula lignea humidam ſubverte partem lagenam tangentem, ut hæc ipſa exſiccari poſſit. Cum ſemiexſiccatum fuerit Saccharum, manibus in minimas contere partes, ut citius faciliusque exſiccetur.

Semiexſiccatum palato dulcem imprimit ſaporem Saccharo ſimilem.

Si de iſto ſale dulci in accenſos projicies carbones, more ſalis communis proſiliet ſtridendo. Quinimo ferri rubiginem exaltat, adeo ut iſto aperitivum remedium dulcificans effici poſſit; quod a me excogitatum, non fabrefactum.

Lacte ita elaborato, tertia a me vocatur differentia, prima quamvis operatio ſit, in eodem Lacte facta; hæcque multiplicationis fundamentum, quia multam ſalis copiam habet, multum etiam a Lacte, prout Lac eſt, diſtat, quocirca nec alcalizandi vere effectum in omnibus arthriticis producere poteſt. Etenim in iſta differentia acuties acidorum ſalium, etſi benigna, nequaquam exacte retuſa fuit, ut perfecte dulcificare ſanguinem poteſtate gaudeat. Peroptimum tamen eſſe in corporibus pinguibus certe omnibus, innoteſcit. Differentia autem Sacchari, quæ Lacti proximior eſt, nomine primæ a me digna judicata fuit. Secunda vero differentia erit, quæ de primæ & tertiæ natura participat. Aperte conſtat, qualis ſit methodus convertendi Lac in Saccharum: quomodo autem in infinitum fieri poſſit multiplicatio, infra explicabo.

Accuratus igitur in prima perficienda operatione esto; etenim sine nova salis essentialis Lactis præparatione, sequenti ordine Saccharum multiplicabis in infinitum.

Partem igitur caseosam habebis, Butyro & sero spoliatam, cui adjunges quantitatem Sacchari, quod primum præparatum tertia a me vocatur differentia. Quantitas istius Sacchari sufficiens erit, quæ exinde compositum bonæ consistentiæ efficere valeat. Hoc postmodum supra lances extendes, ut radiis exsiccetur solaribus, non omissis diligentiis in prima conversionis operatione commemoratis. Cum hoc novum Saccharum ab humido exsiccatum fuerit, in pulverem reduces, denuoque parti caseosæ pulverem unies. Sacchari multiplicata unione parti caseosæ a sordibus expurgatæ in infinitum etiam cum facilitate multiplicabis Saccharum.

Quod autem verum sit, caseosam partem ordine isto permutari in Saccharum, sequentes observationes demonstrant. Saccharum igitur ex reiteratis unionibus sine ulla salis expurgati additione, pluribus mensibus, quinimo annis factis in ignem projice, semper stridendo prosiliet. Corruptioni pariter diu resistet, dummodo expositum aëri teneatur. Rubiginem a ferro extrahet; quæ omnia manifesta sunt signa, Lac conversum fuisse in sal dulce. Non solum aëris resistit injuriis, sed perficitur, ita ut diu huic expositum, insipidum contrahat saporem, ut validius dulcificari possit.

Quatuor esse Sacchari differentias, in mea relatione dixi. De tertia diximus; quomodo autem aliæ tres fieri possint, doceamus.

Prima igitur conficitur, quando tribus quatuorve vicibus transmutationem feceris partis caseosæ in Saccharum, huic adjunges Butyrum. Cum ergo ultimam efficis unionem, hæcque humida existit, addes Butyrum recens, quantum vis, desumpta nempe indicatione quantitatis ab ægroti indigentia. At adverte, quod Butyrum aquæ ablutione sit a sale acri diligenter expurgatum, quod postea igne dissolves, Saccharumque spatula lignea

dili-

diligenter miscendo, unies. Supra lagenas isto extenso pingui Saccharo, omnes servabis diligentias, ut æqualiter exsiccetur: etenim difficilius, quam aliæ duæ differentiæ, humido privatur. Hoc Saccharum ita fabrefactum prima a me vocatur differentia, utpote quæ omnes Lactis partes contineat essentiales, primum proinde occupare locum indicavi.

Secunda differentia, quæ de prima & tertia participat, ita ut neque Butyri, neque Salis essentialis copiam possideat, illa proinde erit, cujus pars caseosa in Saccharum replicatis unionibus conversa fuerit sine salis essentialis, aut Butyri additione. Cum Lac, ut dictum est, toto Butyro prorsus orbari nequeat, sal essentiale multis obruatur alcalicis, merito hæc differentia inter primæ & tertiæ differentiæ extrema continetur, hæcque aliis duabus magis familiaris est.

Cum Cachectico possit supervenire Arthritis, ut in scorbuto frequenter observatur, aut Arthritico adjungi Cachexia; deobstruens diureticum Saccharum excogitavi. Lumbricos igitur terrestres in aqua communi cum sale fixo tartari concoque. Colato decocto Saccharum humecta, & exsicca. Hanc compositionem in Arthritide vaga, scorbuto, peropportunam esse, notum est. Hæc a me vocatur

Quarta differentia, ad cujus similitudines multas alias efficere potes, ubi cum *specificis* dulcificandi sit exigentia.

Dices: Hipprocrates præscripsit Lac, & serum coctum Arthriticis. Ut verum fatear, negare nequeo, me feliciter multos curasse Arthriticos Lacte ad consistentiam cocto, & Sale dulci in Saccharum commutato. Verum diligenter a Lacte Butyrum separavi.

Pro divitibus Saccharum ex muliebri Lacte fabrefactum peroptimum vaccino esset. Sed si una esset Lue Cetica inquinata, væ homini illi, cui præberetur!

Si vaccam hordeo, avena, furfure, herbisque selectioribus nutries, Lac optimum tibi præbebit.

Deo omnis honor, & gloria.

Balsama externa antipodagrica Exc. Testi.

Primum anodynum: Lac ad consistentiam coctum in oleo communi lento igne recoxi. Ne autem Lac in vasis fundum descenderet, & combureretur, in sacculo inclusi, in oleoque suspensum detinui. Operatione absoluta, compositum dulce degustavi, arthriticumque perunxi: vix quarta completa hora, convaluit.

Oleum haud casu selegi commune, quod propriis acidis a Lactis crassiori parte benigniora sejungat alcalia, intacta relicta crassiori parte.

In casibus acerbissimis non illico, sed post duodecimam horam applicandum est Balsamum.

Manifesta appareat a parte sudoris eruptio.

Non ultra quartam horam tyrannidem dolor exercet.

Si quæ mitis perseverat molestia, secunda Balsami inunctione evanescit. Ubi Febris vehemens est, irritus potest esse Balsami usus. Calor enim excedens ejus virtutem infringit.

Paululum calefaciendum est remedium, deinde cooperienda pars.

Citra dubium est, quod isto Oleo Lacte alcalizato pulmenta condiri possunt, ita inter auxilia apta ad dulcificandum commendandum.

Melius tamen est, pro hoc Balsamo uti Oleo amygdalorum dulcium sine igne expresso.

Ut concilietur etiam odor, in libris duabus parvulum immerge sacculum ex tela, in quo inclusæ sint Benzoini Styracisque optim. ana ℥jß. Vase denuo igni exposito, lente per horam bulliat. Si jucundum Balsamo conciliare optas colorem, adde Laccæ Pictorum opt. ℥j. eodem oleo supra lapidem comminutæ, quæ & ipsa juvabit. Sic mirabile habebis Balsamum in articulorum doloribus.

Viscosum vero recrementum, quod in articulis postea subsidet, & in tophos tractu temporis transit, duobus his exterminatur Balsamis.

Primum istorum ex foliis siccis, acutisque Nicotianæ conficitur, quibus minutim incisis aqua superaffundenda est tartarisata. Per diem naturalem vas calido in loco detineatur, ut herbæ visciditas, sal acre volatile ligans fermentatione attenuetur, humidumque superfluum aquæ in auram resolvatur. Istis completis operationibus, adde Belzoini Styracisque liquidæ bene olentis ad ʒj. deinde Olei communis libras duas superaffunde, omniaque bulliant, quoad Nicotianæ odor nares & sapor linguam feriat. Fortì facta expressione, expressum in vase relinque vitreo, quousque in fundo crassum subsederit excrementum.

Balsamum hoc validissime viscosum attenuat humorem, porositates cutis referat, & naturam adjuvat, ut attenuatum resolvatur.

Quod autem ita se habeat, hac patet observatione. Toto illinito capite tinea fœdato, etiamsi pus cranio adhæreat, tanto impetu superficiem ascendet, ut sana etiam cutis pustulis pure plenis repleatur. Continuata illitione, pustulæ disrumpentur, pusque indesinenter defluet, donec patiens liberetur.

Secundum Balsamum, quod & ipsum summum resolvens, nervosarumque partium præstantissimum corroborans est, sequenti paratur ordine: Repetitis vicibus Verbena recens in Oleo communi coquenda est, donec Oleum per viridem acquirat colorem. Cum isto uti volueris, vel etiam ante, cuilibet unciæ adde olei anisorum ℈ß. & amplius, prout tibi opportunum videbitur. Deficiente anisorum oleo, magnam copiam anisorum acrium decoque in oleo communi, hocque Verbenæ oleo misce, & utitor.

(*Ex communicatione Ill. D. Anton. Vallisnerii.*)

)o(

OBSER-

OBSERVATIO XXXIV.

Dn. D. ANTONII VALLISNERII.

De

Flore Lenticulæ paluſtris.

CUm Ill. D. Vallisnerius poſt Obſervationes in Appendice Ephemeridum noſtr. Cent. I. recenſitas, novas circa florem Lenticulæ paluſtris inſtituerit, quæ in tract. Prima Raccolta d' oſſerv. Vall. pag. 127. leguntur, easdem hic quoque communicare voluimus.

Flores nempe illos ante primos menſis Julii dies obſervavit, qui usque ad medium fere menſem, non tamen omnes una vice, prodire, & tres quatuorve dies in aqua perennare, extra aquam vero vix ad quartam unius horæ partem perdurare ſolent. Ex lateribus foliorum emergunt, ubi paulo poſt ſemina conſpicere datur; duo ſaltem foliola nonnihil craſſiuſcula, & lactei coloris habent, piſtillum quaſi repræſentantes, brevi pediculo, vel caulículo dimidii floris longitudinem æquanti inhærent. Horizontaliter exeunt, mox tamen poſt eruptionem ſeſe erigentes. Dum exſiccantur, ſpongioſi evadunt, in ſummitate nonnihil filamentoſi aut fimbriati, & tandem prorſus quaſi evaneſcunt aut decidunt. Non in omnibus Lenticulis florem ſemenque invenit, uti quidem in Epiſtola ad Ill. Eq. D. Martinellum ſcripſerat, ſed certis tantum in locis, & in Lenticulis minoribus, ac folio pulpoſo prædítis; quo folio nonnihil ampliore & ſubtiliore gaudent, ſteriles deprehendit, unde ſuſpicio, quam in præfata Epiſtola tetigit, ipſi aucta fuit, easdem inſtar Cannabis ſimiliumque ſe habere.

In foſſa quadam paludoſa, quæ radiis ſolaribus erat expoſita, tribus vel quatuor horis matutinis, in alia verſus occaſum ſita tribus vel quatuor horis poſt prandium ſemper fœcundas eas invenit, hoc ſolo diſcrimine, quod ubi radii ſolares eas feriunt, ſemen citius matureſcat, quam in illis, ubi tantum mane ad ipſas pertingunt.

In

In quibusdam fossis apricis, ubi a sole per totum diem illustrantur, aut in illis, ubi id nunquam prorsus contingit, utplurimum steriles Lenticulas reperiit, luxuriantes potius in multiplicandis foliis lateralibus, fortasse quod pro seminis formatione, aut pro foliis, ut ita dicam, seminiferis efficiendis, certus & determinatus caloris gradus requiratur.

Tab. I. *Figura floris n. 1. & n. 2. floris exsiccati.*

OBSERVATIO XXXV.

Dn. D. ANTONII VALLISNERII.

De

Rara quadam Locusta.

MEminit hujus Ulysses Aldrovandus sub nomine *Locustæ insolentis figuræ*, Jonstono & Moufeto *Mantes*, Hispanis *Salta-monte* dicitur, Florentini *Cavalla-verde*. D. Cestonus *Gryllo-centaurum*, & D. Vallisnerius *Araneo-locustam* nominant. Diversum hoc ab aliis nomen ei imposuit, cum adcurate mores ejus observasset, nempe Locustæ & Aranei, siquidem est carnivora, muscas aliaque insecta devorans, & nidum imo ventre exstruens, in quo sua ova mira arte collocat, non secus, imo majori industria, quam araneus facit; convenit etiam cum Locustis, quas Itali Cavaletti aut Cavalucci vocant, quia figura multum eis accedit: inter herbas vivit, licet iisdem haud nutriatur.

Dn. Phil. Breinius, Dantiscanus, Academicus Londinensis, A. 1704. M. Martio Patavium veniens, quasi rarum quid, ex montibus aridis Hispaniæ secum allatum, D. Vallisnerio ostendit, qui non adeo raram esse in Lombardia, ei regessit, multasque sæpe in collibus Scandianis & Regiensibus, campis Liburnicis, Marca Anconitana, Macerata, collibus Coneglianis &c. inveniri retulit.

Aliæ sunt virides, aliæ subcroceæ, quasi citrinæ, aliæ cinereæ & obscuræ, in alis striis descendentibus distinctæ; structura porro, magnitudine, & moribus omnes sibi simillimæ.

Masculus est sine alis, sed femina alas habet, quæ etiam est crassior, tardior & stupidior, quam masculus, atque instar anatis progreditur.

Aldrovandus, Jonstonus, & alii insectorum scriptores, dum duo hæc insecta describunt, diversas exinde species constituunt, nescii, unum esse masculum, alterum femellam, & Aldrovandus hanc in aliam classem, quam masculum collocat, in primæ nempe Tabulæ principio.

In patria D. Vallisnerii difficulter masculus reperitur, quia enim cinereus, aut aridi ligni colore præditus est, facile oculum effugit.

Curiosum est videre eos, quando cibum sumunt, & velociter prædam capiunt. Incredibili cum celeritate jaculantur & uncinata brachia protendunt, atque muscas, papiliones prehendunt, neque ipsis Locustis parcentes; postea in pedes elevatæ & erectæ suaviter easdem devorant. Animal in sua specie ferox est, & quasi aliorum tyrannus, scatulæ etiam inclusum eadem licet non videat, occidit, & devorat omnia animalcula simul inclusa.

Nec solum comedunt, sed etiam bibunt, unde necesse est, ad vivas eas conservandas, potum quoque ipsis porrigere.

Diu vivunt, & credit D. Vallisnerius, quod decem annos superare valeant, cum unam per quatuor annos habuerit, quæ quartam solitæ magnitudinis partem nondum attigerat.

Fr. Gregorius, Capucinus, primus fuit, qui Aldrovando unam miserat; qui eam in tabula quarta de Locustis, loco secundo & tertio locavit, atque mirabundus sic describit: *Capite cervum vel equum cristatum refert, item cauda, quæ multifida est, sed surrecta. Sub articulis posteriorum pedum tubercula habet sphærica. Corpore toto fusco, luteo & albo variat. Rarissimum est insectum, & mihi alias nunquam visum, vel ob-*

versa-

versatum; unde non sine ratione exclamavit, quod fuerit *insolentis admodum formæ.*

Scribit D. Vallisnerius, quod suus charus amicus, D. Cestonus, non sine ratione eam nominet Grillo-centaurum, cum, ubi erectus in quatuor pedes, pectus & caput elevat, quodammodo Centaurum præsentet, uti ex Figura addita adparet.

Femella in unica nocte nidum variæ magnitudinis pro ætatis suæ ratione, artificiose admodum saltem cum extremitate imi ventris construit, figuræ ovalis, illudque stricte alicui surculo inter sepes, aut virgulto affigit. Color ejus est tabaci expansi, vel folii marcidi, atque ex materia densa, solida, cartilaginosa, sed levi contexta; quo aperto, in ejus cellulis admirabili artificio constructis ovula inter se distincta inveniuntur. Ova sunt exigua, & pineis mundatis figura similia. Antequam nidos faciunt & fœcundantur, duorum annorum cum dimidio ætatem habere debent. Nidus primi anni vix nucis magnitudinem attingit, secundo anno eandem adæquat aut interdum superat, & in tertio quartoque anno sæpe ad duarum nucum molem pervenit. Primo anno hi nidi centum, secundo ducenta, & reliquis annis usque ad trecenta continent.

Nidos suos in mense Septembri construere incipiunt, & per totum Octobrem incirca sic pergunt, partu postea in mense Majo vel Junio subsequente. Albi, venusti & figuram parentum habentes nascuntur, atque deinde, aliorum Insectorum more, aliquoties, dum crescunt, exuvias deponunt.

D. Vallisnerius & D. Cestonus observarunt, octo horarum spatio, sine masculi auxilio, nidum construere; quo in opere capite deorsum, alvo sursum spectant, reliquo corpore immobili persistente; i. e. solam partem posteriorem movent, & cum ea tam elegans opus perficiunt. Ecce autem nidi figuram. n. 2. Tab. I.

Turcæ credunt, *Insectum* hoc, quod etiam in Africa habent, esse *religiosum*, quod inventum mox brachiis suis locum monstret, ubi Mecca eorum inveniatur, signum faciendo, quando illud tangunt, versus meridiem, indigitando sic ejus situm, unde occidisse illud, magnum scelus reputant.

Tale quid narrat Rondeletius in Libr. de Piscib. his verbis *tam divina censetur bestiola, ut puero interroganti de via, altero pede extento rectam monstret, atque raro, vel nunquam fallat.* Quod omne D. Vallisnerius merito deridet, accidentales hos motus & gestus naturales esse reputans, juxta irradiationem spirituum, a timore aut alia phantasiæ perturbatione, non ut Meccam Mahumedanis superstitiosis, aut viam credulis ac simplicibus pueris indicet. Et ecce figuram *Tab. I. n. 1.* hujus insecti masculi, in actu quo captam locustam devorare parat.

OBSERVATIO XXXVI.

Dn. D. PHILIPPI MASIERI.

De

Fusi intra anum intrusione, & tandem inde morte.

HUmana natura adeo inordinatis ab animi passionibus agitatur, ut laxatis quasi frenis ea quandoque vitia incurrat, quæ eo magis detestanda sunt, quo vehementiores sunt stimuli illius affectus, qui eam adfligit. Cuinam vero truculentiori passioni, quam concupiscentiæ, miseri homines subjecti esse possunt? quæ primum inter omnes locum tenet, & cum homini æque ac aliis animalibus connata existat, a rationis disciplina quasi exempta esse prætendit.

Unde fit, ut major hominum pars in hujus infamis venatricis retibus involvatur, a falsæ hujus Sirenæ, qualis est amor, suavi cantu in soporem conjecta. In feminis igitur, ceu debilioribus ad resistendum passionibus, adeo increscit hic affectus, ut in turpem interdum libidinem degeneret, quæ ubi ad votum, ob verecundiam, extingui nequit, atque effrenis appetitus tanto magis in eis invalescit, ipsæmet insuetis modis impuras suas voluptates explere præsumunt: quo de Propertius l. 3. eleg. de incontin. mulier. cecinit;

Ob-

A Ventriculus extra situm naturalem, a tumore forte eo propulsus
B Atheroma, capitis infantilis magnitudine reni sinistro incumbens
C Intestinum colon solito gracilius
D Ren sinister.
E Pylorus extra situm naturalem hic in statu p. n. orificio altero inferi.

Observ. II.



Fig. 2.

Fig. 1.

Observ. XXXV.

Observ. XXXVI

Fig. 1.

Observ. IX.



Fig. 1. Observ. XXXIV. Fig. 2.
Figura floris.

Fig. II.

A. Figura Fusi, quod ex nate Dextra fuit extractum.
B. Locus, ubi a Fuso intestinum rectum fuit perforatum.
C. Locus ubi Fosum Musculum Sphincterem penetravit.

Objicitur toties a te mihi noſtra libido,
crede mihi, vobis imperat iſta magis.

& paulo poſt:

Et placidum Sirtes portum & bona littora nautis
præbeat hoſpitio ſæva Malea ſuo.
Quam poſſet veſtros quisquam deprendere curſus,
& rapidæ ſtimulos frangere nequitiæ.

Multæ idcirco fuerunt, quæ petulantiæ ſuæ pœnas dederunt, quoniam poſt acerbiſſimos perpeſſos dolores, omnium ſpectaculo ſe exponere, extractionemque acuum oſſearum vel aurichalcearum ex veſica, ab ipſis in actione aliqua libidinoſa præter voluntatem illuc ingreſſarum, permittere coactæ fuerunt.

Verum præſens Caſus, ut rarior, ob circumſtantias in eo deprehenſas, innoteſcere meretur, quem pro mea ſolita ingenuitate deſcribam, cum talibus reflexionibus, quas ad veritatem eventus penetrandam conferre quid poſſe, mihi videbitur.

A. 1704. d. 1. Septembr. Noſocomium magnum ad S. Franciſcum Patavii femina quædam acceſſit, Maria dicta, filia Dominici Tabini, ex villa Carrara, ſeptem milliaribus Patavio diſtante, ætatis 37. annorum; referens, ſe circa finem præteriti menſis Maji, ſeipſam in muliebre pudendum fuſum, quali in filis cannabinis ducendis ruſticæ uti ſolent, immiſiſſe, manu vero elapſum tam profunde introceſſiſſe, ut retrahere illum non valuerit; ſed poſt triduum, poſtquam interea temporis nullum incommodum inde perpeſſa fuiſſet, in nate ſiniſtra, trium digitorum diſtantia ab ano, tuberculum ipſi enatum fuiſſe, eoque inter eundum diſrupto, apicem fuſi ſe conſpiciendum exhibuiſſe, unde ipſamet mox extrahere illum ſtuduit; quod cum impoſſibile ipſi eſſet, re cum matre deliberata, hæc magna cum violentia, & multo ſubſequente ſanguine fuſum extraxit.

Quo facto, Chirurgum acceſſit, qui eandem ſpatio viginti dierum ſanavit,

Postquam a primo hoc malo circa d. 24. Junii convaluit, & pro more suo cannabi filandæ operam navavit, alium fusum priori similem ano immisit, medietate tamen extra corpus relicta; quo in statu aliquandiu scamno ligneo insedenti fusi etiam reliqua pars corpus intravit, ita ut extrahere eam amplius non valuerit.

Interea octo dies præterierunt, in quorum fine, cum femina nullum hucusque sensisset nocumentum, tuberculum priori simile in nate dextra, quatuor digitorum ab ano distantia comparuit. Quod ipsum quoque inter eundum fuit ruptum, protuberante similiter fusi apice, idque frustra extrahere cum tentasset, tandem die supra memorato Nosocomium ingressa est.

Quo temporis spatio, altero nempe fuso in corpore hærente, menstrua debito tempore ipsi fluxerunt, alvi tamen consuetum beneficium defuit, quod prius quotidianum fuit, nunc secundo vel tertio demum die evenit; cæterum nullum unquam dolorem, nisi inter eundum sensit: Et hoc est, quod ægrota recensuit.

Relationem hanc non esse sinceram, credo, quod sano judicio quivis præditus judicare poterit, & statuere, illam de primo fuso factam, quod femina pudendo muliebri inseruisse narravit, ob rationes, quas proferam, esse impossibilem.

Primus, qui in Nosocomio de hoc facto ferebatur, sermo fuit, mulierem hanc duos fusos in anum octo dierum distantia introduxisse; ob quam rem acriter fuit reprehensa, quod post primum commissum errorem, in secundum etiam devenerit; unde postea enarrationem facti mutavit.

Sed, quæso, consideremus impossibilitatem primæ in uterum immissionis. Quam opinionem examinando, cognosci debet locus, per quem fusus juxta recensitum modum intraverit: ubi tria loca invenio, meatum nempe urinarium, vaginæ partem lateralem, & uterum. Per meatum urinarium non potuisse introduci dico, quia ejusdem angustia tantæ crassitiei fusum capere haud potuit; & si quis objiciat, quod per eundem calculus, licet simili magnitudine præditus, educi soleat, respondeo, in tali operatio-

ratione feminam ligari, & præter voluntatem etiam sic detineri; nec credo ob delectationem aliquam tantos dolores eandem supportare voluisse.

Sed ponamus, primum illum fusum per meatum urinarium fuisse introductum; quæro, qua ratione totus sine fundi vesicæ perforatione intrare potuerit? & quomodo absque superveniente dolore in inguine & pube, sine involuntaria semper urinæ excretione, ac sine evidentissimo vitæ periculo, (uti Hippocrates in Aphorismis, sect. 6. aph. 18. testatur: Vesica discissa, aut cerebro, aut corde, aut septo transverso, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut ventriculo, aut jecore, letale est,) id accidere potuerit? cum tamen ægrota, ceu in examine patuit, nullum prorsus incommodum perpessa fuerit.

Insuper scire vellem, quomodo tantum naturæ miraculum fieri potuerit, ut fusus tam profunde intraverit, & tamen in obliquum se vertere, sicque per natem sinistram exire, & quod magis hyperbolicum est, omnia hæc trium dierum termino fieri potuerint.

Quod fusus in vaginæ partem aliquam lateralem a femina introductus fuerit, res non minus est impossibilis, cum etiam ab alio aliquo pars ista, ad illum in ventrem introducendum, ægre perforari posset; & si id faceret, dolor ac inflammatio tanta succederent, ut patiens vitam amitteret: Perpendatur itaque, an femina ipsa ultro tale quid facere potuerit.

Tandem & illud, quod femina fusum in uterum immiserit, easdem, quas circa vesicam, patitur oppositiones, quia longitudo fusi non tanta est, quæ ad fundum uteri pertingere, sicque eum perforare, aut si totus in uterum pertransisset, non per obliquum ibi se vertere, atque ita ad natem dextram perforandam progredi potis fuisset.

Sed audiamus, quid Ambrosius Paræus in tract. de Renunciation. & cadaverum embammat. dicat: Utero vulnerato, sanguis per genitalia effluit, cæteraque symptomata apparent, quæ vesica vulnerata; ægrota autem hæc nullum dictorum symptomatum

matum passa fuit, & tertio jam die tumor obortus fuit, fusique apex apparuit.

Jam sufficienter me falsitatem relationis probasse existimo, nec quenquam fore, qui sine ulteriori consideratione tali mendacio fidem præstare velit.

Nolo recedere a prima confessione, quam femina D. Jo. Andreæ Toppæ, Chirurgo istius Nosocomii fecerat, qui nempe eam de facto hoc interrogaverat, cui mox respondit, ob magnum pruritum, qui eam in orificio ani stimulaverat, fusum ad levandam istam molestiam, se arripuisse, totumque intromisisse, & aliquot post dies secundum etiam adhibuisse.

Duo itaque fusi intestino inclusi, cum in medio multum crassi essent, in causa fuerunt, ut cuspides eorum ab invicem distarent; unde haud difficulter credi potest, quod unus versus natem sinistram, & alter versus dextram progressus fuerit; & sic a pondere, quamvis exiguo secum, quæ semper ad inferiora tendunt, ut & a pressione, quæ ordinario in excrementorum expulsione fit, & in tali casu valida esse debuit, fusus uterque ad cutem natium, primo intestinum, posteaque musculos perforando, devenerit.

Prima operatio, quæ in hoc casu instituta fuit, erat foraminis, quod fusus fecerat, dilatatio, digiti longitudine per transversum facta, immittendo ei longam turundam, ut exitus fusi facilior redderetur, qui omni mane sine magna violentia tentabatur; quod tamen nunquam succedere voluit, usque ad d. 5. Sept. ubi simul non pauca secum quantitas cum apice fusi prodiit, evidentissimo signo, quod ex intestino exierit.

Peracta hac operatione, mox feces prodire ceperunt ex vulneris foramine, quod putredinem cum magna dilatatione, febri & frequenti horripilatione concipiebat, unde de vitæ periculo multum timebatur, & certe cum omni possibili diligentia putrefactio impediri non poterat, ita ut noctu d. 10. Octobr. ægrota animam Deo reddiderit.

Sequen-

Sequenti die corpore inverſo, diligenter vagina, uterus, veſica & inteſtinum rectum fuerunt ſeparata, exacte conſiderata, omniaque ſana reperta, excepto inteſtino, in quo cicatrix, ubi primus fuſus erupit, apparuit, quæ in parte carnoſa muſculi ſphincteris, in parte dextra exiſtebat, ob quam cauſam etiam ſanatio feliciter ſucceſſerat; aſt ſecundi fuſi foramen in inteſtini parte tenuiori ſupra dictum muſculum comparuit, & cum hæc pars non admittat unionem, ſemper ſecum exitus per vulnus a fuſo inductum fuit obſervatus.

(*Ex communicatione prælaudati D. Vallisnerii.*)

OBSERVATIO XXXVII.

DN. D. JOH. GEORGII VOLKAMERI.

De

Tigridis ſpecie, felis magnitudinem non adæquante.

FElino generi ob ſimilitudinem cum Fele Animali domeſtico accenſeri Tigres, nemo eſt qui negabit; ſed tigrides felibus minores eſſe, fidem ſuperare videtur, cum de ſpecie hac altum apud Zoographos exiſtat ſilentium. Tales tamen repertu dari D. Dionyſius van der Sterre, Belgici in Inſula Curaçao quondam Regiminis, dum viveret, Medicus, cujus obitus omnibus, qui rerum naturalium indagationi inhiant, luctuoſiſſimus, per literas me docuit. Sic enim ille: *Ante aliquot hebdomadas tigridem alui elegantiſſimam e felino genere, felem tamen minorem, undique ædes percurrentem, nemini infenſam. Veſcebatur carnibus crudis, ovis coctis ac piſcibus.* Fernandez in Hiſtor. quadrup. Nov. Hiſpan. T. I. cap. 10. p. m. 4. Tlolocalotl ſive parvi Tigridis (Varronem hoc paſſu ſequitur, qui maſculino genere hoc vocabulo utitur) meminit, quoniam tigridi ſimilis videtur forma atque ſpecie, quamvis corporis cedat magnitudine, maculæ fuſcæ atque

nigræ, non pallidæ atque candentes, quales in Tigribus esse solent Sed dubito, an adeo pusilla sit, cum Indos innata crudelitate aggrediatur, Hispanis tamen parcat, eosque fugiat, si vera fabula Dn. Dellon dans la Relation d'un Voyage des Indes Orientales Tom. I. chap. 25. p. m. 171. Edit. Paris. propius ad Tigridem nostram collineare videtur. Tres enim tigridum Malabarensium species, magnitudine tamen distinctas, recenset, primamque felem adæquare asserit, cum altera species vervecem vel vitulum, tertia denique equum mole superet, hincque a Lusitanis Tigris regia vocetur. Tigris tamen illa Delloniana consvetam ferocitatem, ingentesque iras, huic animalium generi a Zoographis assignatas, minime deposuit, quippe quas ipse Dellonius, eam ex ædibus ad sylvas profugam persequens, suo damno expertus est, cum e contrario Curassaviensis illa ad mansuetudinem redacta, ædes innocue percurrendo, nemini noxam intulerit; haud absimilis illi, cujus olim Martialis meminit,

improbaque tigris
indulgens patientiam flagello.

OBSERVATIO XXXVIII.

Dn. D. JOH. GEORGII VOLKAMERI,
De
De Pepone odore Ambræ, & rariori Castaneæ Brasiliensis specie.

VAriæ prostant Plantæ fructus odorem spirantes amœnissimum gratissimumque, quas si olfacies, Deos rogabis, totam ut te, Fabulle, nasum faciant, ut Catulli, joco utar, quarum tamen Catalogum hic recensere nolo, cum oppido apud Botanicos reperiantur. Peponis vel potius cucurbitæ tamen species est Curassavica, cujus modo laudatus Dion. van der Sterre ex Indiis semina misit, indicta hactenus. In varias hæc duci potest formas, subitaque capit incrementa; illud tamen maxime admirationem meretur,

retur, quod Ambræ referat odorem, hincque ob fragrantiam cubiculis inferatur, imponaturque ciſtis.

Miſit quoque Vir longiori vita digniſſimus, Caſtaneæ Braſilienſis ſpeciem, 50. vel 60. pene nucleos in præduro cortice, qui frangi non poteſt, ſed igne domari, includentem; amygdalis quoad ſaporem guſtusque ſvavitatem ſimiles, copioſum ſuppeditantes oleum.

OBSERVATIO XXXIX.

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

De

Pareſi ex Colica, balſamo vitæ potiſſimum curata.

Die 25. Septemb. Anni 1689. nocte concubia vocor ad generoſum ac ſtrenuum Dn. Capitaneum, Joh. Wilhelmum a Pleymann, heic Giſſiæ pareſi ex Colica, quam ex iracundia contraxerat, ſine motu ac ſenſu inſtar apoplectici decumbentem. Cumque pulſus admodum debilis, ipſaque reſpiratio valde morboſa ac difficilis eſſet, omnesque adſtantes ægrum jamjam exſpiraturum crederent, ego non niſi Mixturam aliquam antiapoplectico-cordialem cum liquore C.C. ſuccinato, ſpiritu apoplectico Schröderi & balſamo vitæ propinandam, tum pulvillos pro pulſibus uſitatos cum aquis odoriferis analepticis externe applicandos, & balſamum cordiale Mynſ. præſcribo; ſicque ægrum tanquam moribundum Deo & Sacerdoti commendans valedico. Quem tamen ſequenti mane adhuc vivere percipiens, illico accelero, & ſalute dicta atque recepta, hilariter exclamantem audio: **O Herr Doctor! Es iſt/ GOtt lob/ um 100. Ducaten beſſer/ als es heunt zu Nacht war/ aber er ſehe doch/ was vor ein ſchöner Urin** ſcil. **dorten ſtehet.** Quam ego intuens & propius accedens, curatius contemplans, ex virore nigricantem, craſſam, turbidamque, qualis ictericorum plerumque ſolet eſſe, deprehendo; atque adeo bilem p. n. muſculis & nervoſis partibus impactam, easque

ob ſpirituum animalium interceptionem, ad motum ac ſenſum ineptas reddentem, omnem per vias urinarias, beneficio liquoris C. C. ſuccinati & inprimis balſami vitæ, quod maxime diureticum eſt, excretam fuiſſe, ſicque ſanitatem ægro attuliſſe apparuit; quæ etiam poſt ſudoriferum appropriatum, hincque infuſum cholagogum poſtero die uſurpatum eidem plenarie affulſit. Exin balſamum illum vitæ, qualem Schröderus deſcribit, in colica paſſione, catarrho ſuffocativo, aſthmate, apoplexia aliisque gravioribus affectibus, interne ſæpius exhibui, ſemperque utiliſſimum ac efficaciſſimum deprehendi.

OBSERVATIO XL.

Dn. D. JVSTI FRIDERICI DILLENII.

Inſolita pori choledochi via, aliaque obſervatu digna, in cadavere pueri 13. annorum reperta.

ANte paucas ſeptimanas in gratiam Studioſorum Medicinæ aperui cadaver pueri cujusdam 13. annorum, hydrope, uti credebant, extincti. Abdomen tamen haud adeo tumere deprehendi, ſed potius collapſum; nec quicquam notatu dignum in exteriore ſuperficie occurrebat, præter œdematoſum pedum tumorem, qui ad tactum digiti veſtigium ſui ſatis profundum in illis relinquebat. Ubi vero cultri aciem ad infimi ventris cavitatem direxi, mox aperto abdomine viſcera omnia naturalem ſuum ſitum obtinere deprehendi, & vix ultra ℔j. aut ℔jſs. aquæ in abdominis cavitate reperi. Per omenti tamen ſubſtantiam varios variæ magnitudinis globulos, ſive tubercula piſorum inſtar, diſperſos obſervavi, quorum ſinguli venam & arteriam (turgida enim hæc erant vaſa) copioſo & ſeroſo ſanguine repleta recipere videbantur.

Hinc

Hinc suspicari protinus cœpi, an glandulæ forent omenti, quarum primus oculatissimus Malpighius mentionem fecit, an viscida potius & forsan in hocce cadavere purulenta materia repleta tubercula. Et hanc meam sententiam confirmabat glandulosa illorum substantia, quam in pluribus antehac dissectis deprehendi, & albicans, quæ ex illis exprimebatur, materia de pure suspicionem augebat.

Sic & in hepate atque liene parvula ejusmodi notavi tubercula, quæ pus concretum & induratum exacte referebant, qualique materia tota pulmonum substantia distenta erat, & ita rigida, ut vix comprimi posset. Omnium autem maxime considerationem nostram ad se trahebat porus bilarius: Viam enim, qua bilis ad intestinum duodenum fertur, & eructatur, discipulis monstraturus, Ventriculum infra pylorum ligandum curavi, tum duodeni partem aperio & sordes spongia detergo, hinc folliculum fellis comprimi jubeo. Ibi vero nulla bilis, sed spuma tantum bilis prodibat, & vix locum insertionis in duodeno satis notare poteram.

Rei ergo novitate suspensus in causas inquirere cœpi: Ductum bilis, quem porum bilarium vocant Anatomici, satis notabilem deprehendi & viam apertam: sed mox duorum circiter digitorum latitudine post suum ex vesicula fellis ortum in duos dividebatur ramos, quorum minor ad intestinum duodenum tendens, eidem 4. circiter digitorum transversorum infra pylorum spatio inserebatur tam exilis, ut nullum quoque stylum, qui ad manus forte erant, ne minimum quidem admitteret.

Alter pori bilarii ramulus multo capacior & amplior pancreatis substantiæ inserebatur, quin velut immiscebatur; vix enim digitum transversum latum progressus per totam pancreatis substantiam, in plurimos minutissimos ramulos desinens sese diffundebat, & pressa vesicula plurimum bilis ex pancreatis substantia in medio dissecta effluebat. En insolitam bilis viam & lusum naturæ mirabilem, quem, quod sciam, nulli ante me observare licuit unquam. Nollem tamen negare, bilem per pancreaticum

ductum in intestinum duodenum non eructari iterum, quanquam ego (ut ingenue fatear) omni licet diligentia adhibita, viam nullam invenerim; nec, quem usum in arte hæc qualiscunque observatio habere possit, pluribus exponam, sed hoc Tuo, Vir Doctissime, judicio, quo plures antecellis, dijudicandum relinquo.

Doctissimi Sylvii & Celeberrimi Græfii, de mutua bilis & succi pancreatici pugna, opinio labem hinc contrahere videtur maximam. Interim doleo de ægri vita, morbo & mortis genere nihil certi me comperire potuisse. In pectoris cavitate quanquam plurima p. n. erant, illis tamen singulis recensendis non immorabor, cum ab aliis eadem jam annotata sciam. Pulmones costis & sterno undique adnati erant. Substantia illorum indurata valde & crassissima, & p n. omnino pulmones investiebat membrana. Pericardium ultra tbj, aquæ continebat. E dextro cordis ventriculo & ejusdem lateris auricula ipsius cavæ orificio sanguinem grumosum polypum æmulantem extraxi. In sinistri thalami fundo albicantem quandam conspicere licuit substantiam figuræ rotundæ, magnitudinis fabæ minoris, a pure, quod plurimum in pulmonibus continebatur, concretam.

Ex literis a Dn. D. Böttichero, *t t. Collega uti amicissimo ita honoratissimo; nunc autem in Illustri Julia Medicinæ Professore primario & Archiatro Guelfico Celeberrimo A. 1698. die 20. Maji, Gissæ ad me datis.*

OBSER-

OBSERVATIO XLI.

Dn. D. JVSTI FRIDERICI DILLENII,

De

Ductu cystico retrogrado & plurimis lapillis minusculis referto.

A. 1700. mense Junio quidam medicinæ Studiosus ex Auditoribus meis, Dn. *Philippus Ludovicus Kuppius*, Gissensis, nunc Medicinæ Doctor & Practicus famigeratissimus, cuniculum fœminam (quam gravidam nescius postea reperit, catulis tamen quinque numero in utero mortuis inventis) dissecuit, cujus ductus seu meatus cysticus ex vesicula fellea usque ad intestinum duodenum pertingebat quidem, ipsum vero intestinum non ingrediebatur, sed retrogrado modo ipsum hepar prope vesiculam bilariam rursum ingrediebatur, orificio instar vesiculæ alicujus admodum distento & lapillis viridissimis, quibus & ipse ductus oppletus erat, instar seminis milii, & vel minoribus etiam refertissimo; qualibus & omnes hepatis venæ atque arteriæ, majoribus tamen, lentium imo pisorum ad instar nonnullis plenæ repertæ fuere; initio quidem molliusculis, utpote limo quasi quodam viridi involutis, postea vero, ubi abluti & resiccati erant, instar lapidum verorum induratis. Ipsa quidem cuniculus fœmina dum viveret, alvi durioris, macilenta & subtristis utplurimum erat, sterilisque omnino futura videbatur, quod tamen sectio postea aliter edocuit.

OBSER-

OBSERVATIO XLII.

Dn. D. JVSTI FRIDERICI DILLENII,
De
Lingua duplici.

A. 1703. menſe Martio St. Goari viſus eſt puer ſexennis orphanus, militis præſidiarii in fortalitio Rheinfelſenſi quondam filiolus, lingua duplici, altera alteri incumbente præditus, referente id mihi viro fide digniſſimo.

NB. Contra *Obſervat. Dec. I. Ann. III. Ephemer. Nat. Cur. pag. 578.* Vid. *Obſerv. 137. Dec. I. Ann. IX. & X. p. 311.*

OBSERVATIO XLIII.

Dn. D. JVSTI FRIDERICI DILLENII.
De
Infante puella atreta.

A. 1705. die 12. Maji oblata mihi eſt heic Giſſæ puellula ſeſquennis, Paſtoris cujusdam ſeu verbi divini Præconis paganifiliola, cujus pudendum membrana ſatis valida inſtar hymenis obvelatum erat, ut vix urinam excernere ei liceret. Hinc parentes veriti, eam poſthæc ſanguini menſtruo emittendo & matrimonio ineundo inhabilem futuram, rogarunt, utrum arte Chirurgica illi mature, antequam adoleſceret, ſubvenire conſultum foret atque poſſibile? Quod cum Joh. Georgius Reulingius, Chirurgus induſtrius jam ante me advocatus affirmaſſet, ideque ſe effectum redditurum promiſiſſet, illico me præſente operi ſe accinxit, membranam cultello acuto per longitudinem incidit, abſterſoque ſanguine turundam unguento digeſtivo imbutam vulneri impoſuit, utque id aliquamdiu continuarent, ne labia vulneris iterum coaleſcerent, parentibus auctor fuit. Vid. *Hieron. Fabricius ab*

Aqua-

Aquapend. in Operationib. Chirurgic. Histor. de hymene imperforato pag. 279. edit. Patav. Hildan. C. III. observ. 60. & 61. Observ. 3. Dec. I. Ann. III. Ephemer. German. Nat. Curios. de putendo muliebri natura clauso, arte adaperto, pag. 5. nec non *Observat. 151. Dec. II. Ann. III. pag. 296.*

OBSERVATIO XLIV.

Dn. D. JVSTI FRIDERICI DILLENII.

De *Lapide araneorum.*

EOdem anno 1705. æstate inclinante araneum majorem variegatum atque crucigerum, a domesticis meis oblatum, scatulæ foramine unico superne perviæ incluſi, periculum facturus, num forte lapillum successu temporis in eo vel penes eum invenire licuerit, quo de lis hactenus inter auctores versatur; an scilicet in rerum natura detur, & unquam visus sit talis, nec ne. Araneus ipse ultra trimestre spatium sine ullo, excepto aëris alimento, scatulæ incluſus vixit, ac telam more solito circa sese texuit. Tandem vero, mortuum & emaciatum filio meo natu primo, Medicinæ Studioso, jam nunc Licentiato, cum scatula tradidi, ut scilicet exenteraret illum & lapillum quæreret. Qui quidem in ipso araneo dissecto nihil adinvenit, in tela vero circumtexta lapillum exiguum, grano tamen milii non decorticati æqualem, rotundum & albicantem, cum apophysi sive appendice fusca hærentem reperit, minus quidem durum, sed leguminis instar friabilem. Confer *Sim. Paulli Quadripart. Botanic. Class. II. ubi de Valeriana*, p. 163. hæc pro fabula & nugis habentem; *D. Joh.* vero *Francum*, Medicum Ulmensem, fide partim propria, partim duorum civium Ulmensium id ajentem, ac tres lapillos fabæ magnitudine variique coloris describentem. Vid. *Prodrom. Arachnologiæ Ejusd. in Ephemerid. N. C. Dec. 2. A. III. p. 97. & A. V. p. 462. &c.*

(*Gissa Augustam Vind. A. 1712. d. 10. Sept. misse.*)

OBSERVATIO XLV.

Dn. D. VITI RIEDLINI.

Hydrops Pectoris prædictus & sectione confirmatus.

PEr Illustris quidam Consul sex annis sexagenario major, cum Anno præterito ab Erysipelate, unguentis retropulso primum, hincque in ulcus pedis desinente, taliter qualiter convaluisset, ab illo tempore de tussi & difficili respiratione, nocturno præsertim tempore magis molestis, questus est, & remedia quidem varia adhibuit, at quamprimum vel minimum notavit levamentum, hæc denuo sepositit; sæpiuscule etiam splendidissimis suis muneribus præfuit, hincque eo minus ægrotis annumerari voluit; bis terve etiam calculi dolores eo acerbiores persensit, quo diutius calculi in penis glande substitere, nec nisi mediante extractione removeri ex hac potuere: instans vero tempore præcipue nocturno asthma, adeo ut sæpius de lecto surgere habuerit opus, cachexiæ metum mihi injecit, unde & marte hanc expugnare tentavi; Vinum etiam medicatum bibit, quod levamentum attulisse videbatur: utut vero postmodum martiata sic sat sedulo continuarit, laxantia his interposuerit, Decocta Pectoralia biberit, Spiritum Sal. Armoniac. cum Aq. convenientibus sæpius sumserit, sperma Ceti quoque, & forsan alia quædam, me inscio, in usum duxerit, impedire tamen minus potuit, quin respirandi difficultas tantum incrementum sumserit, ut in lecto subsistere ulterius non potuerit, sed omne tempus sedendo protrahere opus habuerit; nullo itaque stertore præsente, tussi quotidie magis remittente, & convulsivi quid subesse nec minimo quidem indicio se prodente, de hydrope Pectoris cogitare cœpi; &, quo plures de hoc Auctores evolvi, imprimisque cum memoriam Wepferianam, quem insignem Medicum hic hydrops vivorum numero subtraxit, legis-

sem

sem, eo magis in sententia mea confirmatus fui: cum autem pulsus inæqualiter intermittens, Polypi Cordis suspicionem merito injiceret, & ætas provectior minus conveniens videretur, apertionem Thoracis suadere non fui ausus, illum tanquam causam, quæ removeri vix possit, accusando, hanc vero vires sufficientes non suggesturam, metuendo, licet aliquoties illius fecerim mentionem: simul autem non ignarus, quam parum medicamentis in hoc malo proficiatur, testibus omnibus & singulis fere, qui de illo aliquid commentati fuere, quin ipsis medicamentis hactenus frustra adhibitis, ab his insuper multum abhorrenti ea obtrudere piaculo duxi; aures tamen præbui cuidam, succum Nasturt. aquat. commendanti, cum sub tam diuturno malo humores non potuerint non labem quandam scorbuticam contrahere, & in pectore contentis exturbandis a quibusdam commendetur; utut vero bis terve urinam tam copiosam moverit, ut spem quandam convalescentiæ conceperimus; diutius tamen continuatus tandem non solum urinam ulterius non movit, sed & appetitum prostravit, hincque sepositus fuit. Quemadmodum autem, qua hydropem Pectoris, in sententia mea me quoque confirmaverat tumor pedum, abdomine ab hoc plane immuni existente: ita si serum per pedes forsan subtrahi posset, & in pectore imminutum iri, speravi, hincque fomenta commendavi: hæc tamen ut in usum duxisset, obtinere non potui; licet haud frustra de hoc subsidio me cogitasse, sub finem vitæ detumescentes pedes, & asthma hinc mirum quantum auctum, imo mortem inferens, indicio quodam fuerint: cum ergo malum semper fere idem persisteret, nec ego alia remedia, quam interdum urinam blande moventia commendarem, & nonnulli veteranum quendam Medicum summis extollerent laudibus, cum hoc ut consilium inirem, rogatus quidem fui; at ego hujus Viri genium a meo prorsus alienum noscens, hincque mihi ipsi non fidens, ne amice cum eo conferrem, deprecatus fui. Et hic quidem, cum accessisset, Pectoris hydrope ipsum minime laborare, quin non dari talem hydropem; & asthma hypochondriacum scorbutumque esse, quo decumbat

ægrotus, tam acriter asseruit, ut &, si prelo subjiceretur, se aliter sentire non posse, dejerarit, licet nec huic, nec illi revera dicata remedia ordinarit: semper vero spe vanissima convalescentiæ tum Perillustrem Dominum ægrotum, tum adstantes lactavit, utut apud alios nec minimam illius supersse edixerit: nil autem pluribus medicamentis exhibitis obtinuit, quam ut appetitus plane fuerit prostratus: asthma antiquum obtinuit, quin auctum fuit, cum præcipue ipsi persuasisset, ut bis terve decubuerit: unico ante beatum obitum die pedes detumuere (& a sero ex his refluo omnem in Thoracis cavitate inventam aquam hic Medicus absurdissime derivavit,) sed auctum fuit asthma, donec tandem XXXVII. post hunc vocatum die ærumnosam vitam cum meliore commutarit.

Ante plusculos vero annos beatus hic Consul in mandatis dederat, ut post mortem artis periti in tortorem suum, (sic enim Calculum vocabat,) cultro anatomico sedulo inquirerent; & hoc ipsum mandatum paulo ante mortem eo magis nunc ursit, quia & de hoc morbo suo ultimo duos Medicos dissentientes habebat; ut adeo ipsemet hac de causa amice me rogarit, ut huic apertioni instituendæ præessem: unde & statim huic petito fuit satisfactum, cum, uti Medicus ultimo vocatus retulit, suffocatus vitam finiisset: In aperto vero cadavere pro tam diuturno decubitu multa adhuc pinguedo oculis se stitit, qua Mesenterium totum fere obductum fuerat, adeo ut veteranus Chirurgus præsens testatus fuerit, tam pingue Mesenterium se in vita sua nunquam vidisse: Hepar & Lien magis non erant læsa, quam in plerisque morbis Chronicis esse solent, intestina inflata, nec ab excrementis plane vacua: liquore vero feculento nigricante & crassiusculo repletus erat Ventriculus, qui quartam mensuræ partem nisi superabat, æquabat; quem quidem nonnemo, quia ultimo biduo vel triduo parum admodum ingesserat beatus, ab ingestis derivari non posse statuebat, fereque consentientem me habuisset; ut adeo & de viis occultis, per quas serum ex pectore eo penetrare potuisset, cogitarim, Quo minus autem has invenire potui, eo magis

gis in prima mea sententia confirmatus fui, non nisi a corruptis, vel ante triduum ingestis, derivandum esse hunc liquorem, ventriculo tenui & debili, quin & a diaphragmate presso, iis expellendis non sufficiente. In vesicula fellea calculus magnitudine nucem moschatam superans, nigricans partim, sic sat rotundus & levis, cum quibusdam aliis minoribus delituerat, quorum & quidam in externa hepatis superficie observabantur. Ren sinister calculos quosdam parvos continebat, quibus majores vel cetera sanus excreverat, quibus & hic ureter repletus quasi erat, usque eo, quo in vesicam penetravit: Ren dexter duplo fere alterum & consuetam magnitudinem excedens, calculum occultabat, præter alios aliquot mediocris magnitudinis, sic sat magnum; caput fistulæ tabaci, qualia ex lapide, quam spumam Maris vocant, conficiunt, cum quadam fistulæ parte sic sat exacte repræsentantem, & pondere ℥ijß æquantem; uti minorum unus pileolum præsentabat; hincque acerbissimos Renum dolores, de quibus beatus Dominus Consul sæpius queri opus habuerat, nemo ulterius mirabatur: conspectum vero primo statim etiam fuerat intestinis supernatitans serum quoddam flaviusculum. Pectus apertum Cor monstrabat, consueto longe majus, in dextro Ventriculo polyposam concretionem, ex sanguine grumoso & membranulis constantem, continens, pulsus intermittentis, quem una mecum alii artis periti jam per aliquot annos in ipso observaverant, medicus autem ultimo vocatus pertinaciter negaverat, sine dubio causa; nec minus hydropis, jam se detegentis: dum scilicet motum cordis impetuosiorem Polypus sæpius concitavit, hincque vasa lymphatica quædam sine dubio rupta fuere: pulmones itidem consuetam magnitudinem aliquantum excedebant, pallidiusculi & duriusculi existebant, & arctius tum pleuræ, tum præsertim Diaphragmati adhærebant: hæc ambo vero viscera contegebant quasi aquam in Pectoris cavitate contentam, tenuem, cruentam, cujus libras tres spongiis mediantibus haud ita difficulter evacuavimus; totidem vero in Pectore restitisse, & quas, quia sanguini confusæ erant, temporique parcebamus, non ex-

traxeramus, nemo adstantium dubitabat, nemo etiam hinc de Pectoris Hydrope, nisi forte incredulus ille medicus, qui tamen nec verbum hac de re proferebat, cetera quoque hic præter consuetudinem vix loquax: licet autem & pituita quædam in aspera arteria fuerit conspecta, quin tamen non tam hæc, quam copiosa aqua, asthma tam pertinax produxerit, quis in dubium vocabit? Quemadmodum vero hæc observatio quædam hydropis Pectoris, non adeo noti, indicia suggerit; ita quam parum sibi consulat Medicus, alterius sententiam, præcipue minus absurdam, plane rejiciendo itidem docet.

OBSERVATIO XLVI.

Dn. D. VITI RIEDLINI.

Ischuria Catheteri sæpius applicato inprimis cedens.

JUris Consultus ille, cujus Centuriæ IIdæ harum Observationum commate XLV. historiam dedi, ab illo quidem tempore urinam utut difficilius, in justa tamen quantitate reddidit, nec habuit, quod hac de causa quereretur; cum vero ante semestre, & quod excurrit, Paralysi lateris dextri corriperetur, jam magis quam unquam prius de hoc malo sibi metuit, nec absque ratione, cum & viscera in hoc morbo affici, quotidiana testetur experientia: per integrum vero semestre tam immunis ab hoc malo vixit, ut jam fere tantum non omnem metum de ejus reditione deposuerit, cum præcipue & decumbens urinam non adeo difficulter redderet: at dum Paralysis jam quodammodo cedere cœpit, jamque de nulla re minus cogitavit, aliquando subito iterum urina sic substitit, ut ejus nec guttam quidem excernere potuerit: brevi ergo doloribus acerbis accedentibus noctu me per ancillam interrogavit, quid factu sit opus? & ego denuo Catheterem adhibere jussi, quod tamen nunc infelicius & illo crassiore Cathetere cessit;

ut

ut adeo Chirurgus de caruncula, & nescio qua excrescentia, intestinum rectum comprimente cogitarit: quam tamen sententiam tentata denuo & feliciter succedens Catheteris applicatio refutavit: jam ergo non solum tum laudatum Cataplasma sedulo denuo applicare jussi, verum & alia convenientia remedia præscripsi, metuens, ob Paralysin præsentem malum nunc difficilius curatum iri: sæpius vero ac olim redeuntibus doloribus, nec his ulli remedio cedentibus, quamdiu urina non fuit subtracta, ut sæpius subtraheretur, suasi, ursi; cum præsertim Chirurgum seniorem haberem contrarium, interserentem, si sæpius sic subtrahatur urina, metum subesse, ne tandem eam retinere non possit ægrotus: quod tamen minus ego malum existimavi, quam si crebrioribus doloribus inflammatio Vesicæ succederet; quemadmodum ergo totus in hoc fui occupatus, ut junior Chirurgus rite Catheterem applicare disceret, ita quamprimum hoc obtinui, non desiti, donec hic Catheterem, quoties dolores urgere, vesicæ immisit, utut aliquoties intempestiva nocte operæ huic vacare opus habuerit; sedulo tamen hoc præstitit, tum ægroto urgente, qui prius in doloribus nullum levamentum notavit, quæcunque etiam adhibuerit medicamenta; tum effectu exoptatissimo subsequente, quod sponte is denuo urinam reddere cœpit, primo quidem in parciore, hinc vero semper in largiore, tandemque in sufficiente quantitate; quo sæpius scilicet urgentibus doloribus Catheter fuit applicatus, eo magis sponte urina successit: Sic enim hisce nunquam diutius instantibus, musculus detrusor citius robur suum antiquum recuperavit, non plane nil conferente Cataplasmate roborante; quod hinc hodienum continuat, & jam per plures hebdomadas æger hic, Dei gratia, urinam absque ulla difficultate reddit. Docet hæc observatio Ischuriam & in Paralyticis subinde curari posse: inprimis autem non habere nos, quod nobis vel a frequentiore docta Catheteris applicatione metuamus, quæ semper impediet simul, ne via, quam transit, lædatur: quin hic plurimum frequentiorem applicationem contulisse, ut citius urina rite denuo potuerit excerni, nullum est dubium.

OBSER-

OBSERVATIO XLVII.

Dn. D. VITI RIEDLINI.

Sternutatio creberrima & vehemens, leniſſimo remedio cedens.

PRæfecti cujusdam militaris e primis filiola duodecim annorum, elegantis formæ, & tenerrimæ conſtitutionis, cum ante biennium per lapſum de ſcamno gravius caput menſæ juxta poſita alliſiſſet, exinde quidem haud ita diu male ſe habuit, at ex illo tempore aliquoties crebrius ſternutavit, quoniam tamen malum diutius nunquam inſtitit, nec alia poſt ſe traxit, minus etiam curatum fuit. Contigit vero præterito Vere Anni M DCC XII. ut ſternutare denuo cœperit, & quidem nunc tam ſæpe, ut, ne periculum inde immineat, Parentes metuerint, hincque me propterea conſuluerint. Licet vero ego blando purgante humores forſan peccantes ſubducere, variisque tum antiſcorbuticis, tum præcipitantibus, anodynis & nitratis corrigere hos tentarim, varia etiam externa fuerint adhibita (ubi inter alia per errorem applicata fronti Aqua Mercuriata ex minerali parata, loco Mercurialis ex herba deſtillatæ, & frigus induxit, & ſternutationem auxit,) nil quicquam tamen hiſce proficiebatur; ſemper pluries, & aliquoties uno ſpiritu plus quam vigeſies ſternutabat: quoniam vero per tam crebras ſternutationes non niſi pauciſſimæ ſeri guttulæ expellebantur, ſi hoc copioſius eliceretur, prodeſſe poſſe credens, ſuccum Betæ rubr. Aq. Majoranæ temperatum naribus attrahendum commendavi; & hic ſane, licet parum admodum ſeri elicuerit, per aliquot tamen horas ſternutationem inhibuit, ſic ut jam fere triumphum cecinerimus, ſed ante victoriam; illis enim elapſis, non ſolum ſternutatio majori fere cum vehementia rediit, verum & hoc ipſo remedio nunc fuit aucta; jam ergo & veſicas in cervice excitare juſſi, at & hæ nec minimum quidem

dem contulere. Semper itaque orgaſmum a menſibus in hiſce puellis, utut non ſubſequantur, non ita novum in mente habens, de Venæſectione in pede inſtituenda cogitavi; prius vero, ut tentent, quid pediluvium præſtet? rogavi: utut vero qua cetera quævis mandatis meis paruerint, in hoc tamen neſcio qua de cauſa ea non audientes me permoverunt, ut ſuaſerim, ut lutum fornacum aceto mixtum plantis pedum applicent; & ecce! cum hoc vix fuiſſet factum, ſternutatio ſic remiſit, ut absque hac integram noctem quietam duxerit; cumque ſequenti die lutum exſiccatum removerent, rediit quidem ſternutatio, aſt & iterato huic ipſi cataplasmati ſtatim denuo ceſſit, nec alia medicina opus habuit, niſi quod & Mucil. ſem. cydonior. non absque fructu naribus ſe attraxiſſe credidit: intra quinque vero dies fere ad minimum ter millies ipſam ſternutaſſe, adſtantes unanimiter aſſeruere. Succeſſit autem dolor acerbus illius partis capitis, quam ante biennium menſæ alliſerat, hincque metum mihi injiciebat, ne forſan pus ſubtus lateat, caſus in Ephemeridibus noſtr. Dec. I. Anno III. Obſ. 138. deſcripti memor; at ſucceſſit huic ophthalmia, & hac diſcuſſa, ſic DEI gratia, cum ſanitate in gratiam rediit, ut jam per integrum ſemeſtre non habeat, de quo queratur. Conſenſum capitis cum pedibus quemadmodum hæc egregie confirmant, ita vel vilia remedia interdum male contemni, hæc ipſa obſervatio teſtatur.

(*A. 1712. d. 11. Septemb. Vlma Auguſtam Vind. miſſæ.*)

OBSERVATIO XLVIII.

Dn. D. JOH. ADAMI GENSELII.

De

Febri maligna ſumme periculoſa, & jam quaſi deſperata, aſt feliciter curata; in qua τὸ Θεῖον *emicuit Hippocraticum.*

VIr 54. annorum, Sopronienſis, temperamenti ſanguineo-cholerici, corripitur febri maligna cum cardialgia & continua cephalalgia ac ſopore, peſſimo cum augurio, juxta Hippocrat. Prænot. 1. Coac. aph. 48. *ex præcordiorum dolore febres obortæ, malignæ ſunt, in his profundus ac altus ſomnus peſſimus.* Ordinavi bezoardica, diaphoretica, interpolatis analepticis; ſecunda die curavi venam mane ſecari in brachio, circa veſperum in pede: ſanguis erat incoctus, & absque gutta ſeri: tertia nimium quantum tuſſivit cum calore aucto a fermento illo turbativo reddito fortiori, quod itidem malum, juxta Hipp. aph 43. ſect. 4. ac ejecit materiam purulentam copioſam; abſceſſum quippe habuit in pulmonibus: quarta incepit, quod alias bonum, ſurdeſcere; quinta continuato ſputo acceſſerunt deliria & morbus regius, quod malum, juxta Hipp. Coac. prænot. ſect. 1. aph. 172. it. De judicationibus ſect. 8. & aphoriſ. 62. ſect. 4. imprimis cum duritie hypochondriorum ab obſtructione ſcirrhoſa tartarea, juxta Hipp. aph. 42. ſect. VI Sicuti in hoc ſubjecto fuit. Sexta tyranno quaſi exiſtente ſputum ceſſavit, licet tuſſis plusquam ferina ipſum excruciaverit, quod alias lethale juxta Hipp. aph. 17. ſect. VII. ulcere enim non amplius abſterſo per *ἀναπάθαρσιν*, porisque calloſis redditis & obſtructis, natura ſuccumbit. Septima die, excretione ſymptomatica, prorumpentibus exanthematibus purpureis floccos legit cum torvis oculis, deliriisque ferocibus ob eccentricum motum ſpirituum ac obverſantium inde idearum, ronchis ſonoris ac pulſu vermiculari & intermittente, exteriora frigebant, interiora urebantur, deficiente

ente tamen ſiti cum oppreſſivis frigidis ſudoribus, extremum notantibus conatum, & difficillima reſpiratione, quæ juxta omnes Practicos lethalia ſunt ſigna, ſymptomatibus ultra æquatorem quaſi & ſphæram naturæ transgreſſis, imprimis ſecundum Hipp. aph. 50. ſect. 4. *ubi in febre non intermittente, difficultas ſpirandi, & delirium fit, lethale eſt:* facultate vitali & animali ſimul gravius læſis, indicio circulationis ceſſaturæ, & aph. 72. ſect. 7. it. aph. 46. ſect. 4. frigus quippe emorientis facultatis & caloris conſectarium mortem portendit, calore ad ſumma & ultra ſphæram naturæ progreſſo, poſt ſe morticinum relinquit frigus, aph. 48. ſect 4. & aph. 37. ſect. 4. Frigidi ſudores cum acuta febri, mortem ſignificant: circa ſeptimam veſpertinam acceſſit ſingultus cum convulſionibus, quod peſſimum, juxta Hipp. Lib. 1. prædict. ſect. 3. & voce tremula, quod itidem lethale, juxta Hipp. Coac. prænot. ſect. I. aph. 131. & ſeq. delirium in ſpiritu & ſudore ac ſingultu lethale eſt; & aph. 66. ſect. 4. aph. 13. ſect. VII. Coac. prænot. ſect. 3. abſumpta enim plus juſto lympha & ſanguini incocta, ſpiritibus & nervoſo generi motus irregulares inferuntur. Divus noſter ſenex quidem dicit ſect. 2. aph. 13. Quibuscunque criſis fit, his nox gravis ante acceſſionem; profecto hic graviſſima erat: nam æger extremos habuit labores, oculos concavos, naſum acutum, tempora collapſa, aures frigidas ac contractas, ungues nigros, cutem duram, palpebras lividas, colorem morticinum ac cadaveroſum, neminem ex agnatis novit, in agone jamjam quaſi conſtitutus, & pro ſemimortuo reputatus. Si enim talia evenerint, mors proxima eſt, juxta Hipp. aph. 49. ſect. 4. & ſect. VIII. aph. 12. 14. 16. & licet juxta Hipp. aph. 19. ſect. 2. acutorum morborum non dentur certæ prædictiones nec ratione ſalutis, nec ratione mortis; tamen in hoc ſubjecto poſitis omnibus ſignis diagnoſticis lethalibus, etiam ab ipſo Hippocrate juxta ſuperius allegata prognoſis fatalis pronunciata fuiſſet: verum τὸ Θεῖον, illi ceu ethnico jam notum (vide prænot. Hipp. Sect. I.) hic ſole meridiano clarius emicuit. Deus quippe, ut ubique, ita & in Medicina, ſupernaturali, incomprehenſibili admirandoque

operatur modo; datis enim bezoardicis, ac analepticis temperatis, calidi innati vigorem roborantibus ac conservantibus, rarefactionem & resolutionem peregrinam domantibus, intermixtis thoracicis, eadem die sudor provenit calidus per totum corpus, qui optimus, juxta Hipp. prænot. Coac. Sect. 4. & febrem solvit. Sicque septima, crisi facta perfecta, & finita ultima naturæ lucta cum morbo, incidit in somnum profundum, qui delirium sedavit, quod bonum, juxta Hipp. aph. 2. Sect. 2. & prænot. Coac. Sect. I. Æstuantibus itaque undis Massæ sanguineæ, morbique procellis suaviter placatis, & a lympha reparata, spiritibus placide irretitis: octava die malacia quasi toti inducta corpori: nona remittente calore, sequentibus diebus halcyoniis melius valere cœpit, & laus sit Deo, saluti indefesse studens Patriæ adhuc vivit. Atque sic in præsenti Casu ceu Medicus ministrum tantum non magistrum egi naturæ, eam adjuvando, motusque illius criticos promovendo, licet sciolæ ac vesanæ quædam mulierculæ, veculæ medicastræ, laudem, more hic loci solito detestando, hujus Curæ sibi temerario arrogaverint ausu, quod nimirum ægrum hunc tinctura quadam lunæ vel Solis ex faucibus mortis absque mea ope eripuerint.

OBSERVATIO XLIX.

Dn. D. JOH. ADAMI GENSELII.

De

Conceptione in Somno.

PUella 20. annorum mercatoris cujusdam ancilla, ipsa inscia & inanimadvertente, nihilque penitus penitusque sentiente, concepit & imprægnata fuit, coram judicio constituta & examinata fassa est, quod scienter cum nullo concubuerit viro, sed quod sodalis prædicti mercatoris poculum vini semel ipsi porrexerit, quo exhausto, somno profundo, non sine suspicione narcotici cujusdam propinati (a qua tamen juramento sodalis se liberavit) ob-

obruta, crediditque, se in illo, quamvis sine sensibilitate impræ-gnatam fuisse. Magistratus super hoc judicium meum expetiit: utrum fœmina in somno ipsa inanimadvertente concipere pos-sit, cui affirmative respondi, cum alia quoque similia pro-stent exempla. * Datis enim omnibus requisitis ad conceptio-nem necessariis, non potest non eadem subsequi, licet præter vo-luntatem, vel citra appetitum naturalem coitus contingat. Illud in plurimis puellis toto quasi observatur die, quæ contra volun-tatem suam & intentionem, ipsis quasi invitis imprægnantur: hoc vero in certis mulierculis temperamenti phlegmatici, quales ipsemet novi, cernitur, quæ absque minima delectatione, voluptа-risque ac titillationis sensu, atque sic sine appetitu concumbentes, tamen concipiunt, quod etiam confirmant Rodericus a Castro Lib. 2. de nat. mul. Cap. 1. & Platerus Lib. 1. observ. p. 261. Non video itaque, cur non etiam in somno fœminæ concipere possint, facta efficaci & sufficiente ovulorum per spiritus seu con-tagium vel fermentum seminale fœcundatione; quæ enim Hie-ron. Fabr. ab Aquapend. Lib. 1. de chir. oper. p. 93. refert: possi-bile esse, fœminam absque coitu, propter vim uteri attractricem, se-mine maris ante genitale arvum tantum emisso, concipere, me-rito pro fabulis anilibus & impostoris habentur. Nam licet semen ad fœtus generationem non κατ' ὄγκον, sed κατ' ἐνέργειαν concur-rat, quod experimentis Charletoni, Regn. de Graaf, imprimis vero Gvil. Harvei innotuit, qui dissectionibus cervarum & dama-rum tum ante finitum earum coëundi terminum, tum etiam postea institutis, in uteri cavitate, aut ejus cornibus, tubis fœ-minarum analogis, nunquam seminis aut sanguinis vestigium repererunt propter nimiam distantiam; nihilominus tamen ovulorum requiritur irradiatio, vel si quis cum veteribus mixtio-nem seminis fœminæ (quo tamen consensu plurimorum carent) cum maris statuat, sciat, fœminas quoque pollutionibus infestari nocturnis, & sic etiam juxta hanc hypothesin, conceptionem in somno, facta solummodo carnali copula, fieri posse: possibilita-

* *Vide Zeil. Rosett. p. 345. Montan. Lib. 2. C. 2.*

tem porro hujus conceptionis exempla quorundam maleferiatorum comprobant, qui ligna, candelas, aliaque absurda, meretricum vino somnoque sepultarum pudendis sine minima sensatione intruserunt, quare non etiam mentulam potuissent, quando profundius imprimis immersi delitescunt ac sopiuntur spiritus: veritati denique hujus Casus suffragatur historia Lothi, vino somnoque sepulti, nec scientis, nec sentientis actum concubitus filiarum suarum, prouti vulgata Genes. 19. vers. 33. & 35. notanter reddidit, id quod verbum יָדַע innuit, adhiberi alias solitum de illis, qui bene noscunt, sciunt, ac sentiunt, sicuti linguam Hebraicam callentibus constat. Verum Loth ceu agens & operans, nec scivit, nec novit, nec sensit actum illum: quare igitur non etiam in patiente & recipiente simile contingere posset, ut taceam, vino purpuratos, illoque dementatos, homicidia inscienter committentes, & fustibus bene oneratos, vel graviter vulneratos, nihil plane per aliquot horas, propter spiritus Baccho somnoque oppressos, scientes & sentientes. Cum vero Medicus quidam tanquam pro aris & focis pugnans, possibilitatem hujus imprægnationis negasset, expetii Germaniæ nostræ Hippocratis, Wedelii scilicet, desuper judicium, cui tunc ratione uxoricidii, Sopronii inhumane patrati, scripseram, qui mihi sequentem in modum respondit:

Vir Nobilissime, Amplissime atque Excellentissime,
Domine Fautor & Amice honoratissime.

Simul literas Tuas gratissimas accepi, exhibui inclusas Facultati nostræ Medicæ, cujus responsum hisce meis junxi, cum gratiarum actione & salutatione humanissima ejusdem nomine nunciata &c. Quod alterum postulatum attinet, an Virgo alto somno sepulta deflorari & imprægnari possit insensibiliter, itidem affirmandum est merito; si scilicet somnus sit profundior, vel secundum naturam, ut primus esse solet, & in aliis magis profundus, vel non naturalis, a laboribus, fatigatione, potu largiori imprimis, prægressis vigiliis: seu immissionem perfectam & completam, seu irradiationem solum seminalem, ut recentiores quidam

dam volunt, ſtatuamus. Videri de hoc poteſt Zittmannus in Medicina forenſi Cent. V. Caſu. 21. p. 1156. & Cent. VI. Caſ. 77. pag. 1642. ibique laudati. Servet Te DEUS! Dabam raptim Jenæ M DCC XII. Die 25. Auguſt. Nobiliſſ. T. Nominis

paratiſſimus cultor
G. W. Wedelius.

OBSERVATIO L.

De *Hydrophobia.*

Dn. D. JOH. ADAMI GENSELII.

ADoleſcens 15. annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, famelicus ſumma cum aviditate, appetituque quaſi præternaturali paſtillos devoravit farinaceos nimis calidos, ac quaſi ferventes, ſuperbibita aqua glaciali: Corripitur tertia die hydrophobia, ſiti vexatus maxima potum petiit; aſt poculum in manibus tantum tenens, jam abhorruit, nec liquidum aſpicere, multo minus deglutire poterat, horrendo & plusquam Tantalio fato, ad lucis & linteaminum alborum conſpectum quoque contremuit, mente tamen illæſa, ſed pulſu concitato, multisque ſudoribus. Mater quidem ejus vi aliquoties liquida ori infudit, ſed fruſtra miſerculus captabat aquas in aquis: nam per nares rurſus celeri cum regurgitatione, metuque ſuffocationis reſilierunt. Adhibebantur Venæ ſectio, veſicatoria, bezoardica, aliaque remedia appropriata, imprimis autem decantatum illud remedium ex cineribus cancrorum fluviatilium, thure ac gentiana confectum, cujus uſu neminem mortuum unquam aſſerit Schenckius in obſerv. Medic. pag. 856. quod tamen fidem excedit; parentes quoque ejus, vota ad D. Hubertum, qui in Arduenna, & Divum Bellinum, qui in Rhodiginis paludibus [de quo videri poteſt Cœl. Rhodiginus Lib. 17. Cap. 28. L. A.] ceu patroni hydrophoborum coluntur, fecerunt:

aſt

aſt omnia incaſſum fuerunt, ſeptima quippe die, intercluſo ad pulmones aëris tranſitu, ſtrangulatus exſpiravit. Rariſſima enim eorum ſuppetunt exempla, in quibus hic morbus, ubi ad aquæ metum deventum fuit, remediorum ope ſit ſuperatus. Salvo aliorum judicio hydrophobia hæc non vitio primarum, vel occultarum qualitatum oraculi ignorantiæ, nec mentis læſæ aut delirantis, nec ſalivæ, juxta Martinum Liſterum, nec vitio imaginationis ſplenis, tanquam animæ ſenſitivæ organi, juxta Helmontium in Ortu Medicinæ p. 277. ex quo fumus atræ bilis in caput, thecam poteſtatis phantanſticæ, efferatur, nec vitio miasmatis per morſum canis rabidi maſſæ ſanguineæ communicati, ſed a convulſione diaphragmatis, muſculorumque, faucium ac nervorum, propter viritationem & ſubſequentem quaſi fixationem ſpirituum animalium contigit, non quod metus & antipathia inter ſpiritus igneos, & aquam frigidam, ceu duo contraria, ſecundum Sebaſt. Wirdig in Medicina ſpirituum p. 222. eſſet, ſed propter ſubitaneam illam mutationem calidi in frigidum repellens ac concentrans, a quo ſpiritus animales influentes in nervos, diaphragma ac muſculos faucium deglutitioni inſervientes fixati quaſi erant, cum interna febrilis caloris accenſione, prædictarumque partium, ab heterogeneitate illa maſſæ ſanguineæ quoque inducta inflammatione, unde nulla dilatatio, nec conſtrictio amplius muſculorum fieri potuit, rigidis quaſi manentibus illis, nec gula ſatis deprimi poterat, quantum ad potandum ſuffeciſſet, nec trachea ſatis in deglutitione conſtringi propter metum ſtrangulationis, ob impeditum aëris in partium pnevmonicarum cavitatem ingreſſum, prouti in Synanche & Cynanche fieri ſolet: facta exenteratione muſculi tum externi tum interni pharyngis rubebant una cum glandulis, non item laryngis. Ventriculus totaliter quaſi exſiccatus & vacuus erat, reliqua viſcera bene ſe habebant, nec in corde aut pulmonibus quicquam conſpici potuit, excepto cerebro, in cujus tertio ventriculo circa glandulam pinealem, materiam quandam compactam, ſolidam ac duriuſculam inæqualium laterum, magnitudinis piſi minoris adinveni, quam inter cimelia mea reſervo.

OB-

OBSERVATIO LI.

Dn. D. JOH. ADAMI GENSELII,

De

Hæmorrhagia penis.

Miles gregarius, ex legione Rabutiniana, hæmorrhoidum alias passus fluxum cum tolerantia naturæ, illo vero cessante, novumque sanguine affectante alveum, mictum patitur cruentum, vel potius hæmorrhagiam penis; citra mictionem quippe sincerus, purus, exactoque rubore tinctus sanguis involuntarie, etiam in somno, sine ardore minimoque dolore profluxit copiosus: de tensione tamen abdominis subinde, & post mensem de prostratione virium, ob spiritus vitales depauperatos conquestus fuit. Adhibitis remediis acrimoniam temperantibus, absorbentibus, inprimis autem emulsionibus cum nitrosis & alcalinis, acidas illas particulas, ponticas, austeras, rosivas edulcorantibus, tonumque renum roborantibus, fluxus hic cessavit, pristinæque restitutus fuit saluti.

(*Sopronio Noribergam d. 30. Octobr. A. 1712. missæ.*)

OBSERVATIO LII.

Dn. D. EMANVELIS KÖNIGII.

Vera & Philosophica Auri diaphoretici Poteriani præparatio.

Modernus ille Anglus Gedeon Harveus in *Tract. de Arte morbos curandi expectatione* sex potissimum enumerat

Medicinæ hodiernæ sectas, pro vario remediorum usurpatorum usu; nimirum tum *Ferream*, quæ medicamentis martialibus, tum *Asinariam*, quæ lacte asinino, tum *Jesuiticam*, quæ cortice Chinæ Chinæ seu Peruviano, tum *Aquariam*, quæ aquis mineralibus, tum *Laniariam*, quæ Venæsectione, & tandem *Stercorariam*, quæ remediis purgantibus promiscue morbos curare sagit.

His vero nos merito superaddimus *Auream* & *Argenteam*, copiosis auri & argenti acervis præferendam, summum in his terrenis auxilium, medicamentum tantum non divinum, (quin & ipsius divinitatis haud exiguum exemplar) quatenus ex auro & argento, legitime reclusis, nucleus eruitur, ac mira in sanandis morbis miseris mortalibus commoda exhibentur.

Sic namque *Joh. Bapt. Bartolus* Romanus apud *Jan. Nicium Erythræum in Pinacothec. alt. XXII. p. m. 75.* auro ejusmodi philosophico more præparato in morbis rebellibus stupenda edidit scientiæ Medicæ specimina, adeo ut ob arthritidem rebellem in Viro quodam nobilissimo summum in urbe magistratum gerente sanatam, ob factum hoc ita novum, quod supra naturæ vires visum fuit, reus necromantiæ apud Quæsitores fidei, coactus sit causam dicere. Et alius in Italia Professor Bononiensis, *Petrus Poterius*, *Andegavensis* Gallus, eodem remedio aureo Paralysin, Tabem, Arthritidem, Icterum contumacem aliaque rebellia mala felicissime sanavit, eandemque medicandi felicitatem filio reliquit, qua illum ad invidiam usque Romæ inclaruisse, oculati testes viderunt, referente horum quoque secretorum gnarissimo *Olao Borrichio*, *Professore Medico Hafniensi*, in doctissimo contra *Conringium* tractatu *de Hermetis & Ægyptiorum Sapient. pag. m. 305.* Sic & *Experient. Sam. Ledelius Medicus Gorlicensis & Acad. Curios. in Miscellan. Phys. Medic. Curios. Decur. II. Ann. VII. Observ. XLII. p. m. 84.* de nostra hac aurea medicina se vidisse refert, illam in forma pilulari exhibitam ad grana duo vel tria pro dosi, radicitus tollere omnes morbos chronicos & desperatos; Observasse se Epilepsiam ab ortu,

ope

ope ſudoris copioſiſſimi inde extirpatam : Venenum per annos aliquot latens in corpore expuliſſe in fœmina : Peſti illam epinicium canere & ceciniſſe Anno 1680. & ſeq. Lui Venereæ & omnibus impuritatibus corporis nidum deſtruere paucos intra dies : Cancrum faciei per annum durantem in fœmina cum fœtore abominabili fuiſſe ſublatum , *Balſamo* exterius illito, ſuperimpoſito *Emplaſtro*, & data interius hacce panacæa, adeo ut in tali remedio unice virtus ſit renovativa quærenda. Sic & antea citatus *Poterius in Obſ. & Cur. Cent. II. c. LXXVII. p. m. 176.* fœdum quoddam & horrendum morbi genus, hominem in monſtrum tantum non in facie defigurans, ſe tali auro præparato, quod *Diaphoreticum* ſuum vocat, ſanaſſe refert.

Quum vero *Poterius*, ut libere fatetur, Auri ejusmodi præparationis modum præcipue acceptum referat *Theophraſto Paracelſo*, *Philoſopho & Phyſico Baſilienſi*, ut ſe nominat, quia hic publice docuit, Medico Helvetio Einſidlæ nato, utpote ex cujus ſcriptis ſe modum ejusmodi didiciſſe ingenue atteſtatur, indecorum Medicis noſtris Helvetiis ſemper judicavi , exteros Italos, Gallos aliosque de arcanis ejusmodi ex Helvetia petitis, gloriari ſtupendaque in morbis præſtare, nos tamen horum remediorum, vel a Paracelſi obitu, hucusque remanere ignaros. Hinc quæ ipſe Paracelſus ejusque diſcipuli de hiſce nobis in ſcriptis reliquerunt, indagare conſultum duximus, inſtigati occaſione conaminum ejusmodi cum *Viro Excell. Dn. Nicol. Eglingero Archiatro p. m.* olim inſtitutorum pro *Auro diaphoretico Poteriano* in uſum Ampliſſimi cujusdam Conſulis parando, quæ tamen poſtea me edocuerunt , fruſtra Aurum ſolvi *Aqua Regia*, & cum *duplici portione florum ſulphuris* ad omnimodam & plenariam recluſionem, ſed alia *via*, eaque vere *philoſophica*, in hiſce procedendum.

Quare ad hanc calcandam ante omnia opus erit, ut *Auri* anatomen & interiorem conſtitutionem tradamus, quo pateat, quali opus ſit clave ad illud reſerandum & eliciendam vim ejus medicam, ceu qua unice contenti ſumus, ſuaſu recentiſſimi Scriptoris *Theodori Mundani*, Philoſophi adepti, Viri, ut illum laudat

dat *Borrichius Conspect. Scriptor. Chymic.* §. *LXXII, p. m. 44.* maturi judicio, pietate gravis & ab ineptiis seculi alieniſſimi. Sic enim ille ad *Edmund. Dickinſon Med. Reg. Angl. p. m. 206. Idcirco Te præmonitum vellem, ut quandocunque Deus Hermeticæ ſapientiæ te Dominum faciet, illam circa Medicinam & Philoſophiam, non autem alia exerceres, noſtra quinteſſentia (quatenus magnum eſt medicamentum, ſi cum prudentia tractetur) ſufficientes tibi comparabit opes cum ſecuritate & gloria, & in quantum eximie Philoſophiæ ſubſervit, ingenioſæ mentis tuæ curioſitati plene ſatisfaciet, cujus facultates mire clariores & illuſtriores uſu ejus ſagaci fient, nec non corporis perfecta ſanitas vigorque conſervabitur, per quæ felicitatem tantam participabis, quantæ in hac vita capax eſt mortalis.*

Ad ſcrutanda autem interiora Auri, ex inſtitutis experimentis dicendum, iſtud conſtare ex *mercurio* ſumme excocto & inde rubeo, gravi & igne per ſe indomabili, ac præterea ex *terra* aliqua velut cretacea irreducibili, ac tandem *ſale*, prædictis fuſionem tribuente: quæ tria adeo arcte mutuo ſibi infixa & implexa ſunt, ut ignis per ſe aurum comburere nequeat.

Et per conſequens ad Auri recluſionem opus eſſe tali additione, quæ ſit itidem *eſſentiæ mercurialis*, nec tamen adeo copioſa terra ſcateat, ut aurum, ſed apta nata penitusque diſpoſita, Aurum fulguris inſtar pervadere, aut potius magnetis ad inſtar ſe auri mercurio ejusque terræ amicabiliter & ſuaviter aſſociare, ut Auro concilietur requiſita volatilitas (quam in nummis argenteis ſingulari artificio inaurandis facile ſe nobis detexit) ſolventi vero noſtro mercuriali combinato decens fixitas, intendendo præcipue in hoc noſtram induſtriam, ut πνεύματος ἀπὸ τοῦ σώματος procuretur ἀποσπασμός, ſecundum monitum *Zoſimi* περὶ ἀρετῆς καὶ συνθέσεως ὑδάτων, e *Manuſcripto Bibliothecæ Regiæ Pariſienſi*, obſervante rerum harum Curioſiſſimo *Borrichio in Herm. & Ægypt. Sap. p. m. 49.*

Jam vero menſtruum ejusmodi ſpirituoſum mercuriale, quod particulis auri intime ſe aſſociare poſſit, efficereque, ut

illud

illud ex ſuis velut annellis exeat, innuit nobis *Paracelſus* in *Manual. Lap. Phil. p. m. 139. & 140.* dum pro ſulphure metallorum Theophraſti obtinendo in uſum trahendam ſuadet *Aquam ſalis* ſeu *oleum ipſius*, quale radicitus extrahat omnibus corporibus metallicis liquorem ipſorum naturalem (i. e. humidum radicale metallicum) ſeu ſulphur & Crocum præſtantiſſimum, quod reſolvat & frangat unumquodlibet metallum, & ex natura ipſius metallica id deducat in aliam pro varia intentione & induſtria laborantis.

Verum ne nomine *Aquæ ſalis* quis decipiatur, negamus nos, per eam aquam intelligi ſpiritum ſalis communis vel culinarum vel gemmei, quia iſto aurum non radicaliter, ſed ſuperficialiter ſaltem ſolvitur, adeo ut ignis ope facile rurſus metallicam naturam priſtinam adipiſci poſſit.

Hinc iſto nomine indigitare velle *Paracelſum aquam Philoſophorum ponticam, Aquam vitæ illorum, maris noſtri* (prout dicunt in *Sole & Sale eſſe omnia*) patet ex ejus *Cœlo Philoſ.* ſive *Vexat. Libr. p. m. 122.* ubi *Saturnum* (ne vero credas vulgarem, ſed *Philoſophorum* ex eorum magneſia eductum) ita graviter loquentem introducit: *Sex fratres mei ſpirituales exiſtunt, inde fit, ut corpus meum, quoties ignitus ſum, penetrent ac una mecum igne pereant, auro tamen & argento exceptis, qua mea mundantur & ſuperbiunt aqua. Spiritus meus eſt aqua emolliens fratrum meorum rigida & congelata corpora; Corpus tamen meum ad terram eſt proclive: quicquid in me recipitur, etiam conforme fit ejus, & per nos in corpus unum convertitur. Mundo minime foret utile, ſi cognoſceret, aut ſaltem crederet, quidnam in me lateat efficereque poſſim: utilius foret, ſi mecum id quod poſſum facere calleret: Alchymiſtarum artes omnes deferens, hoc ſolo, quod in me eſt, & per me fieri poteſt, uteretur. Frigoris lapis eſt in me, hæc eſt aqua, per quam ſpiritus congelari facio metallorum ſex in eſſe corporeum ſeptimi.*

Hæc vero doctiſſime & candidiſſime dicta conferenda ſunt cum locis parallelis, quibus arcanum hoc Lectori inſi-

nuat, sed ita caute, ne præmansum in os cujusquam se ingerere appareat. Quare cum *Poterius* aperte fateatur, se ex *libris Archidoxorum Paracelsicorum* plurimum profecisse, adducemus notabilem præprimis locum ex *Archidox. L. VII. p. m. 28.* ubi agit de *Specifico Corrosivo*, ceu cujus usu Aurum taliter consumatur, ut nulla materia reperiatur amplius, quæ valeat ulla reduci via ratioque ad metallicam naturam, non magis quam cineres ad ligna. Et hoc Corrosivum præterea propter summam penetrandi potentiam *Ignem* vocari posse asserit, (*Gehennæ* nimirum, ut in sequentibus nominat) cum ferreas catenas consumat & seras promptius, quam credibile sit & scribi potest.

Et hæc quidem sapienti satis essent: sed ut insuper mira sagacitas *Paracelsi* nostri pateat, producemus adhuc ejus *Calcinationem auri per Mercurii suliginem*, quæ nostra est, & quam ex millesimis vix unus unquam potuit divinari: ea vero extat in ingeniosissimo ejus Tractatu de *Morte Rer. Natur. p. m. 92.* Mercurius, ait, ponatur in vase terreo superius angusto, inferius amplo, & postea in ignem mediocrem carbonum, qui parum sufflentur, donec mercurius incipiat fumare & alba nebula ex ore vasis egrediatur, tum laminatum metallum ori vasis imponatur, ita mercurius communis penetrat metallum & fragile reddit sicut lapidem calcarium. Et in Libro *de Resuscitat. Rer. p. m. 96. edit. Bitisc.* hancce Calcem & tandundem Mercurii (scil. Philosophici) ponere jubet in sublimatorio, ut stent aliquamdiu, donec ambo in amalgama coagulantur. Postea elevandus hic mercurius per sublimationem a calce, elevatusque iterum terendus cum calce metallica & sublimandus ut antea. Hocque toties faciendum, donec calx metallica tandem ut cera vel glacies liquescat, & sic probe factum erit. Hac metallum, ait porro, ponatur in digestione ad suum tempus & mutabitur totum in mercurium vivum, id est in primam suam materiam, quæ quidem mercurius metallorum Mercurius Philosophorum dicitur, quem plures Alchimistæ quæsiverunt, sed pauci invenerunt.

Num vero ex prædictis mentem & artificium Paracelsi assequuti fuerimus, & non nuda saltem speculatione nostram opinionem circa hanc auri recluſionem Paracelſicam asſeruerimus, lubuit theoriam nostram praxi ipsa confirmare, assumpsimusque hanc in rem certum auri depurati pondus, illudque cum debita portione Aquæ salinæ philosophicæ mercurialis prædictæ (*Poterius* vocat *corpus ſiccum diſſolubile*, quod male nil aliud sibi videri quam mercurium sublimatum, vel Vitriolum martis cum spiritu volatili paratum, quod aurum propter sulphur egregium in calcem rubicundam igne vehementiſſimo vertat, remanente simul terra sulphurea martiali, judicat Vir alias in Chymicis exercitatiſſimus *Dn. Frideric. Hoffmannus Prof. Medicus Halenſis in Notis ad Poterium p.m. 582.*) commiscuimus, vidimusque Aurum in tali aqua minimo temporis spatio resolvi ad instar glaciei in aqua calida, adeo homogeneum homogeneo admiscebatur, ut massa mea mineralis digestionis ope, continuata industria, mihi reliquerit Aurum meum (χρυσίον πεπυρωμένον ἐκ πυρός *Apocalyps. C. III. verſ. 17, 18.*) a natura metallica malleabili, id quod unice intendit Paracelsus, protinus devians & destructum, adeo ut præmissa ista trituratione philosophica sufficiente, dein in pulverem in mortario terere facile potuerim, sicque ad oculum videre & manibus palpare sæpius inculcatam Paracelsi *Concordantiam*, ut vocat, quam quoque antiquiſſimis temporibus Isis, Orisidis Regis uxor, ab Hermete consiliario suo edocta, secundum *Diodorum Siculum L. I. C. 2.* in scripto non inconsulto innuit: ἡ γὰρ φύσις τῇ φύσει τέρπεται καὶ ἡ φύσις τὴν φύσιν νικᾷ.

Nec vero sic substiti, sed monitum Theophrasti sequens, aliquoties *Coctionem* (cujus omnino quoque gnarus fuit Moses, dum, vertente *Celeb. Clerico in Comment. in Exod. C. XXXII. p.m. 162.* Vitulum aureum igne coxit: neque enim possint aliter legi verba Mosis, quin intelligamus primum, Aurum singulari quadam arte, ut ejus habet paraphrasis, igne calcinatum, ut loquuntur Artifices, dein commolitum & in pulverem

rem redactum, ac tandem aquæ admixtum) seu solutionem & coagulationem repetii & comperi, verissimum esse, quod dicit *Paracelsus*, talem præparationem, juxta sententiam omnium Philosophorum, fieri in *unico vase*, in *unica fornace*, in *unico igne*, non cessante vaporoso igne, ac illud, quod ante præparationem venenum fuit, jam post illam habere in se bene proportionatam, bene præparatam & præstantem Essentiam, quæ nullo veneno comparari potest, tantumque distare a præcipitatis Mercurialibus vulgaribus in virtute & efficacia, quantum cœlum a terra.

Quare vocatur & est medicina benedicta a Deo, quæ non omnibus est revelata, cujus operatio in eo consistit, quod totam massam sanguineam immutet & renovet, eradicando ejus fermenta peregrina, salsa, acria, acida, corrosiva; quorum stimulis edomitis absque sanguinis & virium vitæque diminutione, morborum ampla seges præcidi & funditus extirpari potest, corpusque humanum ad æquam & concinnam temperiem redigi; quia enim medicina hæc aurea constat purissimo optimeque excocto mercurio, non saltem illæsa transit digestionem, sed & ventriculi aliarumque partium coctiones & secretiones juvat, restituit & mire confirmat, imo secundum *Helmontium Tr. in Herb. Verb. & Lapid. p. m. 577.* ob calefactionem, illuminationem & irradiationem archæi (in cujus unitatem pluralitas morborum velut in pugnantem pugnum contrahitur) huic nostro sulphuri tota morborum cohors auscultat, ut viderit inde Amentias, Apoplexias, Caducos, Paralyses, Vertigines, Asthmata, Hydropes, Atrophias immanesque defectus annihilari, stupente scilicet ipsa natura, quatenus scil. dicente *Polemanno de Myster. Sulph. Philos. C. VII. p. m. 666.* spiritus tenebrarum, morbos scil. qui nil aliud sunt quam proprietates cubilis mortis vel præcursores tenebrosæ mortis, in bonos spiritus luminosos transmutat, quales antea erant, cum homo sanus esset: lumen enim hoc spirituum quam maxime confortabitur a lumine copioso in auro existente, & per operationem antea communicatam ex eo evoluto, sic ut particulæ auri habiles evadant, se cum particulis spirituosis corporis nostri ejusque massæ humo-

humoralis, & fibrarum partium ejus commiscere, sic ut lux confortata a luce tenebras morbosas fuget, & lucem hinc inde deperditam & vacillantem restauret & corroboret, sicque tanto commodius heterogenea morbosa secedant, & e corpore ejiciantur. Sed audiamus ipsum Paracelsum, qui *Libr. de Tinct. Physic p. m. 119.* eam ut universalem deprædicat medicinam, utpote quæ morbos omnes instar ignis invisibilis quomodocunque illi denominentur, consumat. *Dosis* ejus est exigua valde, sed operatio potentissima: *Per eam*, inquit, *a me curata sanataque sunt Lepra, Lues Venerea, Hydrops, Caducus, Colica, Gutta similesque morbi; Lupus item, Cancer, Noli me tangere, fistulæ, nec non omne genus morborum internorum*, & certius quidem quam credibile sit: cujus etiam testimonium exhibebunt Germania, Italia, Polonia, Bohemia &c. satis amplum. Et in *Tr. de Virib. Membror. C. VI. p. m. 352.* postquam docuit processum, nostro per omnia similem, (ut scil. a coagulatione resolvatur, & iterum coaguletur in formam transmutatam) medicinam hanc magnam hepatis conservandi & confortandi, adeoque ab hydrope & ejus generibus præservandi vim habere libere fatetur, nominando illam *Quintam Essentiam omnium membrorum*, item *Arcanum Tincturæ*, quia tinctura vitæ singulariter & præ cæteris omnibus in hoc regium subjectum a natura collocata est, prout & *Helmontio* audit *ad* vitam longam solus apex, & culmen spei, & mirabilium naturæ culmen. Sed plura de his in *Regn. Miner.*

(Basilea Augustam Vind. d. 1. Nov. A. 1712. missa.)

OBSERVATIO LIII.

Dn. D. ELIÆ CAMERARII,

Epitome Fossilium Conchyliorum in uno Lapidis frusto.

QUi primo Novarum Ephemeridum anno, ac in dissertationibus nuper Taurinensibus operam nonnullam figuratis impendi fossilibus, animum vix unquam induxissem redeundi ad argumentum & difficile, & melioribus servandum ingeniis, nisi obvius fortuito Lapis reluctantem etiam ipsa sua raritate coëgisset, structuram ejus summa varietate & figuram mirabilem vel indicare obiter iis, qui sacra hæc & divinum in istis fossilium figuris artificium attentius solidiusque contemplantur, admiranturque. Mox enim agnovi, me veræ Lapidis descriptioni imparem esse, hominem quippe rerum istarum ignarum, cum eum res ista virum postulasset, qui omnes istos naturæ recessus prolixa indagine dudum fuisset emensus, perspectosque ac cognitos omnes istos concharum ectypos plenius habuisset. Pleraque enim Lapidis illius mirabilia sub ipsa effractione perierunt, plerisque sub illa violentia figuris, conspicuis quidem ad momentum, sed in frustula mox partesque fatiscentibus. Animus primum erat, integrum relinquere lapidem, quem singularem esse tot protuberantes passim figuræ innuebant, cum tamen tantæ varietatis nequidem suspicio in tantilla mihi oboriri posset massa, diffringendum eum censui, privatæ ut satis fieret curiositati, quam tamen accuratiori rei intricatæ examini obfuisse, in ipsa statim diffractione agnovi. Non poteram ignorare, dari lapidum massas, quibus intertextæ sint conchæ, cum plures forsan in massis lapidum intervallis: docebant id ora & descriptio montis, quem vocant concharū, & Echterdingensia nostra ex lapidum recessibus & cavitate ortum suum habentia, & denique frusta lapidum conchulis interstructa, quæ dudum mihi transmiserat

rat Amiciſſ. Vir. Dn. D. Kiſnerus, Illuſtris Poliater Francof. Sed alia hic ratio erat, ob ſummum figurarum coalitarum ſelectum. Obſtupui, cum hanc varietatem conſpicarer concharum; dixiſſes innumeras figuratorum ſelectas ſpecies artificio quodam ac multa cum induſtria circumfuſa gypſi (ni lapidis genus obſtitiſſet) maſſa in unum coaluiſſe; quanquam nec id diffitendum, difficile forſan, imo impoſſibile futurum fuiſſe artifici, tam arcte combinare, interque ſe committere intricatas has conchas, ſtupendis ſibi invicem modis inſertas, conjunctasque. Jacuerat lapis in ſumma muri antiqui incohærentis ſerie vel ſtrato, a centum & pluribus forſan annis omnibus athmosphæræ expoſitus injuriis, irregulare referens parallelipipedum, librarum forſan quadraginta. Dixeram in Collegio Phyſiologico de formatione figuratorum lapidum, eorumq; ſpecies Dnn. Auditorum oculis exhibueram, eorum aliquis hunc in campo lapidem conſpicatus, quandam ejus protuberantiam decuſſit attulitque, rogaturus, num & hic figurati quid ſubeſſet. Agnovi mox concham, juſſique afferre lapidem eo rariorem, quod in ipſa urbis vicinia figurata foſſilia haud fuerint animadverſa. Erat ex familia ſilicum nigricantium, vel ſi mavis, pyritarum, ac odorem ſpirabat, dum comminuebatur, fortiſſimum, ſulphureum ingratum: non tamen omnes æque ejus portiones nigricabant; ſed aliæ dilutiori cæruleo, gryſeo, ſubluteoq; colore erant conſpicuæ, duritiei quoque inæqualis: ipſa enim ætas, visque aëris ac tempeſtatum hunc nobis theſaurum aperuit, vix alias ullo robore detegendum: erant enim lapidis portiones aliæ adeo duræ, ut ne malleo quidem cederent, aliorum tamen lateres hederæ fiſſuras ſub ipſo edaci rerum tempore admiſerant, in quas ſubtiliſſima herbarum radiculæ quaquaverſum irrepſerant, luxaverantque duriſſimi lapidis compagem, eo nunc facilius ferro ictibusque cedentem. Non deerant aliquæ lapidis portiones conchis deſtituræ, ſed pauciores, & ovi magnitudinem vix adæquantes, cætera omnia conchis ſcatebant ac figuris, nec ictus fieri poterat novaque effractio fruſtuli, quin nova vel conſpiceretur, vel diffringeretur conchula. Maxima pars diffracta eſt: ſuperſunt tamen ſufficientes rei ſane

insignis & admirandi compendii testes. Aliquæ ex cavitatibus suis modulisque e medio saxo integræ eleganterque eximi poterant excutive, aliæ vero figuræ ita in unam cum lapide massam fusæ erant, ut in frusta citius dissilirent, quam exhiberi seorsim possent; aliis ex modulo cavoque suo exclusis hærebat adhuc tenerior lamella, nitida, colorata, pulchella, polita, conchularum illarũ referens teneritudinem, quas ex marinis curiosi plantis colligunt, acicula facile elevanda, amovendaq; quarum & reliquias servamus lamellarum, ut & reliqua pleraque conchitarum istarum, concharumve frusta, quamvis innumeræ perierint, frangenti lapidem cum admiratione conspectæ, interque digitos ob teneritudinem collabascentes ac fissæ sub impetu ictuum, quo sine tamen nec conspici eruive poterant. Plerisque nomina sua imponere non audeo, maxime iis, quarum figura ipsa effractione periit, quarumque numerus insignis est. Quarundam tamen (utut non satis istarum gnarus) adducam nomina, nec dubito curiosos ultro agnituros, rara miscela ac combinatione tam diversa in unum lapidis frustum coivisse. Qui vero in hoc lapidis frusto frequentissimus fuit e bivalvium genere conchites, primo vel ideo memorandus est loco, quod is tam mirabili intricatoque situ, sub diversa magnitudine, colore, substantia, cavitate, integritate, ubique fuerit obvius, reliquis vero illi interfertis intermixtisque: Est scilicet is Nautilites Muraltianus, pertinens ad Conchitarum rugosorum inæqualibus valvis præditorum classem, quem Excel. Bajerus in Eleg. Oryctogr. Nor. cum Listero dicit conchitem anomium rugosum, cujus valvarum altera prominulo & insigniter adunco, rostello est instructa: & nostri quidem diversæ magnitudinis & varietatis exhibentis specimina, propius referre videntur Gryphitem Luydii; visæ sunt multæ aliæ ad hanc classem spectantes, quarum ignorare me fateor nomina, ad anomias tamen vertice rostrato conchas, tum Fab. Colum. tum aliorum videbantur pertinere; ne exceptis quidem terebratulis, ob donatum foramine supereminentis testæ apicem ita dictis. Erant aliæ bivalvium species striis transversalibus, æque ac ex uno puncto prodeuntibus &

po:

politulis coloratisque superficiebus ac lamellis partim insignes, partim mere lapidei, conchites varii, maximum illum Listeri figura referentes, utut non magnitudine, horumque multa specimina. Mytilites quoque major, suo ex modulo excidens, non defuit; nec minores immersi lapidi mytilitæ numerosi. Adde, si quid ex figura valemus judicare, Tellinitas varios; aliasque exiguas testas ad pholaditas forsan spectantes. Rugosi quoque conchitæ (vel striati magis & intricati) & ostracitæ visi sunt. Multi porro adfuere elegantissimi pectinites, amphyotes quoque, & apophysibus suis insignes, cavi convexique, pulcherrime striati, gibbosi ac planiores, magnitudinis diversissimæ, cum & prægrandia frustula visa sint, extantque adhuc elegantia pectinum specimina, præter confractas, deletasque plurimas. Juncti quoque deprehensi sunt in ista conchitarum confusione Pectunculitæ, non unius speciei, ac variarum striarum, ac in specie lubens ex cavitate sua integerque excidit pectunculita Anomius tribolus Listeri, vel conch. Anom. striat. τριλόβ@ Fab. Column. &c. Sed meum non est istis dare nomina rebus, concharum cum sim nimis ignarus. Nec tamen omnino tacere licet univalves; cornua certe Ammonis plura per lapidis massam sparsa, conchisque interposita vidi, integra haud extrahenda, vestigiis tamen superstitibus. Ac erant sane, qui ad Ammonis cornua, nec ad Gryphitem omnino spectare videbantur, sed ob variam turbinis rationem ad Cochlitas, Buccinitas aut Neritas quoque vel Trochitas pertinere, dum integri essent lapidique immersi censebantur, quanquam ex frustis id accurate dijudicare vix liceat. Visus quoque mihi sum animadvertisse ex Echinetarum, ombriarumque censu aliquid, obscurius tamen Belemnitis quoque adsunt vestigia. Sed satis est ad persuadendum curiosis, singularem fuisse in unico neglectoque lapidis frusto congeriem corporum pulcerrimorum, quæ sane aliis ea in re exercitatis varietas major longe apparuisset, atque adhuc vel ex frustis appareret. Rarum sane phœnomenon in loco, in quo hactenus figurati lapides reperti non sunt, repertum in antiquo muro tam affabre constructum lapidem, quacunque demum ex fo-

dina antiquissimis ille temporibus fuerit erutus. Echterdinga, fossilibus istis superbiens, duobus & quod excedit milliaribus distat a Tubinga nostra. Nuper vero audiveram, non integro abhinc milliari, ultra Cœnobium Bebenhusanum, reperiri figuratos lapides. Varios ibi jussi conquirere atque ad me deferre: frequentissimus ubique est Gryphites ille variarum magnitudinum, colorum, politurae, nitoris, substantiae, aliaeque anomiae; Pectunculitae elegantissimi, variae majores bivalves, Ostracitae, Tellinitae &c. politis quoque nitidisque & coloribus praeditis superficiebus, Brontiae seu Echinitae valde compressi, & figuris exuti Belemnites &c. Hoc enim primum obtulerat scrutinium, ac praecipue frusta praegrandia ac mediocria quoque, cornuum ammonis, quorum vel una Helix in peripheria pedem integrum habeat, levium & asperorum, striis ac eminentiis nunc rarioribus, nunc angustis, in dorso varie extante sulcatoque, nunc interciss, nunc propius concurrentibus, rectioribus, curvis aut undosis &c. Forsan istius montis soboles fuitante secula Lapis iste ac mirabile compendium pulcerrimorum fossilium a sapientissimo Architecto tam egregie efformatum, nostrisque nunc demum oculis haud casu sane mero exhibitum.

OBSERVATIO LIV.

D. D. ELIÆ CAMERARII.

Larga Alabastri Comestio.

Fœmina annorum XL, nonum nunc sub pectore fœtum gerens, ac a praeterito inde Novembris mense ejus persentiscens in utero motiones, offendens in vicini montis acclivi via candidi, quod ibi effoditur, alabastri frustula, vehementi in ea appetitu sese ferri sentiens, eidem tantisper indulsit isthoc graviditatis suae tempore ac subinde largiori lapidea ferenda dosi ingessit, dehortatus primum eam est maritus, deque periculo, quod subesse posset, admonuit, ob-

obſervans vero dehinc, eam nihil inde incommodi paſſam, quin & pani nunc parcius imminere, adeo ejus deſideriis gulæque haud defuit, ut potius ſtrenam ei multories promiſſam eamque gratiſſimam exhibiturus, eam gypſei huius ac molliuſculi marmoris ipſi humeris ſuis afferret exhiberetque molem, quæ gravare robuſtiorem virum haud mediocriter queat, plenum ſcilicet eo qualum, quali imponere merces dorſo geſtandas ruſtica gens ſolet. Illa igitur avide deliriis ſuis inhiat; miram guſtu ſuavitatem iſtius mineralis operoſa maſticatione percipiens; ea etiam eſt duritie lapis, ut firmioribus atteri dentibus ſubita cumprimis aviditate ac inexplebili pica, atque comminui potuerit, cum maxime prius in fruſtula fabarum, avellanarumve magnitudini reſpondentia fuerit ab ipſo diffractus. Fovit mirabilem adpetitum paupertas ac fames maleſuada, cum ſæpiſſime vel per biduum integrum pane omnino deſtitueretur paupercula, largiſſime eo tempore hoc lapideo nutrimento paſta; cui tamen ne tum quidem potuit valedicere, cum pane iterum potiretur, quin potius perpetuam ejus aliis cibis interpoſuit maſticationem, tanquam condimenti palato ſuo gratiſſimi. Nulli primum ventriculi dolores vel moleſtiæ, nullæ chylificationis læſæ indicia, nulla alvi conſtipatio obſervata ſunt. Diarrhœa ſubinde oborta. Dehinc tamen cœpit conqueri de quadam, quod ajebat, ventriculi vacuitate, aut gravitate qualicunque; nullis tamen hactenus torminibus obnoxia. Quin potius ex voto ipſi procedere videbantur omnia, recte diu valente matre & fœtu. Senſim vero ac ſenſim largiori uſu eſuque ponderoſæ hujus maſſæ, tuſſis eam moleſta invaſit, cum dyſpnœa increſcente, ac tuſſi tandem ferociſſima inde oborta ac fere intolerabili, quæ tamen medio Februarii cœpit remittere, aliis iisque gravioribus locum concedens moleſtiis: cum enim tuſſis eam abſterrere haud potuiſſet a ferculo conſueto, decimo nono tamen Februarii die eo illam neceſſitas ſumma adegerat, ut Medicum adiret, eique hactenus geſta non ſine pudore recenſeret; conquerebatur primum caulam reticendo (pudebat enim fœminam facti tam ſingularis)

de

de dolore dextri lateris intolerabili, constrictorio, sub costis protenso, qui integumenta summa quasi vi retrahat sub costas coarctetque; nunc vero metuendum sibi esse de periculo fœtus, cujus partui proximo se bimestri debeat accingere, qui nunc terribili inquietudine incipiat concuti ac moveri, metuendumque, ne in lucem ea violentia immaturus enitatur, ejiciaturve; Medici tandem quæstionibus diuturnis eo redacta est, ut culpam fateretur, assereretque, juxta cum recensione eorum, quæ modo sunt exhibita, sed omnem jam illam, quantum gestare dorsum mariti sustinuerit molem inde ab hujus anni exordio (quæ stupenda est voracitas) comedisse atque absumsisse, nec adhuc cibo tam suavi esse satiandam, cujus & frustulum obtulit, monstravitque. Cognito tam violento desiderio, Medico per indirectum cum ea fuit agendum. Ostensum ei blandioribus verbis, novum non esse fœminas utero gerentes ferri in varia edulia inconsueta, nec in alio ipsam gravius impegisse, quam excessu enormi, quantitatem si spectet, tam duri ac incoërcibilis nutrimenti, posse forsan rem adhuc mutari, ac periculum a fœtu averti; sed deesse exempla inordinatorum ejusmodi appetituum, qui & innoxii matribus fœtuique, & sensim sensimque aboliti correctique, ac deleti penitus fuerint: subesse peccati gravioris reatum, nec permittere conscientiam, ut talia porro affatim ingerantur. Fassa tandem est mulier, se non posse non ista approbare, daturamque operam, ut desistat a re periculosa, promittens se adhibituram una diligenter infusa largiora Theeformia ipsi præscripta, pulveremque visceralem ac tonum roborantem, redituramque, nisi molestia cessaverit. Non pauca sunt, quæ notari circa casum hunc possent. Quotidianum est, mulieres gravidas pica laborare, ac absurdo in res viles appetitu ferri; quin nec rarum id in parvulis etiam puellis, quas chartas, filaque linea, aliaque vehementer appetiisse, ac ubicunque earum rerum fiebat copia, largissime arripuisse, deglutiisse, observavimus, sed ea quantitate paucas intra septimanas ingestum fuisse lapidem istiusmodi gypseum, naturæ non congruum, idque tamdiu sine noxa manifesta, quotidianum non esse arbitramur. Erat enim

enim ex eo genere lapis, quo usto gypsi loco uti solent commodissime Architecti: quam vero male gypsum apud priscos etiam Medicos audiverit, inter venena relatum, neminem latere arbitror; ac licet Alabastriti, gypsoque externo usu adhibitis. quasdam adscribi vires legamus; interne tamen assumtum malæ famæ est. Quanquam & alia lapidum genera in gypsum exuri soleant, exemplo lapidis specularis, aliisque gypsi huc non referendis nunc speciebus. Mereturque vis gypsi ac indoles ejus examen accuratius, collatioque istius ante & post ustionem, quæ etiam ustio physicis magno numero suggerit experimenta, tum in fluiditatis indole determinanda, dum coctione verum æmulatur liquidum, tum subitanea cum fluido concretione, firmitatis corporum naturam naturæ reddit evidentiorem. Externe quidem de Alabastrite legas, cum primis usto, eum discutere durities, si resina excipiatur, si cera, ventriculi dolores mitigare, sine his gingivas reprimere, cum sale fossili gravitates oris & dentium extenuare. De gypso pariter scribunt, illud exsiccare, & illinendi vim habere, idcirco sanguinis fluxum sistere cum Albumine ovi illitum, ustum autem quia tenuius fit, magis exsiccare, sed illinendi vim obtinere minorem: at potum, quod alliget viscera, & obstruat vias, interimere; analogo certe, ni fallor, effectu & indole cum vinis Lithargyrio infectis. Ejusdem igitur malitiæ esse referunt incolæ Africæ, vini asperitatem, Plinio scribente, gypso mitigantes; convenienter his judicavit Agricola de aquis multo gypso imbutis, easdem scilicet potas perimere, si multum insit gypsi. Quicquid vero horum sit, insignem gravidæ miramur idiosyncrasian, quæ tam diu adeo gravi duroque nutrimento, torque myriadibus obstruentium molecularum ac enormiter proin periculosarum, sine abortus vitæque periculo, resistere tanta cum efficacia potuit, nec dubito, vim imaginationis, ac persuasionem de cibi deliciis, spiritibus blandientem, noxæ, alias citius vehementiusque metuendæ, haud levem posuisse obicem. Τὸ Θεῖον si ullibi, in gravidis certe evidentissime elucescit, atque irrefragabili certitudine creberrime oculis sese animisque ingerit, imo stupido hoc minusque ad DEI mirabi-

lia attento Seculo obtrudit; vere enim divinam sensisse opem fœminam hanc pauperculam, quam & paupertas multum haud raro lapidis devorare coëgit, dubium penes me nullum est, hancque imminentem alias perniciem clementer avertisse.

OBSERVATIO LV.

Dn. D. ELIÆ CAMERARII.

Exilis in Cantho oculi vulneris singularia symptomata.

NOn interni tantum occultique morbi paradoxa phænomena, captumque non raro excellentium etiam Medicorum transcendentia exhibent, sed & externæ atque in oculos incurrentes machinæ humanæ læsiones, eæque satis interdum exiles, nec nostra adeo intentione dignæ primo obtutu visæ, ea post se trahere symptomata videas, quæ nec expectare hinc, nec metuere circumspectiores etiam Practici sustinuissent. Exemplum nuper Juvenis effati hujus manifestum dedit, quod cum, exilitatem vulneris si spectes, vix attendendum memorandumque videatur, ipsa tamen symptomatum singulari perplexitate aliquem hic mereri locum suo quidem jure censendum sit. Ætas illi est ann. 24. Vitæ genus venatorium, Parente quippe venatore nato. Hic inter jurgia litesque cum militibus natas initio Martii hujus 1712. an. in cantho sinistri oculi interno punctim læditur. Ipsa in se læsio conspicua satis ac dolorifica, at simul obscura omnino incertaque fuit: exiguum conspiciebatur vulnusculum, in confinio palpebræ superioris ita inflictum, ut fere videri queat in osse, palpebra vix læsa, statim terminatum, vel saltim haud adeo profunde penetrans, quod vel residua cicatriculæ exilitas confirmat, quin & ipse gladii cuspis incurvatus, si quidem certi essemus, eum in ipso demum ictu esse incurvatum: at reclamat fere ipsa symptomatum subsecutorum gravitas atque singularitas, vel saltim gravibus eos implicat difficultatibus, qui specialiores malorum inde obortorum inve-

inveſtigare cauſas allaborant. Ingens in principio dolor, tumorque haud levis ſecutus, qui cum ſenſim cederet remediis, haud adeo terrebat graviter, ac quidem ſocium Symptoma & gravius & ſingularius, paralyſis ſcilicet oppoſiti dextrive lateris (nihil enim tale ſiniſtro acciderat) non brachium modo læſit, ſed & latus prorsus in totum amiſerat vim movendi, quæ tamen ita ſenſim ſenſimque, & quosdam quaſi per gradus reſtituta eſt, ut circa finem Aprilis (cum Medicam demum poſtularet opem) valuerit rurſus, modo tamen operoſo, movere lateris illius artus, at ſine vivaci ſenſu, aut vigore ullo, quin potius omnia illius lateris emortua videbantur, torpida, ſtupidaque; ita quidem ut ne frontis propriæ integumenta vim ſentiendi vel ſe percipiendi retinerent; oculo tamen dextro primum quoque afflicto, mox tamen rectiſſime valente, niſi quod priſtinum exactiſſimi viſus (quali pollere venatores ſolent) acumen ſibi haud ſupereſſe, nec ſe priſtina ſcopum ἀκριβείᾳ vel perſpicere vel ſclopo exploſo ferire, conquereretur. Siniſtrum latus, cui inflictum erat vulnuſculum, optime valet, excepto oculo læſo, qui mox omnem videndi, luminisve percipiendi facultatem penitus amiſit, nec ullum hactenus veſtigium ejus, quibuscunque etiam adhibitis remediis, potuit recuperare, cum tamen ſerenitate ſua ac nitore ſaniſſimo etiam oculo nil quicquam concedat, niſi quod pupilla tantillo amplior quam alias erat, conſpiciatur. Cum dolor, tumorque & inflammatio ceſſaſſent, comperit ſuperioris palpebræ abolitum eſſe motum, neque eam amplius elevare, oculumque denudare poterat: dehinc vero ſenſim multo crebroque conatu adhibito, ſub alterius menſis finem attollere eam ad dimidium fere ſpatium didicit, vix altius adducendam. Sub finem Junii Thermas adit Ferinas, ſaluberrimum ſyſtemati nervorum atque admirabilem fontem, jam quidem ita reſtitutus, ut qui primum plane non poterat incedere, nunc rurſus pedibus eo iter, lentum tamen, ingreſſus ſit; ſic enim cum latere dextro eſt comparatum, ut moveatur quidem, ſed cum moleſtia inſigni, omnisque motus & promotio actuum fiat cum multo conatu ac labore

quodam. Evenit inde, ut promte satis in plano exacte Horizontali incedat, ad omnes vero viæ eminentias allidens, perpetuo cespitet, dexter tamen oculus pleniſſime acumini ſuo reſtitutus eſt, non modo adhibitis hactenus remediis, ſed incrementa viſus manifeſta ſe obtinuiſſe gloriatur æger, uno nunc oculo acutius cernente, quam binis prius conceſſum erat, eoque ipſo ſcopum felicius ipſo feriente. Perſtat tamen & ſiniſtri atque inutilis nunc oculi nitor ac pulcerrima ſerenitas. Memoria autem hominis admodum imminuta deprehenditur, adeo ut eorum, quæ vel aliquoties ipſi inculcata fuerint, mox iterum obliviſcatur. Nolim gravis eſſe curioſis multo de phænomenis ratiocinio, vel conjecturis potius: malim ab iis doceri, qui tam exile vulnuſculum tam gravem & in oppoſito quidem latere, effectum poſt ſe traxerit, læſo latere præter id, quod oculo accidit palpebræque, immuni. Cur nitor vigorque oculi perſtet, quem nulli amplius radii afficiunt efficaciter, & qui vulnuſculum incertæ profunditatis in cantho interno prope nares inflictum hanc guttæ ſerenæ ſpeciem, palpebræque reſolutionem efficere valuerit; cur denique dexter oculus primum debilior, majores dehinc vires auctioremque videndi aciem acquiſiverit, cum alias uno oculo læſo facile in conſenſum trahatur alter, debiliorque reddatur. Quanquam haud diffitendum, utriusque paſſim exempla obſervari haud adeo infrequenter, ratione phænomeni adeo variantis haud æque patente.

OBSERVATIO LVI.

Dn. D. ELIÆ CAMERARII.

Memoria Gravi occipitis percussione singulariter læsa.

ADmirabilis maxime vis Mentis est Memoria, mirumque omnino, quod tantæ varietatis res queant discerni, quod afferri iterum ad lubitum animæ, hæcque tot imaginum sit capax. Cum animales spiritus hujus quoque, uti aliorum sensuum internorum instrumenta, imo auctores sint, ejus quoque in illorum fonte, cerebrique penetralibus sedes erit. Factum hinc, ut aliqui, cum in antica cerebri parte seu duobus anterioribus ventriculis sensum communem, in medio phantasiam habitare crederent, in occipite memoriam locaverint, aliis quidem eos ex æquabili spirituum per cerebri ambitum radiatione confutantibus. Libet exemplum afferre, de quo videant ii, qui occipiti tribuunt memoriam, an ipsorum hypothesin firmet memoranda memoriæ amissio. Non de iis loquar, quibus cum Oratore Romano Corvino, vel proprii nominis memoria evanuit; nec eos allegabo, quibus vel chronicis diuturnisque morbis exhausti spiritus, vel pestis acutum virus iis dissipatis oblivionem intulit. Aliàm vero ejus occasionem satis subitaneam sequens exhibet lapsus gravioris historia, breviuscule quantumque ad hunc facit scopum recensenda. Juvenis ann. 20. temperam. sang. equo vectus, præcipiti ejus lapsu excutitur, allisо eminenti in ponte lapideo anguloso lapidi capite, ea violentia in dextro occipite de bregmate renitentis lapidis ictum sustinuit, ut remoti etiam sonitum distinctum capitis allidentis perciperent, siniſtræ vero faciei genæ partique vicinæ surgentis equi ungula fortius impressa est. Jacuit asphyxia obrutus miser, postea tamen variis accurrentium opemque ferentium tentaminibus excitatus, revocatis collectisque spiritibus, postquam diu sedendo quievisset, pedibus iterum insistere, urbemque

ingredi, totus tamen pallore extremo suffusus valuit. Gena equidem alicubi ferri eminentia læsa, exulceratæque passim livescens, atro mox suffuso sanguine intumuit atque fœdata est. Occiput vero gravissime affectum intumuit, assurgente ad dextrum cumprimis bregma tumore, id quod abrasis mox a chirurgo capillis evidentius patuit. Ad sacculos Cephalicos Emplastrumque de Betonica statim recurrit Chirurgus, omnia jam in salvo fore persuasus, donec deficientis memoriæ clarioraque ipsi evidentioraque vestigia novum non immerito terrorem incuterent. Ignorabat enim penitus, quæ secum acta essent, ægrotus, quippe qui nihil de præcipiti suo lapsu, de ingressu in urbem, redituque in museum scire aut recordari voluit, potuitve. Quæsivit hinc ex Chirurgo (quem tamen, aliosque adstantes ipse quoque extra lectum constitutus agnoscebat) quinam factum, quod obligatum fasciis gerat caput, deque infelici admonitus lapsu, neque hujus, stupente Chirurgo, neque totius equitationis suæ, ac ne propositi quidem causæque, cujus gratia iter aggressus est, recordari valuit. Vehementius dein metuere cœpit Chirurgus, cum easdem assidue quæstiones æger repeteret, centies etiam responsorum, toties mox oblitus, & non horum solum immemor, sed & eorundem, quæ paulo ante gesta erant, ipsique debebant esse notissima; neque etiam recordabatur, obiisse in iisdem ædibus 15. abhinc diebus patrem familias, aliarumque circumstantiarum adhuc recentiorum æque tamen nunc ignotarum profundæ erat oblivionis; cum cætera delirii illius aberrantisque phantasiæ indicia non adessent. Perduravit ista memoriæ labascentis læsio, incrementaque sua habuit per quinque & quod excurrit horas. Chirurgus interea novo insolitoque symptomate territus meam imploravit opem, minante graviora singulari hac memoriæ læsione mala. Sacculorum & Emplast. usum approbavi, suasi interea ex Liq. C. cervi succ. & nitrosis Bezoardicis nervinisque remedia, ac jussi cumprimis sine mora ulteriori venam secare. Qua tardius quidem, ægro haud parum sub confusa ista memoriæ jactura reluctante, in Brachio dextro feliciter administrata, eductisque aliquot atri, primo

aspe-

aſpectu (nimium tamen poſtea, quin & altero adhuc die purpurei ac rutilantis) ſanguinis uncias, remediisque modo dictis largius exhibitis, diſcuſſæ brevi tantiſper ſunt offuſæ illæ memoriæ nebulæ ſpiſſiſſimæ, cœpitque æger recordari eorum, quæ antea egerat, idque plenius ſenſim pleniusque, ita tamen, ut altera adhuc die nondum omnia in integrum eſſent, qua memoriæ illius integritatem reſtituta, quippe qui Venæſectionis adminiſtratæ recordabatur quidem, ſed non plene, non vivide, verum tanquam rei admodum remotæ, longinquæ ut ſic dicam, & quæ elapſis dudum temporibus contigerit, neque aliter memoriæ obverſabantur ideæ eorum omnium, quæ cum ipſo ante V. S. geſta fuerant, quæ omnia tanquam remotiſſima menti & longinquo quaſi obverſabantur; adeo ut cum ex amicis aliqui eum præcedente die bis viſitaſſent, primæ quidem quæ fuerat ante ſectam venam, eorundem præſentiæ vix ulla in mente veſtigia ſupereſſent: alterius vero, quæ poſt V. S. acciderat, rectius, ſed non ſine obſcuritate aliqua meminerit. Demerebantur omnino obſervari attendique gradus illi ſerenitatis ſenſim ſenſimque exorientis in memoriæ adeo ſubito ac ſingulariter peſſundatæ exercitio. Diceres vaſa a ſanguine tardius moto violentique lapſus impetu ad cerebrum, ut ſic loquar, congeſto, diſtenta ita preſſiſſe inſculpta molliculæ cerebri medullæ veſtigia, memoriæ promptuaria accellulas, ut repetere ſuas vias non valuerint attoniti tanto ictu ſpiritus, donec revocato poſt venæſectionem ventilationemque liberiori fluxu vitalis laticis priſtinum iis ingredi ſenſim licuerit tramitem, iterque conſuetum; niſi obſtaret integra tot aliarum rerum memoria, recentioribus ſaltem menti haud ſuccurrentibus, ac vel centies denuo evaneſcentibus; cui acceſſit & virium, poſt ſublatam primum Lipothymian, robur (erat enim Ὀρθοσάδιος) & omnis delirii ac confuſionis in idearum aliarum combinatione abſentia omnimoda, ipſa illorum veſtigiorum, ſi loqui ita fas eſt, incertitudo atque obſcuritas, ingentesque circa eas, earumque ſedem difficultates. Horum vero quicquid tandem fuerit, ii ſaltem ponderent hæc attentius phænomena, qui in occipite habitare memoriam volunt, cum intumu-

tumuerit, mox cum ista memoriæ gravissima ac singulari læsione occiput, vim quippe ictus omnem prius expertum, ita tamen ut ad dextri bregmatis partem sese extenderit malum.

(*Tubinga Augustam Vind. d. 17. Nov. A. 1712. missæ.*)

OBSERVATIO LVII.

Dn. D. SAMVELIS GRASSII, *Sen.*

De

Sectione Cæsarea,

INter Heroicas operationes facile primum locum tenet Sectio Cæsarea. Hæc, sicuti in vivo corpore instituta, periculi plenissima est, & ob crudelitatem operationis ab humanitate aliena, ita mortua matre, Christianæ charitatis est, vivo adhuc fœtui cita sectione succenturiari, eundemque ex mortis claustris eripere. Omnium Auctorum consensu, cita & momentanea quasi operatio expetitur, ne deficiente circulo sanguinis materni cum fœtu luce vitali idem privetur. At enim vero quemadmodum fœtui integro suus constat Circulus vitalis, sic etiam ad aliquot tempus vivere potest, denegato quanquam materno sanguine vitali, quod ex sequenti patet historia. Illustris quædam fœmina in nostra Silesia summe gravida & partui proxima, vitam cum morte cummutat, vivente adhuc fœtu, interim fotibus spirituosis, balsamo embryonum, vinoque generoso aromatico cum culcitris calidis continuo fovetur abdomen, usque dum post quatuor horas ex Civitate Oppoliensi advocetur barbitonsor; hic secto utero, viventem extraxit elegantissimum puellum, qui ablutus sacro baptismate, ad tertium usque diem vitales hauriebat auras. Vivit enim ut plurimum fœtus, quanquam non semper aperte moveatur. Sic novi fœminam Vratislaviensem, qua apparentibus partus doloribus, brachium primum excludebat, hoc cum intrudi re-

renueret, illudque lividum & frigidum, hinc mortuum fœtum & ob ſalvandam matrem, illud amputandum adſtantes judicarent, renuente vero & opitulante obſtetrice, tertia die, vivum enixa eſt puellum. Ex hisce patet, multos vitali auræ concredi poſſe fœtus, modo cita Medici-Chirurgi manu ex uteri clauſtris eripiantur.

(*Vratislavia Auguſtam Vind. d. 21. Nov. A. 1712. miſſa.*)

OBSERVATIO LVIII.

Dn. D. RVDOLPHI JACOBI CAMERARII.

De

Febre Catarrhali Epidemia.

QUi nuper inſtar nubeculæ cito tranſiit morbus ſingularis, dedit occaſionem cogitandi de recurſu certorum affectuum, quorum forte mentionem in monumentis majorum factam, nobisque relictam, deprehendimus. Scilicet cum hoc anno ad nos quoque pertingeret Febris quædam catarrhalis, quam inſolito modo longe lateque diffuſam fama tulit, conſiderandum omnino videbatur non modo quid ipſa monſtri alat, ſed & retroſpiciendum ad conſimilem, quæ vel ante ſeſquiſeculum Europam pervagata, nec Tubingæ peperciſſe legitur. Quas proin ut declarem, collationem inſtituam potiorum utrinque phænomenorum, juxta manuductionem fere *J. C. Rhumelii*, qui de Encephalonoſo ſuo ex profeſſo agens, prioris epidemiæ fecit mentionem, non plane obiter, nec afflictæ tunc quoque urbis noſtræ oblitus. Juvabit per modum paralleliſmi tentare temporum & locorum convenientiam vel differentiam: & ſpes eſt, ex confluxu obſervationum ad commune centrum Academiæ Naturæ Curioſorum plenam formatum iri Hiſtoriam.

Ita ergo *Rhumelius*: Anno 1580. gravedo capitis, vel catarrhoſa cephalæa, aut cephalalgia contagioſa, municipatim Euro-

ropam pervagata, imo in omnes fere regiones debacchata est. Hanc in suis annalibus non prætermisit Noster quondam *Crusius*, ad illum quippe annum multis locis homines dolore capitis & destillationibus decubuisse, scriptum reliquit. Catarrhum Febrilem vocavit Antecessor *Dan. Mœgling*, præ peste universalem: si tam funestus & malignus, quam in apprehendendo efficax, fuisset, non mundus majorem cladem unquam sensisset, utpote a quo qui immunis fuerit, homo vix inveniri poterat: quandoquidem tot regionum omnis & ætatis & sexus & conditionis homines aggressus fuerit. Hæc autem pleraque omnia quadrabant iterum in febrem catarrhalem hujus anni 1712. Fuit hæc universalis, popularis, maxime gravis capiti, sub concursu forte trium, febris, catarrhi, vomitus, magis afflicto; sive contagiosæ vel epidemiæ prædicatum meruisse dicenda sit.

Gravedo ista quondam Germanis die Schlaf-Kranckheit/ dicta fuit, nunc agrypnia nunc veterno molestior. Hac vice nomen illud non audii. Nec dormivisse multum memini, præterquam paucos, opiatis quidem non usos. Noctes utique graves, turbatæ phantasiis, frequens etiam per diem querela de afflictis oculis, utut non inflammatis, ægre tamen aperiendis, nec lucem ferentibus.

Eadem Gallis olim audiit *Coqueluche*. Hoc nomen jam legitur ad annum 1557. in Obs. morb. infreq. *Anonymi* apud *Riverium* n. IX. quæ tota huc spectat, non minus ac decima, de anno 1580. similiter morboso perhibens testimonium: Tribuitur adhuc ab *Helvetio* tussi violentæ per dies noctesque importune molestæ. Quintana tussis cum febre coepisse dicitur *Ballonio* ad annum 1578, quæ quidem convulsiva *Willisii*.

Fit mentio apud *Rhumelium* plurium annorum, quibus talis epidemia cephalalgia viguerit: in specie anno isto 1557. infantibus solum, qui expectorare non poterant, mortifera. Nupera fuit apud nos adultorum potius quam infantum, nec tamen per Dei gratiam verum de hac, quod ibi de pristina: Tübingæ plurimos absumsit. Quantum mihi constat, per urbem nemo desi-

desideratur ab hac lue. *Cruſius* in Stipendio Illuſtri ſeptem menſas Studioſorum decubuiſſe annotavit; Hi nuper etiam inter primos, ſatis graviter correpti, ſed & omnes cito expediti. Sic paſſim plus terroris quam periculi. Interim de aliis per urbem morbis fere ſilentium. Faxit Deus, ne ullibi poſt ſe trahat graviora.

Ab Auſtro principium ſumſiſſe prior illa legitur. Hoc ſcilicet eſt contagium illud catarrhale Italorum *Coccoluccio*, quod *Pechlinus* l. 2. obſ. 17. ſub ſeculi decimi ſexti finem ex Africa in Meliten, Siciliam, Italiam, magnamque Germaniæ partem, ad mare usque Balthicum mutata ſingulis menſibus ſtatione, ſecundo vento prorepſiſſe, magna vero clade obvios affeciſſe ſcripſit: Memorabili, ut addit, exemplo contagii, conſtanti progreſſu in plurimas mundi plagas ſe diffundentis, auræ vehiculo innexi, tenaci involucro adhærentis, ut nullis vel contrariis ventis aut aëris qualitate diverſa obrui potuerit, ſed ipſum illud temperamentum aſperitate ſua vicerit. Et hoc eſt illud phænomenon, quod hactenus fama non ſatis determinavit, cum tamen operæ ſit pretium, inquirere rurſum, in qua mundi plaga nuper cœperit, unde venerit, quo ordine Germaniæ provincias peragraverit, ubi prior vel poſterior, levior fuerit aut gravior? An pro ratione diſtantiæ a primo ſui ortu?

Itaque cum porro *Rhumelius* priſtinam luem ſcripſerit veniſſe ſub Sirii ortum, tempeſtate aquilonia, maxime autem circa æquinoctii autumnalis interlunium graſſatam; pro Tübinga vero Julii menſis ſpecialem faciat mentionem, cui expreſſe *Cruſius* quoque ipſam adſcripſit: Quare tempus hujus 1712. anni, quo urbem noſtram attigit, & per quod ipſam tenuit, ſpecialius etiam erit exprimendum. Fuit autem ab Auguſto per Septembrem in Octobris principium rhevma illud non hybernum 3. aph. 13. ſed æſtivo-autumnale: a Feſto Bartholomæi ad illud Michaelis. Fuit ergo nobis illud anni tempus, quo febris per nuperos annos urbi gravis tertiana ſolebat exaltari in continentem; prius quam deprimebatur ſero autumno in quartanam: quin illud, quo alias dyſenteria in ſummo, imo alibi peſtis ipſa. De cetero, utrum ab auſtro vel aquilone, i. e. a conſtitutione aëris laxa vel ſtricta fuerit,

vel ea de causa manet dubium, quoniam anomalia aëris talis & tanta per Augustum nobis non fuit, sed bona potius & uvis coquendis favens temperies.

Sequuntur Phænomena, quæ recensuit *Rhumelius*, primo catarrhalia. Tussis arida, exscreatione destituta, raucitate, faucium aspredine, difficultate anhelitus vexans, In multis licet convalescentibus tussis & raucedo permanebant. Quidam in phthisin, peripnevmoniam, hecticam præcipitabantur. Hoc d. gr. nostris non factum: Illud omnino pariter accidit. Scilicet catarrhus vel narium vel faucium; Coryza paucioribus sine faucium dolore, plerisque harum exasperatio sine fluxu narium, pluribus importuna tussis.

Ob aspredinem illam faucium, das Hals-Weh/ huc referenda videretur *Severini* & *Bartholini* ex *Aretæo* Angina singularis Epidemia, Pædanchone, quia hanc ipsam antecessisse quoque legitur Boum annua lues: nam talis passim iterum grassatur suspectissima, nisi ulcera tonsillarum pestilentialia isti adscriberentur, de qualibus altum inter nos silentium.

Catarrho comes Febris, quibusdam levis; paucis sine catarrho, eaque magna. Calori tamen plerunque intercurrens horripilatio, ad levem in lecto denudationem conspectu etiam cutis anserinæ demonstrata. Deduxisset tale quid *C. Piso* ex colluvie serosa: Applicabunt vim stimuli cum fermento undecunque suscepti, qui spiritales partes ita lacessitas serum expressisse senserunt. Quam præceps vero illa invasio, & dejectio vehemens, adeo ut renitentes quidam erecti deliquium incurrerint, cum vexatione & afflictione quorundam non adeo magna, aliorum vero tanta, ut gravissimas moverit querelas, tam cita præter spem venit liberatio, etiam febris tertio, quarto die talis remissio, ut non tam decrevisse, quam filum quasi abrupisse suum dicenda fuerit.

Quia vomituum quoque meminit laudatus Auctor, exemplum juvenis valde turbati, brevissime liberati, paucis tangam. Ille fortis & validus dicto tempore mane quodam sine causa ex-

pal-

palleſcens cum frigore & cephalalgia a conſternatis domeſticis in lectum deportatus, vix in eo ſe per vomitum largum & vehementem exonerarat, cum quieto decubitu incaleſceret, vires reſumeret, ut eodem adhuc veſpere non modo ſurgere, ſed & exire domo valuerit, non a paroxyſmo ſaltem quodam liber, ſed & ab omni alio malo, nihil etiam catarrhale perpeſſus.

Reliqua *Rhumelii* ad nuperam affectionem minus quadrabant: ſcilicet tumores faucium, parotides, hæmorrhagiæ, lenticulæ. Equidem aſperſæ noſtrorum fauces videbantur intertriginem potius quandam paſſæ, quam intumeſcentiam. Rubor, ardor, dolor genæ non niſi in unius & alterius fœminæ fuit querelis. Sanguis e naribus fluxit paucis, raro. Macularum aut veſicularum inter nos non fuit facta mentio, ut febris illa noſtris dici non potuerit exanthematica.

Supereſt, ut & curationem tangam: Quæ Gallo in obſ. Riv. neceſſaria quondam viſa fuit ſanguinis miſſio & alvi laxatio, male tamen audiit *Rhumelio*, apud nos hac vice omiſſæ fuerunt in totum. Locum habuit, quod *Cruſius* notavit, evaſiſſe a vino abſtinentes; vinum autem proxima vindemia collectum vile fuerat & auſterum. Scilicet in diæta parca & tenui, quieto decubitu lectique calore, multum momenti. Nec tamen decurſus morbi fuit a multis relictus naturæ, poſtquam tanta in vulgus enotuit remediorum farrago; quæ transeat. Laudem meruerunt Infuſa Theiformia, veronicæ cum ſalvia, ſcordii, etiam cum ſambuco, prunella, &c. Acceſſerunt pulveres fixi abſorbentes, diaphoretici, pectorales, in abſentia catarrhi, nitroſi, cum vehiculo aquarum & ſyruporum convenientium; & eſſentiæ alexipharmacæ temperatæ, e. g. ſcordii, cum pilulis ad noctem bezoardicis. *Tantum!*

(Tubinga Auguſtam Vind. d. 5. Decembr. A. 1712. miſſa.)

OBSERVATIO LIX.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

Vrina verminosa.

JVvenis cum per concubitum venereum gonorrhæam virulentam contraxisset, non sine summo ardore urinæ, post triginta dies sanguinem purum mingebat, inde purulentam urinam excernebat, quæ diligenter observata multos vivos vermiculos, quales in aceto notantur, exhibebat per lotium natantes; quod ad plures dies continuabat, donec per multum tempus assumto salsæparillæ decocto perfecte convaluit. Similes casus urinæ verminosæ Cl. D. Ros. Lentilius, Medicus Stuttgardiensis Doctissimus, in Parall. ad Dec. I. Ann. 8. obs. 11. Eph. Cur. recenset: Vid. etiam Zodiac. Med. Gall. A. 1 mens. April. obs. 2.

OBSERVATIO LX.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

Arteriotomia.

ARteriotomiam non tam periculosam esse, qualem olim ob metum aneurysmatis crediderunt, neoterici contendunt, imo Cl. Paulus Barbette, postquam docuit modum, quo hæc operatio rite instituitur, addit, hanc optimam esse præsidium in cephalæa, mania, epilepsia, & oculorum affectibus; idemque comprobat in suis Act. med. præstantissimus Thom. Bartholinus A. 1671. num. 4. Et ego testor, pluries hanc operationem feliciter cessisse. Sic in muliere quadragenaria sævo oculorum dolore affecta, secta temporali arteria a Chirurgo experientissimo Dominic. Ferreto in Xenodochio S. Mariæ novellæ Ferrar. meæ curæ com-

commisso, melius se habere incepit. Pariter A. 1705. dum Lauretum petebam, in Romandiola rusticum maniacum ope arteriotomiæ sanitati restitutum vidi. Adolescentem epilepticum, pistoris cujusdam Tridentini filium annor. 13. post arteriotomiam in utroque tempore institutam, sanatum fuisse observavit Parochus fide dignus. Honesta fœmina ætatis annorum 39. per multos dies affligebatur gravissimo capitis dolore circa frontem & supercilia, qui singulis propemodum horis recurrebat, tam acutus, ut sibi caput cultello aperiri semidelirans optaret, & si quis cubiculum ingrediebatur, clavum sibi cerebro infigi videretur; sola vero arteriotomia in utroque tempore celebrata, sana evasit. Denique in pertinaci ophthalmia ter in praxi mea feliciter sum usus tali Chirurgico præsidio in utroque sexu, & præsertim A. 1711. mense Maji in puello post variolos ophthalmia pertinaci laborante.

OBSERVATIO LXI.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

Maligna febris dentium casu finita.

HEmerodromus quidam Anno 1710. annorum ætatis suæ 26. Febri acuta & maligna correptus fuit, cum pessimis symptomatibus, quæ, licet septima viderentur sopita, undecima die rursus invalescebant; aderat phrenitis, convulsio, vomitus, alvi fluxus, cum singultu ac syncope; tandem parotides apparuere, quibus suppuratis mitiora facta sunt symptomata, & febris die vigesima cessavit, dentes vero unus post alium sponte, capilli etiam intra triduum a cute capitis separati, sponte pariter ceciderunt.

OBSER-

OBSERVATIO LXII.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

Quædam rara in Anatome reperta.

In cranio cujusdam militis Anno 1709. menſe Januarii pleuritide extincti, obſervavi defuiſſe ſuturam rectam; idemque An. 1689, in cranio mulieris, febri maligna defunctæ, me deprehendiſſe recordor.

In ſurdo a nativitate, forti apoplexia occiſo, tympani membranam craſſiorem ac denſiorem notavi Ann. 1690. d. 30. Januarii.

In tribus aſthmate denatis ſequentia obſervavi: in primo, adoleſcente annorum 19. totam pulmonum ſubſtantiam ſero plenam; in ſecundo, quadragenario, lapillos in dextro pulmonis lobo; in tertio autem, qui fuerat faber ferrarius, reperta eſt vomica in ſiniſtra pulmonis parte.

In corpore canis venatici, ut ductum Pecquetianum meis oſtenderem diſcipulis, vivi aperti unicum tantum renem offendi.

In Phthiſico An. 1697. extincto totum ſuccum felleum ſaxeum reperi, ſecta enim cyſtide, calculus pyriformis viridis coloris extractus eſt, quem conſervavi usque in menſem Novembrem, qui, Euro ſpirante, in viridem liquorem ſponte eſt diſſolutus.

Lienem rotundæ figuræ, ſubſtantiæ alioquin ſanæ, obſervavi in cadavere ſervi cujusdam pleuritide extincti An. 1709. menſe Januarii. Simile quid legitur in Th. Bartholini cent. 1.

Anno 1710. in lepore videre mihi licuit tres renes, duos nimirum in dextra parte, minores tamen, unum autem in ſiniſtra juſtæ molis; omnes bonæ conſtitutionis; retulitque mihi Chirurgus quidam, ſe vidiſſe pariter in vacca duos lienes realiter inter ſe diſtinctos & ſeparatos, ſanæ tamen ſubſtantiæ.

(*Ferraria Auguſtam Vind. d. 2. Dec. A. 1712. miſſa*)

OBSER-

OBSERVATIO LXIII.

Dn. D. JOHANNIS CASPARI GRIMMII.

Insignis efficacia Corticis Peruviani in Rhevmatismis, Cephalalgia inveterata & arthritide.

ETiamsi usus Corticis Peruviani seu corticis Chinæ de China in febribus intermittentibus, aliisque morbis apud quamplurimos sit valde suspectus & nocivus, scilicet quod indurationem glandularum mesenterii & inde dependentem tumorem pedum œdematosum causetur, sed citra omnem culpam egregii hujus medicamenti. Nam per aliquot viginti annos non modo in Febribus intermittentibus & continuis, corpore prius evacuato, sed præsertim in Rhevmatismis, Cephalalgia inveterata & arthritide, deprehendi effectum laudabilem, scilicet ter de die exhibui pulverem Cortic. Peruv. ℈j. Cinnab. nativ Hung. ℈ß. & ℈volat. viperar. gr. iij. in vehiculo appropriato & hoc per aliquot dies. Adeoque a multis abhinc annis variis experimentis, Corticem hunc vi stomachica, incidendi, resolvendi, aperiendi & aliquo modo laxandi pollere, observavi.

(*Lipsiæ Augustam Vind. d. 10. Jan. A. 1713. missa*)

OBSERVATIO LXIV.

Dn. D. CONRADI BERTHOLDI BEHRENS,

Icterus corporis dimidii.

DImidiatos corporis humani affectus dari novum non est, ac fere quotidianum a dimidietate spinalis medullæ affecta, Hemiplexiam alterutrius lateris sequi, quamvis interdum medietas

illa corporis contrario quoque cerebri hemisphærio respondeat, ut Illustrissimus *Lancisius l. de Mort. subit. p. 231.* notat. Scabiei, paroxysmorum Epilepticorum, ut & variolarum unius lateris mentionem faciunt Excellentissimus *Pechlinus obs. pag. 342.* ac *Ettmüllerus in Colleg. pract. Oper. Tom. 2. p. 403.* quo casu simul altera corporis medietas morbillis obsessa fuit. Icterum unius lateris hactenus apud nullum autorum reperi, observatus tamen a me ante biennium in Generosissimo de St. Septuagenario majore, qui, cum ab ira, cui graviori per naturam obnoxius erat, apoplexia corriperetur, quam hemiplexia dextri lateris excepit, simul ictero partis ejusdem laborabat, corpus adeo accurate quasi dividente, ut etiam nasi dextrum latus icteritium esset, sinistrum vero colorem naturalem retineret, haut secus ac in sene quodam podagrico altera quoque nasi medietas affecta ab *Ettmüllero l. c. p. 844.* observata est. Quamvis autem Dn. Æger propter ætatem ab omnibus pro deplorato haberetur, cum & urina supprimeretur; Venæsectione tamen & convenienti Cephalicorum cum Bezoardicis, quæ inter Tinctura Michaëlis valde proficua deprehendebatur, conjunctorum usu intra duas septimanas restituebatur, ita ut icterus quoque dispareret. Incolumis ab eo tempore integraque valetudine exstitit, usque ad finem Octobris anni superioris, quo iterum ab ira frequentiori casuque nocturno continua febre correptus, cum propter octiduanam absentiam meam, qua Augusto Electori Brunsuicensi, Domino meo Clementissimo vacabam, alteri cuidam Medico sese committere coactus fuisset, seu propter mutationem hanc, seu quoque ætatis ratione morti tandem in prædam cessit.

(*Hildesheimio Augustam Vind. d. 11. Febr. A. 1713. missa.*)

OBSER-

OBSERVATIO LXV.

Dn. D. GODOFREDI KLAVNIG,

De

Ulcere cancroso in interno uteri collo variis symptomatibus notabili.

TRagicam cancrosi in interno Matricis collo ulceris historiam ut consignem, phœnomena, quæ mihi morbi curam diligenti observare licuit, non ubivis obvia, postulare videntur. Fœminam sisto 29. annorum, temperamenti sanguinei, gente Polonam, forma ac animi dotibus, & etiam corporis ærumnis multas post se relinquentem. Hæc infelici matrimonio Viro nullius frugis juncta, primis statim annis filium enixa est, reliquo vero tempore Mariti, utinam & aliorum! consuetudinem abhorrens a prole permansit libera. Belli & Pestis calamitatibus permota domicilium Varsavia Dantiscum transtulit, ibique commorata subinde per anni spatium circa internum uteri orificium sensum vix dolorificum, ac si aciculis leniter pungeretur, se advertisse dicebat, persolvens interim debite lunare tributum. Cum postmodum nuptiis interesset, inter choreas, quas ducebat, hæmorrhagiam uteri enormem passa fuit, ex quo morbum non magni æstimatum attentius indagari decrevit. In auxilium vocati fuerunt & Chirurgus & obstetrix, huicque concedebatur facultas explorandi manus beneficio locum affectum, ambo vero, quæ ipsis auditu ac tactu obveniebant, flocci pendentes, haud dissvadebant, quo minus iter Vratislaviam præmeditatum susciperet, Quapropter nil mali metuens, velocissimo cursu per equos veredarios nos accessit, vix autem mense Julii Anno 1709. urbem ingressa, experta fuit hæmorrhagiæ ex utero recidivam : qua sedata fudit per vaginam saniem lividam, ichorosam variegati coloris & cadaverosi fœtoris, indies augmenta sumentem. Itineris comes, Chirurgus Gallus, per aliquot septimanas lignorum decocto &

emulsione ex seminibus frigidis succurrere tentavit, usque dum meum consilium imploraſſet miſerrima. Sepoſitis itaque Chirurgi Medicamentis, exploravi virtutem Potionum ex herbis ac radicibus uterinis & vulnerariis calide ſorbendarum, ut & balſami Cobaivæ, non neglecta injectione per ſyphonem ex balſamicis, abſtergentibus & mundificantibus præparata. Cum huic methodo aliquot diebus inhæſiſſem, rediit proh dolor! hæmorrhagia ſanguinis grumis, vel ſi mavis, fruſtis pugnum manus adæquantibus ſtipata, quarum excretio ægræ ſæpius ex dolore & virium proſtratione animi deliquium, ac ſi abortum pateretur, provocavit. Continuarunt dicta ſymptomata una cum hæmorrhagia ad tertium usque diem, ſenſimque auctus fuit dolor circa regionem oſſis ſacri & pubis, quem tantum eſſe exclamabat, ut cum Platone credidiſſes, uteri vices ſupplere animal aliquod voraciſſimum, vicinas ſibi partes indeſinenter arrodens. Poſt menſis ſpatium ex recurrente hæmorrhagia uteri, congrumato ſanguine permixta, ægra in vitæ diſcrimine hærebat, qua ceſſante, cum nec interne omnis generis vulneraria & balſamica, nec externe injectiones, fotus, linimenta &c. levamen afferrent, ad morbi ſtatum melius inveſtigandum, matricale ſpeculum adhibebatur, quod nobis exhibebat orificium uteri internum ulcuſculis hinc inde calloſis, fœtidis, lividisque copioſiſſimam ſaniem plorantibus defœdatum. Spe melioris ſucceſſus orbatus, mihi adjungi rogabam Celeberrimum noſtrum Collegam D. D. de Helwich, initoque conſilio commendabantur D. Beccheri Pilulæ balſamicæ, quibus effecimus, ut ſanguis raro ac ſine grumis profluereret. Externe ope ſpeculi uterini bis in die exulcerato orificio applicabatur balſamus vulnerarius, & calloſitatis exſtirpatio lapide infernali intendebatur, ex quo callorum color antea albicans degenerabat in magis naturalem, rubicundum ſcilicet, poſt aliquot autem dies priorem induebat faciem, procul dubio a ſanioſa colluvie continuo ibidem nidulante & ſolidas partes deſtruente. Dolor interim permanebat intenſiſſimus, & præter dorſum, in hypogaſtrii regione ſpatium magnitudine vulgaris orbis tanta ferocia occupabat

pabat, ut quaſi furibunda nocturno inprimis tempore percurreret cubiculum. Aderat febris, vigiliæ, quandoque Iſchuria, ſaniesque effluens de die in diem augebatur. Cum itaque non ex voto ſuccederet negotium, alius Medicus noſtræ Curæ ſe intrudebat, jactitans Panacæam Mercurialem, qua radicitus malum ſe exſtirpaturum promiſit. Lubentiſſimè ipſi lampada tradidimus, brevi vero experti fuimus, quod mutando quotidie medicamenta Ægram poſt ſex ſeptimanas dereliquerit pejoribus quam antea ſymptomatibus vexatam. Tandem Auctor fui ſuaſorque, ut aliorum adhuc Medicorum mentem in debellando pertinaci & vere deplorato morbo exploraret, quem in finem octo ex famoſiſſimis convocabantur, qui fere omnes, informati de Ægræ vita olim liberiori & ad Venerem proclivi, de doloribus circa noctem ingraveſcentibus & de morbi atrocia nullis hactenus remediis cedente, meum amplectebantur Conſilium, proponens ſalivatoriam curam, tanquam pertinaciſſime decumbentium ultimum Aſylum. Et ecce! mira, ſed vera loquor, eodem momento, quo ſalivæ fluxus per Mercurium dulcem provocatus apparuit, diſparuit omnis dolor, febris reliquaque ſymptomata. Interim uteri Carcinoma, cum ad inungenda balſama, mediante ſpeculo denudabatur, parum ichoris, multum vero fibroſæ atque putridæ materiæ inſtar filamentorum ſecernens, & mihi & Chirurgo quotidie videbatur magis mundari. Tranſacta per quatuor ſeptimanas ptyalismi cura, Ægra adeo bene ſe habebat, ut ſaltando, jocando tempus tereret, meque inſcio oſtreas edere auderet. Verum hoc gaudium nimis breve fuit, ſequenti enim ſeptimana Iſchuria, quam nec interna, ut demulcentia, antiſpaſmodica, anodyna &c. nec externa, unguenta intellige, fotus, clyſmata, nec ipſe Catheter auferre poterat, eam adeo affligebat, ut in balnei uſum condeſcendere fuerim coactus. Hoc ingreſſa reddebat urinam, inſimul vero tria fruſta fibroſa cadaveroſo fœtore infecta, & tandem ſanguinem nullis frænis compeſcendum, cujus profluvium doloribus liberam, aſt viribus exhauſtam 12. horis poſt balnei ingreſſum placida analyſi circa finem anni 1709.

e medio sustulit. Cadaver apertum nullam viscerum labem ob oculos ponebat, si excipias sæpius nominatum collum uteri internum, ab orificio uteri interno ad ejusdem cavitatem se extendens, in adultis pollicis longitudinem attingens; illud ipsum nil nisi externam tunicam sive membranam ostendebat, reliqua substantia penitus consumta. Ipsam uteri cavitatem jam intraverat sphacelus, cujus vestigia nigredo cadaverosa, parietes & latera cavitatis ultra medium tingens, demonstrare poterat.

Nec reticere debeo causam hujus lernæ malorum, quam ipsa Ægra non sine ratione suspicabatur. Scilicet fassa fuit, se rem habuisse cum viro nimis hastato, qui oestro venereo instigatus, orificium uteri violento & sæpius reiterato ictu contudit, quos mascule excipiendo inflammationi, subsequuto ulceri cancroso, & hinc exesis vasis sanguiferis lethali hæmorrhagiæ ansam dedit.

OBSERVATIO LXVI.

Dn. D. GODOFREDI KLAVNIG.

De

Anevrismate Carotidis feliciter curato.

JVxta Celeberrimi Joh. Jac. Harderi effatum in Apiarii sui observ. 86, p. 324. felicem anevrismatis exitum pauci viderunt, adeo ægre ferunt arteriæ habenas sibi injici. Nec reliqui medicæ Praxeos Coryphæi calculum adjicere denegant, uno ore hujus morbi indolem pessimi ominis & infaustæ prognoseos statuentes. Sufficiat instar omnium allegasse fama & meritis Amplissimum Thom. Bartholinum, qui in Epist. Medicin. 54. Cent. 3. ingenue fatetur, se DEVM precari solitum, ut hujusmodi casus vel avertat, vel curæ suæ subtrahat, & in seq. Epistola raro contingentibus curatum Anevrisma in Carotide filii septennis annumerat, nec arti, sed tenerrimæ partium constitutioni coalitum promoventi, vel quod arteria læsa os subjectum habuerit, ut arctissime

me potuerit comprimi ad conſolidationem, adſcribit, felicesque prædicat, quibus ita favet natura. His commotus ejusmodi albæ Gallinæ filium in ſcenam producere, eaque, quæ circa anevriſma carotidis feliciter curatum mihi obſervare licuit, communicare haud vereor. Erat is Juvenis generoſa ſtirpe ſatus, ætatis 25. annorum, cui d. 14. Octobr. præterlapſi anni poſt auris ſiniſtræ helicem ramus poſterior externæ Carotidis gladio tranſcindebatur, unde aliter fieri non potuit; quam ut enormis ſequeretur hæmorrhagia. Huic ut obex poneretur, quæcunque occurrebant ſtyptica in auxilium vocabantur, non tamen impediebant, quo minus ſpatio octo dierum recurreret ſtupendæ hæmorrhagiæ impetus. Victo tandem hoc hoſte, anevriſma a loco transſciſſæ arteriæ ad lobum auris usque ſe extendens, craſſitiem duorum pollicum adæquans, & tam vehementi pulſu præditum, ut aurem hinc inde commoveret, in conſpectum veniebat, quod procul dubio a præcluſa ſanguinis via, transſciſſo ſcilicet arterioſo ramo, & ad compeſcendam hæmorrhagiam fortiter compreſſo, derivandum erit. Sequutus methodum his in terris uſu receptam, plumaceolis, quæ linimentis adſtringentibus imbuebantur, & laminis plumbeis anevriſma paulatim comprimere, ſanguinisque affluxui frænum injicere conabar, nulla vero exinde redundabat utilitas, niſi quod ſtagnans ſanguis ad Apoſtema diſponeretur, & hæmorrhagiæ ad tempus inſerviret pro remora. Dum hæc agerentur, Æger conquerebatur de dolore prope aurem pulſatorio, æſtu intenſo, noctibus inquietis & reliquis febris vulnerariæ ſymptomatibus, quibus interna medicamenta opponere non fuit neglectum. Die 2. Novemb. ex eſchara, quæ anevriſmati inhærebat, ichor & purulenta materia ſe manifeſtabat, quæ & in ipſa auris concha, quorſum arteriæ extenſio proceſſerat, quærebat exitum. Quapropter ut mundificantia & gangrænæ ſphaceloque reſiſtentia applicarentur, infra tumorem arteria carotis comprimeretur, & ad cohibendum verſus ſuperiora impetum ſanguinis, inſtitueretur in pede V. S. auctor eram atque ſuaſor. Nihilominus tamen die 3. Novembr. infra ſacculum per duo oſtia ſanguis

guis arteriosus uno impetu & tanta vi prorumpebat, ut duorum Chirurgorum manus, hæc ostia comprimentes, vix sufficerent ad inhibendum effluxum, nosque spes penitus decollaret. Cogitatum quidem de sectione in Gallis sæpius felici successu instituta, nec deerant mihi homines satis audaces, qui Consilium præcipitaverant de abscindenda tota aure ad melius detegendam rupturam, de transversim scindenda arteria infra anevrisma, cui curæ per cauterium actuale colophonem imponere decreverant: nullus autem inveniebatur, qui vel fando operationis huc spectantis habuisset notitiam. Ne itaque famam meam ludibrio exponerem, negotium ambiguæ aleæ committendo Chirurgorum audaciæ, consultius ducebam trita incedere via. Explorabatur digito anevrismatis fundus, in quo nobis obveniebat durities cartilaginosa, quæ spem faciebat, fore, ut anevrisma non adeo profunde se extenderet. Hianti arteriæ injecta fuere aliquot frusta aluminis crudi, & adhibitis stypticis pluribusque plumaceolis omnia optime firmabantur, quibus sanguis intra fines suos ad aliquot horas continebatur. Cum sequenti die hæmorrhagia recurreret, arteriæ iterum aluminis frusta, & lintea carpta liquore styptico imprægnata profunde intrudebantur, ac externe pasta ex pulveribus adstringentibus spiritu vini rectificato madidis stupa mixtis imponebatur. Ita quidem consultum erat hæmorrhagiæ, sed ecce! totum faciei latus sinistrum in tumorem elevabatur, qui quoad febrem symptomaticam & reliqua erysipelati appropinquabat, inprimis fauces ejusdem lateris sanguine adeo turgescebant, ut prima die salivam cruentam exspueret. Ex analogia externe pulvis contra erysip. Minst. faucibus gargarisma ex discutientibus, contra febrem leniter diaphoretica cum euphoria fuere ordinata: his enim adminiculis post duos dies febris extincta & tumor penitus sublatus. Pari gaudio nos exhilarabat locus anevrismate antea notatus, qui, sacco per apostema consumto omnia in statu naturali, principium scilicet rami posterioris carotidis occlusum, vel quasi deletum exhibebat. Hinc mihi nascebatur concludendi occasio, quod, ramo posteriori externæ carotidis per abscessum

peni-

penitus deleto, & porta ad hunc ramum per constringentia &c. sanguini occlusa, omnis sanguis per carotidem externam affluens coactus fuerit ingredi ramum anteriorem, mediante quo succus hic vitalis ad faciei partes perducitur; ut adeo non mirum sit, quod faciei siniſtrum latus, cum sanguinem in multo majori quantitate continere debebat, intumuerit, antequam huic proportioni assveta, & circulus sanguinis in ordinem iterum fuerit redactus.

OBSERVATIO LXVII.

DN. D. GODOFREDI KLAVNIG.

De

Arsenico Agrorum fertilitatem promovente.

MUlti hactenus desudarunt in augenda frumentorum fertilitate, cujus arcanam vim fere omnes, inter quos nominare liceat sedulum naturæ scrutatorem Abbatem Vallemont, in salibus, inprimis nitrosis latere arbitrantur. Hæc legenti in memoriam revocarunt, quæ de arsenico, in Barbaria ad melius colendum agrum usitato, amicus rerum metallicarum scientissimus mecum communicavit. Cum ille fodinis auripigmento abundantibus præfectus, quotannis Arsenicum maxima quantitate ad Batavos transmittat, e re credidit inquirere accuratius, quem in usum tot centenarii hujus mineralis cedant. Utilitas, quam in arte tinctoria præstat, neminem fugit; majoris vero curiositatis videtur, quod fide digni Mercatores prælaudato fodinarum Inspectori affirmaverint, arsenicum a Batavis in Barbariam missum incolis inservire ad agriculturæ emolumentum, dum illud agris inspergunt, & ditiorem messem exinde reportant. Causam quidem fertilioris segetis judiciose quærunt in vi venenosa, qua glires magno numero frugibus ibidem infensos enecant, non tamen dubitarem, salinis etiam ac sulphureis particulis aliqualem attribuere efficaciam, cum unius rei plures possint esse causæ, & præter

ter alios assentientem habeam Dn. de Childrey, in Hist. natural. Angl. p. 18. Ad magis corroborandam hujus experimenti veritatem mihi relatum fuit, in prato casæ, qua arsenicum præparare solent, vicino, gramina, ad quæ pertingit arsenicalis fumus, adeo læte progerminare, ut altitudine reliqua in eodem, sed a memorata casa remotiori loco crescentia, longe superent, brutisque impune pro pabulo concedantur. Hæc in nostra Silesia circa gramina observata nos eo facilius inducere poterunt ad ea credenda, quæ præmisi de Arsenico agrorum in Barbaria fertilitatem promovente.

(*Vratislavia Augustam Vind. d. 9. Mart. A. 1713. missa.*)

OBSERVATIO LXVIII.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI,

De

Morbis Lanionum.

OMnem laudem meretur egregium opus Clarissimi Domini *Ramazzini*, Professoris P. Patavini, *de morbis Artificum*: erudite enim ibi morbosas eorum affectiones descriptas habet curiosus Lector. Verum quia de Lanionum morbis verba vix facit, ideo inpræsentiarum mihi liceat aliquid a me notatum exponere. Lanius igitur, sive lanio, & macellarius, ille turpis est artifex, qui carnes in carnario vendit, sicque dicitur, quod animalia concidat & laniet, ut ait *Calvinus in Lexic. jurid.* Laniстæ vero a laniandis corporibus sic dicuntur, & a Laniis differunt, quoniam isti modo apud Auctores carnifices sunt, modo Præfecti ludi gladiatorii, qui gladiatoribus dictata dabant modumque pugnandi edocebant; ut testantur *Hildebrand. in antiq. Roman. Beroaldus in Sueton. & Laurentius in Polymath. lib. 1.* Corporum autem lanionum a me pluries facta observatione, notavi,

pravis

pravis ſemper ſuccis infecta eſſe, vel ob pravum vivendi modum, vel ob exhalationes cadaverinas, a mactatis animalibus evaporantes, quæ in lanii corpus introductæ fermenta, humores ac ſpiritus inquinare valent; unde cachexiæ ſæpe oriuntur, & fœdo colore tinguntur laniones, cum obſtructionibus, & aliquando præternaturali ſalivatione, ac ſcorbuto. Sic duos a cachexia in hydropem incidiſſe obſervavi: multos icteritia pertinaci affectos: ſæpe, uti ipſi mihi faſſi ſunt, vertigine corripiuntur, atque pedum intumeſcentia, quatenus ſcilicet fœtidi halitus capitis internas partes lædunt, animalesque ſpiritus fugant, & in gyrum veluti agitant; nec non aſſidue manendo in ſordidis liquoribus pedes male afficiuntur, atque ob ingreſſum illarum peſſimarum particularum inflantur ac tument. Vomitu etiam ac nauſea ſæpe tentantur, & præſertim cum artis prima rudimenta ſuſcipiunt; fœtidum etiam odorem ſemper exhalant: particulæ enim a ſordibus & carnibus mactatorum animalium elevatæ, in veſtium poroſitates, ac etiam cutis ipſius corporis introductæ, ſemper a ſuo ſulphure nauſeoſos emittunt halitus. Præterea quoniam pondera magna, & frequenter deportant, in altum extollunt, atque huc & illuc trahunt, ut ſunt boum, vaccarum, vitulorum &c. cadavera, hinc eſt, quod etiam ſæpe morbis obnoxii fiant, qui bajulos afficere ſolent, ut ſunt ruptura vaſorum in pectore, hernia, gibboſitas, & varix; primus, dum ſpiritum continere eis eſt neceſſe, unde vaſa ſanguinea nimis diſtenta facile rumpuntur; ſecundus, quia ſpiritum cohibendo facile peritonæum relaxatur; tertius, quoniam temporis progreſſu, vertebris ad anteriora inflexis, habitum contrahunt in tali figura & ſitu; quartus demum accidit, dum contingit dilatatio venarum in valvulis, ex motu ſanguinis ad ſuperiora retardato, ob muſculos crurum nimis diſtentos, ut ait laudatus *Ramazzinus l. c. cap 37.* Idem etiam dicendum de Cœliopolis, vulgo Trippari, nempe illis, qui inteſtina animalium purgant ac vendunt, iisdem enim morbis tentantur, atque majora patiuntur ſymptomata ac laniones, & præſertim in vitio crurum ac pedum, & hoc ob aſſiduam atque copioſam

aquarum putridarum illuviem, in qua semper versantur. Addendum etiam, quod isti utplurimum sebaceas candelas conficiunt, ex qua operatione dolores capitis, vertigines, oculorum rubor, & difficilis respiratio oriuntur, prout legere licet ex *Olao Borrichio* in *observ. 86. Volum. 5. Act. med. Hafn.* imo autore eodem *Ramazzino*, iidem perpetua inappetentia, & nauseosa tentantur; & feminæ penes eorum officinas habitantes uterinis passionibus afficiuntur, vid. cap. 16. de morb. artif. Curiosam refert historiam *Bierlingius* in *Miscell. curios. dec. 1. ann. 2. obs. 207.* de lanione mucronem cultri abhorrente, ita ut si suem jugulare vellet, cultro acie prædito linteolum involveret, clausisque oculis isti animali jugulum incideret; hic tamen casus potius ad antipathiam, quam ad morbum est referendus. Hucusque de morbis corporis, nunc pauca de moribus addere liceat, desumta ab autoritate *Martialis in epigr. 67. lib. 11.*

Et delator es, & calumniator,
& fraudator es, & negotiator,
& fellator es, & lanista; miror,
quare non habes, Vacerra, nummos.

Quibus vitiis Laniones abundare solent, ut interpretatur Dominic. Macrus in suo Hierolexico: pro lanista enim lanium intelligit, qui lanienam, artem scilicet turpem in macello exercet. Laniones ergo utplurimum malis moribus induti sunt, unde ebrii, blasphemi, luxurioси, ac de facili homicidæ evadunt, sine pietate, petulantes, ac sordidi fures: raro enim in pondere justam emptoribus mensuram porrigunt; unde sæpe hic Ferrariæ a Tribunalibus vexantur, & in carceribus detenti pœnas luunt.

(*Ferraria Augustam Vind. d. 26. Mart. A. 1713. missa.*)

)o(

OBSER-

OBSERVATIO LXIX.

Dn. D. IMMANVELIS WEISMANNI.

Mulier lithotoca pro Fascinata & Venefica habita.

MUlier annos 49. nata, inopis operarii uxor, & duris laboribus assueta, aliquot abhinc diebus 30. calculos diversæ magnitudinis, distincti coloris & variæ substantiæ ac crassitiei, sine manu Chirurgica, cum multa colluvie corruptæ materiæ per muliebria, (an per collum vesicæ, vel per vaginam, dubium,) excrevit. Quidam calculorum aliis duriores & albicantes, ex afflictu chalybis scintillas eliciunt, non item illi, qui rubelli, fusci, & ex flavo nigricantes sunt ac molliores. Maximus gallinaceum ovum æquat pondere, non figura, siquidem inæqualis est & aliquibus in locis acuminatus. Aliquamdiu valetudinaria ipsa affectum suum nescivit, jam aliquot annos in abdomine magnos dolores passa. Nuper conquesta fuit de rosionibus & doloribus lancinantibus vagis primum in femore siniſtro, ut pedem movere nequiverit, dolore Erysipelati adscripto: postea collo exterius doluit, ac si catarrho affligeretur, fixa quasi cervice. Porro dextro brachio, tandem universo corpore, instar arthriticæ, magis tamen urgente hoc symptomate, siquidem mingere non poterat, eaque doloris necessitate cogebatur, molestiam suam patefacere. Datum inde consilium, adeundi medicastros, qui exhibita aqua saxifragæ, Pimpinellæ, oleisque illinendis, sine secuta doloris lenitione effati sunt, ægre opem dari posse, corporis superficiem internam ♀ro obductam esse instar dolii, multosque intus calculos latere, id indicante urina. Visum in hac per longum tempus omni die sedimentum multum arenosum rubrum, tamen non habito metu de præsentia Calculorum. Inopinato calculos majores, minores, multos, nucleiformes, cum nigro corrupto multo sanguine per alvum, itidem muliebribus mictione

ne difficillima in terram egeſſit, cum levamine per menſem. Excitatis e frigore torminibus putatitiis hyſterico-colicis, indiga lignorum, laterem latum bene calefactum ac duplici linteamini involutum torminoſo abdomini impoſuit, ſubito perſentito ibidem fragore & conatu egerendi ad pubem extenſo. Prius aliquoties mucilaginoſa flava, velut ulceroſum pus, vomuit cum alterno frigore & calore. Utplurimum alvus clauſa: ſedes nonnunquam cruentæ, maxime, ſi calculi exitum præſtolantur, qui exituri tantis contorſionibus infimum ventrem cruciant, ac ſi viſcera & inteſtina forcipibus uncisque diſcinderentur. Urina ſæpius per aliquot dies ſuppreſſa, cum impetu & copia, doloroſe & inter deliquia effluxit. Calculos adhuc gerens multum ſitiit, & bibens aquam ipſa & adſtantes in ventriculo ſibilum audiverunt inſtar ferventis calcis aqua affuſa. Calculos exoneratura præſcire dicitur ingruentem paroxyſmum & exeundorum calculorum figuram in omnes dimenſiones; ac venter murmuribus & borborygmis frequentioribus ita crepitat & tumultuatur, ut in longinquum ſonus quaſi tonitruans percipiatur. Dormituriens paveſcit & leviter delirat. Maximus calculorum cum inter cruciatus parturientium ſimiles egrederetur, decidit in pavimentum pondere & lapſu magni lapidis, **wie ein Pfund-Stein** ꝛc. Ipſa ſuſpicatur mali ſui labem hæreditariam, acceptam a Patre, qui obnoxius dyſuriæ, Iſchuria tandem obiit rupta veſica. Malæ inſuper famæ fœmina apud multos cum eruditos tum plebejos pro Faſcinata & Venefica judicatur: an falſo, an jure, videat quivis, qui judicat.

OBSER-

OBSERVATIO LXX.

Dn. D. IMMANVELIS WEISMANNI.

Magnesiæ lepida Virginis Imprægnatio imputata.

Filia unica, octodecennis, licentiosa, basiis dandis & excipiendis liberalis amplexuumque cupida, quoties capite, ventre vel artubus doluit, quod sæpius contigit, Parentes in lachrymas & clamores coëgit: Protinus inde non una vice medicus vocabatur, qui morbum magis animi & amoris, quam corporis judicabat. Cito namque convaluit, si ille ipse amasius apparuit, qui simulatæ ægritudinis causa exstitit. Paulatim decrevit corpore & viribus, palluitque, prostrato omni fere appetitu. Anxii Parentes super notabilem & suspectam Atrophiam quæsiverunt filiam & medicum. Illa, optime conscia, plenissimam sibi fidem haberi, imprimis apud credulam & tenerrimi erga filiam amoris matrem, causam finxit, se mensibus nimium fluentibus cum detrimento vacuari & adeo delassari, ut Hecticam metuat. Hic primitus fallaciæ nescius, plethoram subesse ratus, Venæsectionem, postea de acrimonia & salsedine sanguinis uterina vasa ad copiosiorem citiorem & diuturniorem excretionem menstruorum stimulante cogitans, solam Magnesiam albam suasit, indicatæ correctionis, edulcorationisque causa bis de die in consueta dosi sumendam. Prius largius manantes dolorifici menses substiterunt, & anxii parentes rationem solicitarunt, annon tam celeris & omnis fluoris emansio majorem noxam inferre possit: medicus taliter qualiter respondit, subolfaciens fraudem non imprudentis puellæ. Florida facies, integer appetitus & venter simul notabiliter increscens suspicionem movere coeperunt de filiæ pudicitia. Hæc vero, ut fraudem fraudi opponeret, queri incepit de Cardialgia, Vomituritionibus, torminibus & murmuribus ventris, alvi duri-

tie,

tie, flatibus & abdominis dolorosa tensione, ita, ut Parentes de vita filiæ metuentes, fictorumque dolorum tum adhuc inscii, a medico petierint, ut præveniendo Hydropi-Tympanitidi ordinaret, quæ debeantur, si talis fuisset. Per multas septimanas hanc scenam lusit, & parentibus, non æque medico, illusit, ex conscientia & ventris ipso augmento sciens, quæ acta fuerint, adscripta medici schedæ, ex sedulitate Parentum & lachrymis eorum petita, quæ vita salvare possent filiam tam charam, patris & matris tam protervam deceptricem. Usurpata, quæ Cachexiæ & Tympanitidi congruunt, solo consolandi fine parentes, qui de filiæ malitia persuadere sibi nolebant. Genæ semper magis floruerunt, venter altius intumuit, & parentes in dies pertinacius occœcati sibi plus de morte, quam de certo certius futuro partu timuerunt. Tandem cum rumpi vellet vivus Hydrops, & torminosi dolores abdomen terebrarent, accersitus Pastor, ut tanquam letho proximæ solatium daret. Hic nihil mortiferum intuens, nec blandimentis nec hortationibus, nec minis putatitiam agonizantem ad confessionem sui sceleris adigere valuit, sed nec consolari illam voluit, indignabundus domum abituriens. Eo momento altum inclamat nova matercula, & auditur insimul ejulatus infantuli, quem modo sub regmine lecti peperit Virgo, puellum elegantem, sed valde debilem, toto pœne corpore compressum, & aliquibus in locis stigmatibus ex rubro fuscis nigris signatum, certissimo signo arctius aliquamdiu pressi abdominis & ipsius puelli sub egressum ex utero compressionis. Interrogata, *cur impraegnationem negaverit?* cachinnans regessit, *se nescivisse, quod gravida facta fuerit? Cum pulverem quendam album*, Magnesiam, *a Doctore conscriptum usurpasset, illico menses emansisse, & ventrem statim crevisse in istam molem, quam modo in cunas deposuerit.* Contumeliose ad iram irritatus Parens verberibus obtinuit, ut confiteretur meretricula, quisnam esset, qui usurpatæ Magnesiæ tam felicem efficaciam dederit? qui fuit robustus juvenis, egregie illam hæmorrhousam proprio & domestico medicamine juvans, & ab onerosa virginitate sanguinisque ple-

plenitudine liberans. Cujus delicti veniam facile apud patronos illius Magneſiæ facta hæc novella mater inveniet, ſiquidem præter alias plurimas Cœleſtes & nullis encomiis digne extollendas proprietates, facultates & virtutes, particularem hanc & inſignem potentiam illa aliquandiu ſumpta poſſideat exeratque, *uxores ſteriles*, (per maritos ni aliquid obſtet,) *fœcundanti & pulchras proles formandi*: quod me ipſum multis laudibus legiſſe, teſtor, & ea propter infelicitatem Virginis doleo, quod infauſta hac medicina gravida facta, præmature honorem ſuum cum amore Parentum perdiderit. Peperit nuper fœmina filium, cui per integrum annum inordinate & copioſe catamenia ad deliquia fluebant, ut prius pinguis, juncea & pallidior morte facta fuerit. Suaſi magneſiam, & ſtatim concepit, tota geſtatione roſea, alacris, ſaniſſima. Alia mulier Scorbutica per aliquot ſeptimanas hactenus diarrhœam ſeroſo-bilioſam paſſa cum excretione pellicularum flavarum, & toto corpore pruriente ſcabie ſicca obducta quovis menſe, ſtatis quidem periodis, ſed adeo largiter ſanguine ſuo purgata fuit, ut cohibere fluxum neceſſe habuerit. Ordinavi magneſiam & tincturam Antiphthyſicam officin. Nunc menſes moderatius fluunt, ſed bis intra menſem, ſine omni virium detrimento. Tantum præſtat & plura valet Magneſia.

OBSERVATIO LXXI.

Dn. D. IMMANVELIS WEISMANNI.

Singulare Phænomenon Convulsivum in Hysterica.

Foemina quinquagenaria, plethorica, gracilis, 9. liberorum mater, & in quolibet puerperio multum doloris & incommodi passa, citius justo menstruari desiit. Cessantium vero mensium loco substituit natura hæmorrhoidas, quæ incertis periodis & nonnisi inter egerendum, mediocri quantitate adhuc fluunt. Biennio abhinc primum convellebatur capite, manibus & pedibus, durante paroxysmo vix aliquot momenta. Sæpius inde citra medici consensum secari venam passa valde debilitata fuit, frequentius posthac irruentibus insultibus hysterico-convulsivis, circa quos a trimestri hoc notari meretur. Nullo prævio signo vel sensu deliquii, vertiginis, anxietatis præcordialis &c. incipit tremere solum manu dextra, tum dextro pede, postea utrisq; manu & pede, denique toto corpore, cum sensu maximi frigoris dentiumque sonora crepitatione, ut sponda succutiatur, salvis toto paroxysmo sensibus, qui spatium Dominicæ sacræ durans subito terminatur & demittitur in Asthma præcordiale Suffocativum, ita, ut aliquoties spiritum tanquam ex imis terræ, & quasi omnis ipsi aêr præcluderetur, ducere cogatur, post iterum vegeta, hilaris & pro Hysterica non æstimanda. A *Castoreatis* multum delectatur, ac, prout videtur, solum juvatur, & erumpente tremore spasmodico-convulsivo nodulum Castoreo prægnantem petit, vel ipsa naribus admovet.

)o(

OBSER-

OBSERVATIO LXXII.

Dn. D. IMMANVELIS WEISMANNI.

Arthritis Convulsiva cum Tetano.

SVtor 32. annor. temperamenti bilioſi, vino auſtero largius bibendo deditus, præter voluntatem ſemper iracundus, ante hos 6. annos de dolore cervicis preſſivo mox, mox punctorio conqueſtus eſt, quod in opificio ſuo multum illum impedivit, ſiquidem calceatores curvi ſive inclinata cervice & inflexa ſpina dorſi laborare ſolent, ſæpius inde *gibboſitatem*, vel magis, prout D.D. *Ramazzinus* vocat in *Diatrib. de morb. artif.* c. 33. p. m. 237. *Simitatem* ſibi adſciſcentes, *quatenus ſucceſſu temporis dorſi vertebræ æqualiter extuberant, earumque ligamenta in parte extrorſum vergente diſtrahuntur & calloſitatem contrahunt, ut in naturalem ſitum redire vel cogi nequeant.* Tum etiam per ſemeſtre febribus primum quotidiana, tum tertiana, denique quartana fatigatus, Cachexiam contraxit icteritiam cum metu inſecuturæ tabis. Ob egeſtatem ſoli naturæ relictus ſenſim in tantum convaluit, ut ſanus aliis ſuisque viſus fuerit, rediens ad ſua munia, ſine moleſta laſſitudine, vel ullo totius dolore. Aliquot abhinc menſibus ſenſit deliquia levia ſtomachico-ſyncoptica, & notabilem ſub his pulſationem circa ſtomachum, ita, ut ventriculus attolli, vel anguis ſub carne & panniculo repere putaretur, ſurſum tendens ad ductum & longitudinem œſophagi usque ad gulam & fauces, ubi motus ille reptilis ſubſtitit hasque in globum contraxit, ſicut Hyſtericis evenit, ut ipſe per jocum dixerit, ſe matrice affligi, uterum ipſi ad os aſcendere & globum iſtum nec deglutiri nec deorſum premi poſſe. Cœpit inde in ſingulis membris maxime artubus pungi, dolore nunc vago, nunc fixo, diverſo durationis intervallo. Retracti ſunt digiti manuum, præprimis dextræ, ac adeo incurvati, ut extra & in rectum reduci non

possint. Toto corpore lassus & emaciatus, non fatiscente tamen appetitu, ex consilio amicorum Cephalicam pedum secari & largiter fluere voluit, mitigato quidem ad 2. hebdomadas malo, sed postea illo irrumpente in Veras Convulsiones paroxysmantes, siquidem prævia oculorum obnubilatione, susurru aurium, pulsatione temporum, tremore brachiorum eorumque musculorum tremula subsultatione & præcordiorum anxietate strangulatoria, si non omni, certius altera hebdomade convellitur, toto tum tempore frigidus & rigidus fit, ac clausis oculis & aperto rictu, absque omni sensuum, motus aut respirationis indicio, lapidis aut trunci instar per dimidiam horam jacet, prima vice pro Mortuo extra hypocaustum portatus. Finito paroxysmo semistupidus, passionis tamen suæ non omnino immemor, lectum petit, & per aliquot horas placide dormit.

OBSERVATIO LXXIII.

Dn. D. IMMANVELIS WEISMANNI.

Alterius genæ permanens rubor, menses indicans signum.

VXor nobilis, duorum liberorum mater, temperamento suo humida & frigida, ni vena nature secetur, pene quolibet vere, insultibus hypochondriaco-melancholico-hysterico-arthriticis obnoxia, quamvis corosa, & qualis videtur, sanguine plena, parce tamen sine sanitatis vitio, fluere menses patitur; qui si instant, & jam manare incipiunt, tota facie rubet, flammeo vultu, reliquo corpore vix calet. Si aliquot horis stillarunt catamenia, dextra gena florida rubea manet, dentientis infantis instar, quandoque cum dentium istius lateris dolore, & sinistra pallet emortua quasi usque ad fluxionis finem. Narravit hæc quoque mihi, se interdum per septimanas, omni mane, hora quarta dormientem torminibus excitari, quæ asthma præcordiale anxiosum & leviter

ter deliquiosum cum madore totius frigido insequatur, redeunte post paroxysmum placido aliquot horarum somno. Quod muliebre Asthma, sive sumatur in Abstracto sive concreto pro Passione Hysterica, etiam in hac fœmina Porisma Medicum confirmat, *menses ordinario fluentes non impedire, quin mulier possit esse hysterica.* Asthmatis autem causalis ratio eadem mihi subesse videtur, quam in Moniali suggessit *Magnif. D.D. Lentilius* E.N.C. D. 2. A. 7. O. 133.

OBSERVATIO LXXIV.

Dn. D. IMMANVELIS WEISMANNI.

Ex abdominis mox incremento, mox decremento, dubia, sed partu filioli verificata graviditas.

FOemina 34. annorum ante annum & dimidium viro lippo & jurgioso nupta, cum quotidie inter rixas & verbera cum marito viveret, ipso menstruationis primo die iterum fustibus salutata, subito supprimi menses observavit, qui per 32. hebdomadas substiterunt, sensim crescente ventre instar gravidæ, qualis credebatur a se ipsa aliisque; tamen nulla fœtus viventis vel præsentis signa, computatis tot jam dubiosæ gestationis mensibus. Misit urinam ad Medicastram, uroscopiæ & imprægnationis ex illa divinandæ encomio vulgi peritam, quæ respondit: **Es könne seyn oder nicht/ daß sie schwanger seye.** Sed contrario utero gerentium more ultra medium tempus jam progressa pejus indies se habuit. Corripiebatur asthmate interdiu tolerabili, noctu fere suffocante, torminibus, cum tam dolorifica abdominis expansione, ut ipsa doloris causa id attingere nollet, protenso dolore pressivo & lapidis instar gravativo versus pubem, ut sæpius mingere cogeretur. Aliquoties tumido ventre lectum ingressa, altero mane, evanido omni fere ventre quasi exenterata surrexit,

ipsa dubitare incipiens de vero fœtu. Maritus speratæ primæ prolis cupidus undique opem petiit, sed inani effectu fere ad horam partus. Dedit quidam Medicus pulveris Cinericii coloris dosses 32. mane & vesperi in ▽. melissæ sumendas, quibus per quatriduum sumptis multam colluviem seroso-sanguineam nigricantem male olentem utero expurgavit, una embryonem moveri percepit, abdomine noviter increvit, & post 6. hebdomadas puellum robustum præter multorum expectationem peperit.

OBSERVATIO LXXV.

Dn. D. IMMANVELIS WEISMANNI.

Scabies brachii particularis retropressa, mutata in Universalem & Crustosam.

Filia septenarium secundum modo egressa in brachio sinistro pruritum sensit, & a frictione cum indusio & unguibus continere se non potuit. Ortæ hinc papulæ rubellæ, insignis cutis ardor, dolor pustularumque suppuratio. Mater inunxit *butyrum Sulphuratum*, & repulsum inde ad interiora serum acre impurum illico pallorem, difficilem spirationem, tussim siccam, appetitus imminutionem, sitim & totius corporis citam intumescentiam induxit. Sumptis aliquibus dosibus de essentiis *fumariæ* & *lignorum* ad levem sudorem, omnis totius corporis cutis papulis miliaribus aspera facta, efflorescente universali scabie primum sicca & pruriente, tum humida & crustosa fœtente: statim detumuit facie, ventre & pedibus, melius iterum appetiit, cessavit sitis, & exhibito purgante Jalappino ☿riali, integra corporis sanitas & mundities rediit.

(*Uraco Augustam Vind. d 4. April. A. 1713. missæ*)

OBSER-

OBSERVATIO LXXVI.

Dn. Lic. SIGISMVNDI SCHMIEDERI.

De

Hippocratis Purgatione Morali.

HIppocratem non tantum egregium atque incomparabilem fuisse Medicum, verum etiam Philosophum & naturalem & moralem præclarum, abunde ex ejus constat scriptis, virique eruditi, tum veteres tum recentiores testantur. *Seneca ad Lucil.* & in *Epist. 95.* vocat ipsum Medicorum maximum hujusve scientiæ conditorem. *Nicomedes L. I. Epigr.* de isto ita canit:

Ἱπποκράτης φάος ἦν μερόπων, καὶ σώετο λαίων
Ἔθνεα, καὶ νεκύων ἦν πανίς ἐν ἀϊδη.

Galenus L. de Fin. Med. Prooem. ita de isto scribit: *Hippocrates in libello de Arte eam finivit, ille nimirum, qui semper bonorum Auctor ac Princeps fuit: cujus apud Græcos omnes memoria in æternum durabit, quandoquidem publice de omnibus est bene meritus.* Ex recentioribus, celeberrimus *Baglivius*, in *L. de Prax. Med. ad prisc. observand. rat. revocanda, L. I. C. I. §. III. p. m. 2.* de Hippocrate ita loquitur: *Naturæ, non hominis voce loquitur Hippocrates, Medicorum Romulus; cui nec ætas prisca vidit parem in re Medica, nec videbit futura, nisi demum resipiscant Medici, & velut ab alto somno excitati, videant, quantum differat Historica & Mascula Græcorum Medicina, a speculativa & pensili novorum hominum.* Naturalis scientiæ peritiam Hippocrates, vel solus liber de *Aëre, Locis* & *Aquis*, testari potest. Matheseos quoque non fuisse rudem, epistola ipsius docet ad filium *Thessalum* conscripta, ubi ipsi suadet, ut Geometriæ atque Arithmeticæ notitiam sibi com-

comparet, cum in Chirurgia aliisque disciplinis, magni sit usus hæc Matheseos universalis scientia. Eruditionem in Philosophia Morali Hippocratis, multis ex locis, præsertim ex Libr. de *Dec. Habitu, de Medic.* aliisque probare possumus. *Epistolæ*, quas conscripsit, multa moralia in se continent præcepta, imo, locutio ejus de Medico Philosopho, quando ait: Γητρὸν φιλόσοφον εἶναι ἰσόθεον, de nulla alia, quam Philosophia loquitur morali, per quam homo beatus & Deo quasi similis esse potest, quod alibi videbimus ac explicabimus. Testantur mecum Hippocratis eruditionem moralem, *Petrus Canonherius S. S. Theol. & Med. D.* nec non celeberrimus atque ampliſſimus *Thomasius, iste*, in suo commentatio *Medico Politico-Ethico Theologico; hic*, in sua Historia *Sapientiæ & Stultitiæ, Tom. II. mens. April.* ubi Democritum atque Hippocratem, ex epistolis Philosophos sistit morales. De Hippocrate in præfatione dicti libri, ita scribit ac differit: Summus Medicorum Hippocrates in Epistolis suis, summam Philosophiæ Democriteæ, pulcræ profecto, quantum ad morum Philosophiam, &, quantum ab Ethnico Philosopho expectari poterat, cum multorum & antiquorum & modernorum doctrina certantis, ab interitu liberavit. Nos vindicabimus ab oblivione. Etenim de eo constare arbitror, Theologos, Juris Consultos, Philosophos & Politicos, parum Hippocratis curare opera. Medici nostri, an præter Aphorismos Hipp. & forte paucissimos ejusdem tractatus alios medicos, ejus opera cognita habeant, & an ex centum Medicis unus aut alter sit, qui subito rogatus de epistolis Hippocratis, ex vero respondere valeat, an epistolas scripserit Hippocrates; & quid eæ contineant? ab ipsis edoceri mallem, quam animi sententiam mei ipsis sincere exponere. Ceterum hinc inde Hippocrates de suo admiscuit monita nonnulla & sententias morales aureas omnino, & (ut stultitiæ seculi me accommodem, Confutii Sinensis doctrinam, utpote novam & ad æmulationem in diariis eruditorum excerptam, ut rem rarissimam suspicienti) plus quam Confutianas. Quamvis non diffitendum sit, Hippocratem in epistolis magis opere & exemplo,

emplo, quam doctrina monstrare Philosophum moralem. Hæc ille hactenus. Plura ut adducamus testimonia non opus est, aspiciamus saltem unicum locum, qui occurrit in libro de *decent. Habitu*, ubi Medicinam noster cum sapientia comparat, eam Medico suadet, & inter alia, *Purgationum in vita utilium atque necessariarum* mentionem injicit, quarum in gratiam, cum nonnulli istas per purgationes proprie sic dictas, alii per expiationes, alii per excusationes, explicent, ad sensum genuinum eruendum, hanc conscripsimus observationem. Quo igitur omnis res clarior evadat, B. L. pace, integrum locum ex Hippocrate Latinis huc transferemus verbis, quæ ita se habent: *Quapropter prædicta singula colligere oportet, & sapientiam ad medicinam traducere, & medicinam ad sapientiam. Medicus enim Philosophus, DEO æqualis habetur. Nam non multa inter se differunt, & quæ ad sapientiam requiruntur, in Medicina insunt omnia pecuniæ contemtus, pudor, verecundia, reverentia, modestia in vestitu, bona existimatio, judicium, lenitas, promtitudo, mundities, sententiosa eloquendi concinnitas, cognitio in vita utilium ac necessariarum purgationum,* [ἴδησις τῶν πρὸς βίον χρησίμων καὶ ἀναγκαίων καθαρσίων] *earumque liberatio, superstitiosi Deorum metus aversatio, præstantia divina.* Quot verba heic, tot regulas habemus morales, quas inter est cognitio τῶν καθαρσίων sive Purificationum, per quas, quid intelligat noster Auctor, mox videbimus, modo prius si aliorum adduxerimus opiniones. Sunt itaque, qui hanc vocem de *expiationibus* exponunt, dicentes, Hippocratem medicis hasce suadere voluisse, easdemque ipsummet in usum olim vocasse. Verum, hæc sententia non vera videtur: constat enim, expiationes absque superstitione haud fieri potuisse, Hippocratemque multis in locis superstitionem rejecisse atque damnasse. De purgationibus proprie sic dictis quoque non exponi potest, quod ex contextu clarum est, licet τὸ καθάρσιον h. l. pro purgatione proprie sic dicta accipiat *D. D. Alberti, in Diss. de offic. Medic, circa Adia-*

phora, p. m. 6. quando ait: καθαρσίων, *evacuationum, Purgationum, sive sponte fientium, sive per medicamenta edendarum.*

Audiamus super hunc locum Hippocratis, verba *Dan. Clerici*, quæ profert *Histoire de la Medecine Part. I. Livr. 3. chap.* 16. & Latine ita fluunt: Melampum, aliosque, purgationibus sive expiationibus criminum & morborum fuisse usos, supra recensuimus. Et Hippocrates ipse quidem ab iis non abhorruisse videtur, alias enim inter scientias medico dignas refert. Cornarius certe, eum sensum verbis hisce tribuit, nec sane alia ratione eadem explicanda videntur. Enim vero, h. l. de purgationibus in proprio sensu acceptis Hippocratem non loqui, ex contextu patet, hinc illi commentatores, qui eum sic explicant atque interpretantur, falluntur. Verum enim vero, Manuscripta discrepant, & pro καθαρσίων nonnulla καθαρσις legunt, qua voce admissa, longe alius emergit sensus: sic Hippocrates animo longe fortassis ab his diverso, dicendus erit. Præsertim, cum hæ & proximæ voces summa obscuritate laborent. Superstitionis defectus, quem eodem loco in medico desiderat, vix hanc de expiationibus sententiam admittere videtur, quæ quidem absque superstitione fieri non poterant. Negari interim non potest, Fabium Caluum, primum Hippocratis interpretem sic vertisse, quasi δεισιδαιμονίαν. At vero nimia superstitio nunquam Philosophis imputata fuit, quos inter tamen & Medicos h. l. comparationem instituit Hippocrates. Ceterum ad hanc sententiam convellendam, una libri de morbo sacro inspectio sufficit, ubi vanos hominum sui temporis mores deridet, quippe qui varias expiationum ceremonias ad hunc morbum depellendum, adhibebant.

Hoc saltem notamus, illum omnes, qui hoc curationum genere utebantur, cum magis & præstigiatoribus uno modio metiri, tandemque in hæc verba Christiano homine quam Pagano digniora, desinere, c. 4. τὰ γοῦν μέγιστα τῶν ἁμαρτημάτων καὶ ἀνοσιώτατα τὸ θεῖόν ἐστι, τὸ καθαῦρον καὶ ἁγνίζον, καὶ ἔρυμα γενόμενον ἡμῶν. Non ignoro, librum, ex quo hæc attuli, ab haud pau-

paucis alii adſcribi auctori. Verum, quicquid hujus ſit, maximum argumentum τῆς ἀδεισιδαιμονίας Hippocratis eſt, quod in omni ejus Praxi, nullum reperiatur remedium, quod ſuperſtitionem redoleat. Evolvi poteſt & alius locus, de Virginum morbis, C. 2. ubi mulieres ſive Virgines, Dianæ, a Vatibus ſic jubentibus, veſtes precioſas conſecrantes, ipſi ἐξαπατεώμεναι, h. e. deceptræ, vocantur. Vir quidam doctus, qui Hippocratem in Gallicam linguam transferre aggreſſus eſt, *mentis purgationes* hoc loco Medicis Hippocratem commendaſſe, ſibi perſvadet ac credit, quæ maxime Philoſophos decerent. Verum curioſius quam verius hæc dicta adparent. Hæc ille. Memini quoque, quendam aliquando dixiſſe, per *purgationes haſce*, probabiliter intelligi poſſe *excuſationes*, v. g. ſi quis Medicum cujusdam erroris inſimulare vellet, neceſſe eſſet atque utile, ut ſe excuſaret, purgaret, ne fama ejus periclitaretur; **Er müßte ſich purgiren/ verantworten/ damit ſeine** Renommée **keinen Schaden leide.** Provocabat etiam ad ſuam opinionem ſtabiliendam, ad JCtos & Latinos, quorum priores quoque hoc uterentur vocabulo, cum *juramentum*, quo quis a ſe culpam declinaret, *Purgatorium* adpellarent: poſteriores itidem adhiberent in ſermone, ſic enim v. g. Terentius, Heavt. diceret: *Neſcio quid peccati portet hæc purgatio.* Curt. L. 7. C. 1. *Blanda oratione maledicta purgare.* Plautus, Aulul. 4. *Qui homo culpam admiſit in ſe, nullus eſt tam parvi pretii, quin purget ſeſe.* Cic. pro Sext. Roſc. c. 14. *De luxuria purgavit Erucius, cum dixit, hunc ne in convivio quidem ullo fere interfuiſſe.* Verum, nihil probabilitatis plane in ſe habet hæc opinio, aſpiciamus ſaltem antecedentia & conſequentia, & apparebit, longe alium ſenſum in hoc loco adhuc latere. De purgatione proprie ſic dicta, ſive fiat iſta per ſuperiora, ſive per inferiora, ſive per diaphoreſin, minime nec de ſuperſtitioſa expiatione, ut jam vidimus, cujus olim, teſtante *Edoard. Herb. de Cherbur.* in Relig. Gentil. p. m. 272. triplex inter Gentiles Genus extitit, nempe *Aëre, Aqua & Igne*, verba Hippocratis exponi poſſunt, quicquid etiam contra dicant & ogganniant alii. Ad

me quod attinet, credo, quæcunque etiam vox, sive ἡ καθαρσία in Genitivo, pro ίας Jonice ίης, qua dialecto semper fere utitur Cous; sive ἡ κάθαρσις, quæ etiam interdum purificationem denotat,) inveniatur, quod hoc loco per τὸ καθάρσιον, vel τὴν καθαρσίην, vel τὴν κάθαρσιν Hippocrates noster expiationem Philosophicam indigitet, ipsique hæ purgationes in vita utiles & necessariæ nihil aliud sint, quam Pythagoræorum & Platonicorum purgationes morales, quæ docente Porphyrio P. II. Sentent. c. 34. nihil aliud sunt, quam divortium animi a corpore & irrationalium passionum motu. Ex qua Porphyrii descriptione patet, Pythagoram, Platonem & Hippocratem, qui eo tempore, cum hæc doctrina floreret, vivebat, per dictas purgationes nihil aliud quam appetitus pravi, omniumque inordinatorum affectuum abnegationem atque depositionem innuere, istamque Medicis svadere & inculcare voluisse. Lucem affundit quoque huic sententiæ, locutio supra prolata, de Medico Philosopho, quod talis DEO sit æqualis, qualem ἰσοθεότητα vel ὁμοίωσιν τῦ θεῦ Pythagoræi, horumque sectatores, Platonici, affectabant, eandemque per media sequentia: (1) Cognitionem sui ipsius. (2) κάθαρσιν cum ἐπιστροφὴ εἰς ἑαυτὸν conjunctam, & denique (3) ἄνοδον sive ascensum, vel arctiorem quandam cum DEO conjunctionem, *vid. Dn. D. Budd. Hist. Phil. §. 42. p. m. 37.* Philosophum sibi comparare posse, sibi persvadebant. Hinc etiam Plato plus simplici vice in Phædone, animæ a corpore recessum, ad ὁμοίωσιν τῦ θεῦ pernecessariam, commendat, & purgationem describit, quod in hoc nimirum consistat, ut, quam maxime possimus, a corpore sejungamus animam. Credebat enim Plato ejusque sectatores, corpus nostrum animæ esse carcerem, cui ipsa esset inclusa. Ad quam itaque divini spiritus particulam, corpori immersam, iterum liberandam, Deoque uniendam, pernecessariam ejusmodi esse a corpore animæ sejunctionem, vel ut alii vocant, mortem Philosophicam, isti docebant. Cum itaque, ut jam aliquoties diximus, Hippocrates cum Platonicis hac in re convenire videatur, Artemque ipsam salutarem, loco citato cum Philosophia comparet

mora-

morali, nullumque aliud fere proferat verbum, quod non regulam moralem & virtutem elegantem in se contineat, insuperque variis in locis ad virtutes Deorumque cultum Philiatros sedulo adhortetur, ac ab inordinatis affectibus ac cupiditatibus, mentem obfuscantibus, dehortetur: non video, quomodo aliter atque convenientius, quam de *virtutibus purgatoriis* (*) hæ purgationes in vita utiles ac necessariæ, exponi atque intelligi queant.

OBSERVATIO LXXVII.

DN. Lic. SIGISMVNDI SCHMIEDERI,

De

Sapientiæ Morbo Plinii, L. VII. H. N. cap. L.

PEr varios casus, per tot discrimina rerum, rebus humanis eximi homines, quotidiana satis atque abunde testatur experientia, hujusve diversi vitæ humanæ exitus, exemplorum copiam haud exiguam in scenam producit, atque ob unius cujusque oculos sistit *Misander* in suo *Theatro Tragico*. Mors mille habet facies. Unum habemus in hunc mundum ingressum, non unum vero egressum, quem non ineleganter *Ovvenus L. 3. Epigr. 119.* hisce descripsit verbis;

Mille modis morimur, mortales nascimur uno,
Vna via est vitæ, moriendi mille figuræ.

(*) *Platonici quatuor virtutum genera constituere solebant:* Politicas *nempe*, Purgatorias, Intellectuales *atque* Exemplares, *vid. Budd. Philos. Instr. p. m. 53. De virtutibus Purgatoriis. Macrob in Somn. Scip. L. I. C. VIII. sic scribit: Virtutes, quas Purgatorias vocant hominis sunt, qui divini capax est, solumque animum ejus expediunt, qui decrevit se a corporis contagione purgare, & quadam humanorum fuga solis se inserere divinis.*

Hunc enim contumit ignis; illum suffocat aqua; istum dilacerat fera; alium subito prosternit fulmen; alium nullius pretii musca exanimat; alium misere ferocitas trucidat Martis; alios varia morborum enecant & strangulant genera, quos morbos unus interest, qui *Sapientiæ* a Plinio dicitur *Morbus*, quando l. c. ita ait: *Atque etiam morbus est aliquis, per sapientiam mori.* Qualis igitur iste sit morbus, quo per sapientiam mori dicuntur homines, neque *Salmasius*, neque *Heinsius* apud *Beuerovicium* docere potuerunt, censente *Jonstonio* in *Syntagm. Med. Univ. p.m. 469.* Valde eruditorum ingenia hic sapientiæ exercuit morbus, variasque in opiniones literarum sapientiæque amatores traxit. Nec immerito. Quis enim de sapientia tale sibi concipiat, quod amasios suos in Libitinæ censum transire jubeat? & tamen hoc verum est. Præter omnem enim opinionem, quando nimis ab ipsis colitur, minime iis parcit, sed vires eorum debilitat, dissipat, frangit, vitæque terminum ipsis adfert atque acclamat: *Moriendum est vobis, mors ultima linea rerum!* Sed redeamus iterum in viam. Clarissimus Auctor *Elys. Camp. jucund. Quæst. Q. 100.* varias variorum recenset sententias, quarum autem nulla rem acu tetigit. Afferemus nonnullas. Sic *Mercatus*, sapientiæ hunc morbum, de senilis ætatis morte commode explicari posse, sibi persvadet, forte loco *Job. XII. 12.* inductus, **bey denen Groß-Vättern ist die Weißheit / und der Verstand bey denen Alten.** Num vero expositio sit genuina valdopere dubito? Sapientiam enim, ut causam occasionalem morbi atque mortis indicat Plinius. *Joh. Pineda* de Febri quartana hunc morbum vult intellectum, ideo, quod sapientia & intelligentia quasi instructa, certis statisve horis ac diebus homines aggrediatur. Verum, hæc opinio nullius est pretii, cum idem de Tertiana, mensium fluxu, Epilepsia periodica, aliisque periodicis affectibus, quorum causas erudite atque acute in diss. de Affectibus periodicis, Hal. 1702. exposuit celeberrimus *Stahlius*, dicendum & asserendum foret. Miror, quod non aliquam sapientiam quoque quæsiverit *Pineda* in Quartanæ pertinacia, quæ

tanta

tanta eſt, ut omnia fere remedia, ſtudio quaſi eludere videatur. Sæpiſſime enim Catharticarum vim repudiat, venæſectionem deridet, diaphoreticorum uſum ſpernit, ſpecificorum licet ſelectiſſimorum virtutem reſpuit, interdum vero, ludicris atque phantaſticis planeque ſuperſtitioſis remediis paret ac cedit. Olim apud Romanos Febri huic Tabulæ ſuſpendebantur votivæ, ipſa in Deærum numero collocabatur, (*) Fanumque ipſi, referente *Hadriano Junio*, in *Animadverſion. L. III. p. m. 139.* in palatio ad ædem Larium ipſi erectum atque conſecratum conſpiciebatur. Magna hinc fuit vocata, uti luculenter hoc ex antiqua inſcriptione, in ſaxo quodam reperta, patet, quam una cum aliis nobis communicavit *Jan. Gruter.* in pereleg. *Opere Inſcript. Rom. p. 97. N. 1.* & ita ſe habet:

FEBRI DIVÆ, FEBRI SANCTÆ,
FEBRI MAGNÆ,
CAMILLA AMATA
PRO FILIO MALE ADFECTO
POSVIT.

Vo-

(*) *Cauſam, cur in Dearum numero fuerit collocata febris, refert* Edoard. Herb. de Cherbur. *in* Relig. Gentil. p. m. 2. *ubi ita ait: Ipſa Febris, Pavor, Pallorque Dii Deæque inter Gentiles vocantur, quia iſtud, quicquid paulo ſupra ſortem humanam, vel captum vulgi conſtitutum erat, Deus protinus ab illis habebatur. Quod prudentiores Gentiles autem, Pavorem, Febrim &c. vere pro Diis Deisque habuerint, non credibile. Finxerunt novos Deos, plebique poſtea eorum exiſtentiam ad ſuam utilitatem, perſuaſerunt, quod patet etiam ex alio loco* Edoard. de Cherb. *p. m. 213. ubi dicit: ſed & alii Dii ex Sacerdotum opera confingebantur.*

Vocatæ etiam sunt Quartanæ a quodam, Saturni filiæ, quod *Hadr. Jun. l.* supra *c.* his enarrat verbis : Quartanæ vocantur Saturni filiæ, ab *Octavio Horatiano*, ob morbi videlicet cum tarditatem tum malitiam insignem, & equidem existimo: in quarum curatione Democritus censuit, pollutione esse opus, ut sunt cædes, culpæ, menstrua, sanguinis potus, sacrarum avium, vel vetitorum animalium carnes, cibo datæ. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. redeamus iterum e diverticulo in viam. Alii dicunt, hoc in loco Pliniano ex incuria scribarum vitium irrepsisse, asseruntque, pro verbo, *per sapientiam*, ipsis per *desipientiam*, fuisse scribendum, quam opinionem habet *Mercurialis* de Phrenitide. Verum, & hæc sententia nihil probabilitatis in se habet. Cur enim Plinius τὸ *mori per desipientiam*, tanquam rem singularem & morbum notatu dignum, admiratione veluti impulsus, literis mandasset, cum pernotum tamen dubio sine ipsi fuerit, *desipientiam* per se morbi mereri nomen. Alii de vaticinandi facultate hunc sapientiæ morbum exponunt, quod interdum experientia teste, non pauci in agone constituti, hac divinandi varioque prædicendi facultate, præditi reperiantur, cui opinioni addictus est *D. de la Cerda.* Verum nec hæc sententia assensum meretur. Suam denique explicationem profert laudatus *Casp. a Reies* l. c. dicitque, de Paraphrenitide a diaphragmatis vulneratione oborta, sapientiæ hunc morbum accipiendum esse, cum veteres hac in parte sapientiam residere, sibi persuasissent, φρένας enim Græci quoque diaphragma vocassent a φρὴν mens, partim quod isto adfecto atque læso, mentem turbari lædique observassent, partim quod, uti jam monitum fuit, mentem atque sapientiam ibidem sedere credidissent. Sed hæc sententia de mentis & sapientiæ sede in Diaphragmate jam exolevit. Imo jam olim *Hippocrates* hanc sententiam rejecit, quando *L. de Morb. Sacr. p. m. 309. Edit. Fæs.* ita ait: ὐδ'ὲ οἶδα ἔγωγε, τίνα δύναμιν ἔχουσιν αἱ φρένες, ὡς τε φρονέειν τὲ καὶ νοεῖν, &c. &c. Oritur autem illa mentis perturbatio per consensum, quem per nervos, ut ex Anatomia notum est, cum capite habet diaphragma. Celeberrimus *Wedel. Dec. X. Exerc.*

X. Exerc. Philol. X. Sapientiæ hunc morbum quoque de Thoracis vulnere, ſpeciatim autem diaphragmatis, ſed paulo aliter explicat, quando dicit: ideo de hujus partis læſione ſapientiæ morbum exponi poſſe, quod præcordia confoſſa, mortem cum riſu afferant, vulneratique ipſam mortem, omnibus creaturis alias terribiliſſimam, ſapientum more, quosvis fortunæ inſultus patienter fortiterque perferentium, deridere videantur. Verum, liceat mihi modeſte ab ipſo hac in re diſſentire. Qualis quæſo hæc eſt ſapientia, quando mens perturbata eſt & vacillat? ridere videntur ægroti, & tamen non rident. Riſus hic eſt falſus, ſpurius, Sardonius. Oritur enim ex hac læſione ſæpiſſime motus muſculorum & faciei & labiorum convulſivus, riſui haud abſimilis, & inde etiam eſt, quod cum riſu ejusmodi vulnerati dicantur mori. Meminit ejusmodi riſus Sardonii, *Hippocrates L. V. Epid. p. m. 1161.* exemplumque adducit, quod ita ſe habet: Τύχων ἐν τῇ πολιορκίῃ τῷ Διάτου, ἐπλήγη ὑπὸ καταπέλτου ἐς τὸ στῆθος. Καὶ μετ' ὀλίγον, γέλως ἦν περὶ αὐτὸν θορυβώδης. (*) Optima omnium ſententia, quotquot earum etiam exiſtunt, celeberrimi eſt *Rammazini*, quam in eleg. *Tr. de Morbis Artificum p. m. 315.* hiſce proponit verbis: Tot clariſſimorum virorum ſuffragiis meum, qualiscunque ſit, calculum addere liceat; Plinium ſcilicet tot caſibus, tot morbis, quibus vita noſtra continuo petitur, adnumerare quoque voluiſſe cauſam occaſionalem, ob quam mors ſæpe contingat, ſtudium nempe Sapientiæ, quæ ſuos Cultores ad præproperam mortem non raro perducit, ita ut in morborum claſſe morbus ſit aliquis, quem Medici non adverterint, ſcilicet, *per Sapientiam mori.* Hæc ille hactenus. Paucis: Sapientiæ morbus nihil aliud eſt, quam valetudo corporis, quam ex nimia ſtudiorum amore ſibi eruditi adſciſcunt. Diurnis enim atque nocturnis laboribus, accedente inordinata diæta, ſe conficiunt: vires enim corporis & animi debilitant, fran-

(*) *De ejusmodi riſu Sardonio vide plura apud celeberr. quondam* Garmannum, *in Miracul. Mortuorum L. I. Tit. V. §. 17. 18. 19. 20. p. m. 54. 55. Edit. Vet.*

gunt, dissipant, mortemque sibi hac studiorum intemperie accelerant, ita, ut pereant sæpissime, antequam partum suum edant. In exemplorum & causarum Physicarum productione, ut prolixissimus, non est opus, B. L. ad binas dissertationes non inelegantes, de Eruditis studiorum intemperie mortem sibi accelerantibus, quarum prior Historica, altera Physica Lipsiæ 1704. & 1705. a Dn. M. Tschantero habitas, ablegamus, ubi exemplorum, quorum plura & notatu digniora adhuc adduci potuissent, copiam causasque Physicas, non inerudite explicatas, inveniet.

OBSERVATIO LXXVIII.

Dn. Lic. SIGISMVNDI SCHMIEDERI.

De

Dicto Hippocratis : ὁ ἰητρὸς φιλόσοφος, ἰσόθεος.

IN quonam hæc divinitas consistat, variæ variorum sunt sententiæ. Primo intuitu hoc effatum, quia Hippocrates inter mortales, de mortalibus id profert, ambitiosum atque fastuosum adparet, dum divinitatem aliquam Medicis adscribit: Verum defendi potest Hippocrates, cum distincte statim addat, quomodo vel qua ratione, quibus factis, Medicus ἰσόθεος fieri queat. *Hac* ἰσότης, ait *Dn. D. Alberti*, in procem. diss. *de offic. Med. circa Adiaphora, non ad universalem hominis statum sive absolutam essentiam se extendit, sed primo tantum aliquam transitoriam & gratuitam similitudinem iudicat, deinde accidentalia de Medico prædicat, quod fama & gloria intra mortales limites* ἰσόθεος *existere queat &c.* Alii, ob polymathiam Hippocratem medicum vocare ἰσόθεον credunt, uti hoc videre licet ex *D. Joh. Majoris* descriptione vitæ *Sachsianæ c. VI.* quæ *Ephem. N. C.* inserta est, *vid. Dec. I. A. IV. & V.* Sit unicuique sua philosophandi libertas, credo ego, quod non simpliciter de fama perenni, nec de polymathia hæc ἰσότης explicari queat, cum pari modo ac jure, alii celebriores viri atque artifices, quorum fama per mul-

multa ſecula jam floruit, & adhuc floret, atque florebit, ἰσόθεοι dici queant. Exiſtimem ego, quod, ſi hæc ſententia cuidam arrideat, hæc ἰσότης adhuc melius de ſingulari quadam felicitate, ob quam etiam *Bagliu. in ſua Prax. L. I. c. 7. §. 10. p. m. 42.* Medicis nonnullis divinum quid ineſſe aſſerit, explicari poſſit, eo, quod Medicus Philoſophus, ἀφιλοσόφῳ multo citius feliciusque, non tantum morbos eorumque cauſas cognoſcere iisque mederi; verum quoque futura quævis de morbi, corporisque humani eventu atque conſtitutione, prudenter prænunciare ſicque divinare valeat. Divinare autem & futura prædicere, olim pro munere Deorum habebatur. *Dn. D. Schelhammerus* in Diſſ. de hoc dicto Hippocratico, *Theſ. LXXII.* expoſitione longa ejus prolata atque prolixa, ita tandem ſcribit: *Quibus itaque perſpectis omnibus, cur talem Medicum, ſcilicet Philoſophum, ἰσόθεον pronunciaverit divinus Cous, in propatulo eſt. Nam & in expugnandis morbis, & in proſpiciendis futuris, & in ipſo vivendi genere, eum maxima, quæ quidem in hominem cadere poteſt, felicitate uti neceſſe eſt, eſſeque ſupra ceteros beatum.* Melior autem hac eſt adhuc celeberrimi *Sthalii* ſententia, quæ hanc divinitatem *de animo tranquillo* exponit, & in *Progr.* quodam Inaugurali de *Philoſoph. Hipp.* ſic fluit: Credo illum, ut virum prudentem magis ſenſiſſe cum reliquis etiam paganæ religionis Philoſophis, qui acroaſibus ſuis *nihil magis* in Deo agnoſcebant, ad quod homo adſpirare poteſt, (nam de *infinita ſententia, ſcientia, ſapientia, conſtantia*, non erat ſermo) quam recte agendi voluntatem, *imo amorem;* & recte factorum conſcientiam, *& circa utrasque* has res, tranquillum gaudium, *& ſit venia* verbo, acquieſcentiam, quam Græci vocant αὐτάρκειαν. Hanc ipſam etiam putamus eſſe Hippocratis noſtri ἰσοθεότητα. Ad me quod attinet, credo, quod in dicto Hippocratico hocce, lateat ὁμοίωσις τῷ θεῷ Pythagoræorum & Platonicorum: adducunt enim me, ut hoc credam, inter alia Purgationes in vita utiles & neceſſariæ, de quibus jam egimus, & accedit, quod Hippocrates eodem ſeculo vixerit, quo Plato vixit, licet hic Hippocrate ſit junior. Hic enim A. I.

Olymp. LXXXVIII. ille A.IV. Olymp. LXXXVIII. cum sua Philoso-phia, moralem h.l. puta, quam cum Pythagora sequebatur, floruit, cujus doctrinæ hæc erat summa: Ultimum nempe finem hominis esse ὁμοίωσιν τῷ θεῷ, ad quem autem finem perveniendum media quædam erant necessaria, quæ sequentia erant: (1) Cognitio sui ipsius, (2) κάθαρσις sive Purgatio, conjuncta cum ἐπιστροφῇ εἰς ἑαυτὸν, & denique (3) ἄνοδος sive ascensus, vel arctior quædam cum DEO conjunctio. *Vid.* celeberrimi *Budd. Hist. Phil.* §. 42. *p. m.* 37.

OBSERVATIO LXXIX.

Dn. Lic. SIGISMVNDI SCHMIEDERI.

De

Seminis regressu ad Massam sanguineam.

Mihi nonnunquam variis de rebus naturalibus, corpore humano ejusve structura mirabili, motu atque humoribus &c. meditationes instituenti, inter alia quoque considerandus paulo intimius mihi sese obtulit liquor genitalis, sperma. Hujus naturam, constitutionem, partes constitutivas, vasa, receptacula atque secretionem, cum paulo penitius aliquando mecum ponderarem, mentequeultro citroque volverem, de ejus *motu*, non autem *ejaculatorio*, in amplexu venereo, vel alia nefanda titillatione excitato, nec *intestino*, de quo, cum spirituosis sulphureisque partibus copiosis polleat, non dubitandum est, sed de *progressivo* quodam e suis receptaculis iterum ad massam sanguineam, nonnulla in mentem mihi venerunt, mequeut tamdiu crederem atque assererem istum, adduxerunt, donec contrarium clare, manifeste atque apodictice mihi fuerit demonstratum. Evolvi autem hanc in rem multorum tam veterum quam recentiorum libros, spe autem semper fere excidi, & parum vel nihil apud plurimos, præter *Hippocratem de Nat. Pueror. S. III. p. m.*

p. m. 240. Guern. Rolfinccium, & *Dan. Taury* reperire potui. Hippocrati iſtum, vel ſaltem aliquid de iſto, ex obſervato quodam ſeminis effectu in pubeſcentibus, cognitum fuiſſe, ſequentia nobis ſuadere videntur: ἅμα γὰρ ait, τῷ γόνῳ γινομένῳ, ἡ σὰρξ ἀραιὴ γίνεται, καὶ ἡ ἐπιδερμὶς, καὶ τὰ φλέβια ξομῦνται μᾶλλον, ἢ ἐν τῷ πρὶν χρόνῳ, & paulo poſt hæc, ὅσοσοι δὲ εὐνοῦχοι παῖδες ἐόντες γίνονται, διὰ τοῦτο ὅτε ἡβῶσιν, ὅτε γενειῶσι, λειοίτε γίνονται ὅλοι, ὅτι ἡ ὁδὸς τῇ γονῇ οὐκ ἐπιγενομένῃ, οὐκ ἀραιοῖ τὴν ἐπιδερμίδα ἐπὶ τῷ ξύμπαντι δέρματι. Ἀπολέλειπται γὰρ ἡ ὁδὸς τῆς γονῆς ὥσπερ μοι εἴρηται, ὀλίγῳ πρότερον. Quibus ex verbis non obſcure patere arbitror, Hippocratem de regreſſu ſeminis ad ſanguinem & corpus fuiſſe locutum, cum, ab hoc, ſcilicet ſpermate, carnem & extrema cutis rarefieri, quo barba pilive in pube egredi queant, aſſerat noſter Auctor, quod jam via genituræ ſit facta, quæ autem ante pubertatis annos atque in Evnuchis, ipſi ſit intercepta. Rolfinccius L. de Ordin. & Method. Part. Genital. fabric. cognoſcendi, p. m. 84. hujus ſeminis circulationis, at paucis, meminit, eamque negat, dicens: *Semen non circulari, neque in teſtibus neque extra teſtes. Animoſitas*, pergit, *quam teſtes addunt corpori, non adſcribenda eſt* τῷ ὄγκῳ, ἀλλὰ τῇ δυνάμει, moli, ſed virtuti. *Inficias ire nolumus, cum ſanguis a nutritione teſtium reſiduus in venas readſumitur, atomos quasdam ſeminales illi permiſceri.* Hæc ille. Verum, hæc verba ſeminis regreſſum ad ſanguinem non negare poſſunt: tanta enim vi non gaudent, nec atomi quædam, ad corpori animoſitatem conciliandam, vigorem roburve ipſi addendum, ſufficiunt, haud exigua profecto earum requiritur copia. Probabilius hinc eſt, ut mox & infra audiemus, omnem ſeminis materiam iterum ad ſanguinem abire. *Dn. Taury in nov. Anatom. ratiocin. illuſtr. &c. C. XI. p. m. 192, 193.* de ſpermatis uſu, reſpectu individui diſſerens, eumque conſiderans, ob ejus effectum in corpus obſervabilem & præclarum, in hanc quoque incidit, de ſeminis circulo, ſententiam. Integrum locum exiſto, dignus enim eſt, qui adducatur, afferemus, qui ita ſe habet: Nemo eſt hominum, qui, ſemini noſtram nos debere originem, il-

ludque nos immortales quasi reddere, dum redivivos nos in aliis Entibus nobis similibus sistit, in dubium vocet : At vero usus, quos subjecto, in quo producitur, præstat, explicare & cognoscere, id vero paulo est difficilius. Attamen illud quendam nobis perfectionis, vigoris & roboris gradum largiri cernimus, quoniam Evnuchi, feminæ, ac illi, qui per continuos actus venereos nimium enervantur, fere instar infantum ac puerorum imbelles, & imperfecti existunt. Ob eandem quoque rationem barbam producit, & vocem magis gravem efficit. Quandoquidem enim inter Evnuchum & alium hominem nulla alia intercedit differentia, nisi quantum ad liquoris hujus generationem attinet, credere fas est, ipsum hunc liquorem in massam sanguinis revertentem egregios hosce nobis fructus afferre. Hæc ille hactenus. Addemus his argumentis, ab Auctore laudato prolatis, & nostras rationes, seminis regressum ad sanguineam massam nobis persvadentia. Primam harum & potissimam fere, & vesicularum seminalium *Parvitas, & continuus ac quotidianus* ad has *spermatis affluxus*, constituunt. Quod parvæ sint, ex oculari inspectione patet, longitudine enim vix tres digitos transversos excedunt, latitudine autem & crassitie transversum fere digitum adæquant, quanquam in uno latere, quam in altero paulo deprehendantur majores. Perpendat nunc quisque secum continuum ad vascula hæc quotidianum seminis accessum, quem nemo, nisi simul etiam absurde & contra omnem rationem atque experientiam sanguinis circuitum, omnium in toto corpore humorum tam laudabilium quam illaudabilium secretionis auctorem, negare velit, inficias ire potest. Perpendat, inquam, continuum hunc spermatis affluxum, secretionem, vasculorumque seminalium exiguitatem, quæ ad tantam seminis tantummodo quantitatem, quæ intra sex vel septem hebdomadum spatium secernitur, (de multis annis jam non loquar) & recipiendam & retinendam nequaquam sufficit, tantum abest, ut ab hac, tanta quantitas, quanta a primis pubertatis annis, usque ad legitimum congrediendi cum muliere tempus, secernitur, recipi & retineri queat.

Pror-

Prorſus hoc a ratione alienum eſt, nec concipi poteſt, quomodo fieri poſſit. Hæc itaque cum inter ſe cohærere nequeant, utique ſemen iterum abire, & quidem ad ſanguinem corpusve, neceſſe eſt, ob rationes a Domino *Tavry* ſupra adductas, & adhuc a nobis adducendas.

Corporis temperies mutata, quæ poſt caſtrationem animadvertitur, hunc ſeminis motum regreſſivum aperte ſatis indicat. Obſervamus enim, quod animantia poſt teſtium exſectionem pinguiora, languidiora minusque animoſa fiant. In Evnuchis præter alia & hoc attendendum, quod bili in barba pudendisque ante caſtrationem ipſis non decidant, & nondum in barba aliisve partibus egreſſi, nunquam naſci obſerventur, ſecus ac aliis in non caſtratis fieri ſolet. De cervis ad congreſſum aptis fertur, quod, ſi depoſitis cornibus, quæ ſingulis annis, ut pernotum eſt, dejiciunt, mox ſua priventur virilitate, nunquam poſtea nova accipiant. Teſtantur ulterius hunc ſeminis motum regreſſivum ad corpus & ſanguinem, *odor* atque *ſapor* graveolens & auſterus in nonnullis animantibus brutis eorumque carne, nec non *certa* coëundi iſtorum *periodus*, quam ſervare obſervantur, ut experientia docet. Ubi vero latet ſeminis copia, quando non coëunt cum ſuis femellis maſculi? vellet quis dicere, ſemen hoc intervallo temporis non ſecerni, reſpondeo: quod contra rationem atque experientiam, tale aſſerens loquatur. Adſunt enim organa ſecretioni deſtinata, quæ nunquam ſuis in muniis rite obeundis juxta naturæ leges, ſegniora deprehenduntur. Adeſt etiam materia, ſanguis nempe arterioſus, ex quo ſperma ſecernitur, Docet quoque experientia omni tempore ſeminis præſentiam: diſſecetur enim modo animal, quocunque tempore id lubeat, ſemper veſiculæ ſeminales ſpermate, eoque recenti, turgidæ apparebunt. Porro credo, quod, ſi non ſeminis in corpore humano eſſet circulus, a ſcortationibus plane abſtinere non poſſent homines inuxorati, ob accreſcentem ejus copiam, indeque continuum ad laſciviam exorientem ſtimulum, ut taceam, quod varia eaque graviſſima morborum genera, ex ſeminis abundantia nimia,

mia, si dicto modo illicito, ista non imminui deberet, egressura, corpusque, quod tamen omni modo jus Naturæ tueri jubet, maximam in perniciem præceps essent datura. Verum enim vero, scortationem abominatur Numen sanctum & purum, eamque in sacro codice severe prohibuit, quod non feciisset, si homini quoque media, quibus scelera ejusmodi evitare posset, non concessisset & dedisset. Nonne si secus statueremus, causa peccati in Deum recideret? quod vero absonum & blasphemum. Quid dicendum de Patriarcharum aliorumque virorum sanctorum castitate? annon in hoc seminis circulus deprehenditur? credibile est omnino. Adfuit in istorum corporibus, ut in nostris, continuus sanguinis circulus atque continua seminis secretio, eadem habuerunt secretionis organa atque partes, nec inordinatos tamen exinde perceperunt affectus, vixerunt enim vitam sobriam, diæteticam & sanctam, ut ipse de iis sacer testatur codex. Potest sic eodem modo homo, si facere velit, ut debet, legesque sanctæ ipsum jubent, caste vivere. Semen enim juxta naturæ leges sibi præscriptas, ipsum ad talia peccata committenda, qualia sunt scortationes varii generis, concitare non valet, quantum enim ejus e sanguine ad vasa seminalia accedit, tantum iterum etiam secedit, atque ad sanguinem abit. Potest vero omnino leges has homo turbare & corrumpere, quando in diæta excedit, luxuriæ deditus est, variisque vel spermatis copiam nimis augentibus, vel acriorem reddentibus, vel vasa obstruentibus, seminisque stagnationem ejusque corruptionem excitantibus, utitur & vescitur, ut adeo postea non mirum, sæpissime inordinatos motus, concupiscentias pravas variaque inde exoriri morborum genera. Non improbabile etiam est, inter *Furoris Uterini, Priapismi, Satyriaseos* causas morbificas, seminis stagnationem, ab obstructione obortam, indeque contractam acrimoniam, interdum quoque esse referendam. Patet hoc imprimis inde, quod si aperientia in usum vocentur, Genitaliaque muliebria cum moscho fricentur, insignis spermatis ex iis prosiliat copia, magno cum ægrotæ levamine. Ut plurimum legitimus seminis motus, legitimaque ejus quantitas a luxu hodierno corrum-

rumpitur, hæcque corruptio a parentibus ad liberos transfertur. Utinam, ut quilibet ita corporis ſui rationem haberet, ne laſciviret, **man kan ja ſeines Leibes wohl warten und pflegen/ doch alſo/** ut jubet Apoſtolus, **daß er nicht geil werde.** Ex hactenus jam adductis, abunde nunc ſatis, ſpermatis e vaſis ſuis regreſſum ad ſanguinem ac corpus, & ex hoc iterum ad ſua vaſa, patere arbitror, ſed ubi eſt via, per quam ad ſanguinem defertur? non ſatis cognita adhuc nobis eſt iſta, num vero ob inſufficientem ejus cognitionem neganda? minime. Alicujus enim rei veritatem, noſtra ignorantia, diffidentia, tollere non poteſt. Dic ſodes, per quasnam vias non raro materia purulenta ex Empyemate Thoracis, ex Abſceſſu in abdomine latente, ex inflammatione Pleuræ &c. ad vias urinarias, inteſtina, fauces, deferatur? Videmus enim in Pleuritide, materiam purulentam interdum per os rejici, interdum una cum fecibus alvinis vel urina excludi. Imo, quod magis adhuc mirandum eſt, varia corpuſcula ſolidiora, quæ deglutita fuere, v. g. acus &c. per vaſa urinaria una cum lotio fuiſſe excreta, experientia, variæque Medicorum celebriorum diligentes teſtantur obſervationes. Extant varia hujus rei exempla in Miſc. N. C. A. II. D. I. Obſ. III. p. m. 4. nec non in Act. Erudit. Menſ. Auguſt. M DCC XII. p. m. 347. quibus fides non omnimode & temere eſt denegandа. Per quas vias venere iſta peregrina corpuſcula ad vaſa urinaria? per arterias ac venas vaſaque capillaria ſecum iſta rapuiſſe ſanguinem, conceptu admodum eſt difficile. Perpendat atque conſideret ſaltem Anatomiæ peritus, chyli ex ventriculo motum curioſum, & anfractuoſum ad ſanguinem progreſſum. Conſideret porro ſanguinis circuitum per varios anfractus vaſaque capillaria, atque corpuſcula peregrina cum hoc conferat, judicetque, num iſta æque tam facile ad organa urinæ ſecretoria ferri, eademque facilitate ac urina, a ſanguine ſeparari queant? Pertinere videtur hæc via ad deſiderata Anatomica. Interim autem de ea non eſt deſperandum: nemo enim hactenus extitit, qui in hanc rem inquiſivit. Supra laudatus Dominus *Taury*, per

poros venarum semen ad massam sanguineam iterum regredi opinatur, huncque regressum sic fieri sibi concipit. Semen vasis inclusum, ait, fermentatur, & ibi morans, quandam acquirit constitutionem, quà antea non gaudebat, plus nempe motus & subtilitatis acquirit. Quando igitur in massam sanguineam revertitur, mutationes in illa producit, quas producere non potuisset, nisi in vasis simul exaltatum fuisset. Quando hæc vasa semel repleta sunt, & alius liquor ad illa accedit, tum antea inibi contentus, in poros venarum sensim abire cogitur, atque cum sanguine circulans, spiritus quasi inviscat, retinet & dissipationem illorum impedit. Indeque est, quod, postquam insignis hujus olei copia in actu venereo pluribusque repetitis actibus est profusa, spiritus aufugiunt. Et ex hoc principio debilitas illorum, qui hoc liquore destituuntur. Hæc ille hactenus. Ad me quod attinet, credo, quod per vasa lymphatica, quæ ex testibus una cum vasis deferentibus sursum in abdomen ascendunt, suamque lympham ibi in vasa chylifera deponunt, sperma attenuatum feratur sicque massæ sanguineæ communicetur. Annon vesiculæ seminariæ suis gaudeant vasis lymphaticis, adhuc inquirendum est. Optandum ut hanc de seminis motu progressivo & circulatorio materiam ulterius excutiant Anatomici & Physiologici exercitatissimi acutissimique. Sed hæc de hac re in præsenti dicta sufficiant, quæ L. B. æqui bonique ut consulat, & si quæ habet his meliora, nostris addat eaque emendet. Cur enim (ut cum *Dn. D. Deylingii* verbis in Præfat. *Observat. sacrar. P. I.* finiam) doctiorum judicia refugerem, cum ipse eruditorum Virorum sententias libere examinarim, & judicium de iis tulerim? Certe a viris in hoc studiorum genere exercitatis admoneri, & discere proficuum mihi & gloriosum ducam. Sed rude imperitorum judicium, quod solum fere nostra ætate auditur, secure spernam. Idem enim apud nos usu venire video, quod apud Græcos olim ANACHARSIS mirabatur, ut artifices certent, & judicent illi, qui non sunt artifices.

OBSER-

OBSERVATIO LXXX.

Dn. Lic. SIGISMVNDI SCHMIEDERI,

De

Sulphure cum Pluvia vernali & æstivo interdum tempore decidente, putatitio.

IN rebus Physicis, varia sæpissime spectanda atque scrutanda nobis sese sistunt Phænomena atque meteora, quæ ab haud paucis, præsertim imperita plebe, mulierculis credulis aliisve superstitiosis homuncionibus, statim pro miraculis signisque, hominibus & urbibus & regionibus, ubi contingunt, varia mala eaque gravia ac tristia pronunciantibus, absque ullo judicio habentur. Primo sub horum conspectu perterriti, murmurare varia incipiunt, anxie huc & illuc currunt, visa aliis sæpe cum largo lacrumarum effluxu enarrant. Quin etiam insuper enarrata, varia adhuc nova effingunt, sibi imaginantur, ac priori relationi superaddunt, famamque sic de hac novitate semel exortam, celerrime longe lateque disseminant, terroremque haud levem homines inter excitant, quem non raro, in sacra Cathedra stantes, in Physicis autem interdum minus exercitati, adeo exaugent, ut nihil supra, quo fit non raro, ut auditores, inprimis sequioris sexus, ad frequentes querelas, lamentationes largosque fletus & ejulatus adigantur. Exemplorum loco nobis esse possunt, *Chasma* insolitum, ante quatuor, & quod excurrit annos, longe lateque visum, nec non *Trabes igneæ visæ, & dracones*, itidem ante aliquot annos, per omnes fere Europæ regiones, ut isto tempore ex relationibus publicis abunde constabat, *currentes & volitantes*. Quantos terrores & superstitiones tunc temporis inter mortales fuerint observati, diligentibus atque curiosis observatoribus nondum adhuc memoria excidit. Phænomenis his, adhuc aliud, haud raro plebi aliisque terrorem incutiens, non autem adeo insolitum, nec tamen ubivis terrarum obvium, ad-

dimus, *Pluviam nempe sulphuream*, Phænomenon, nomine quidem horrendum, reipsa autem vanum, nihilo tamen secius vero curiosum, in quod ejusque causas Physicas in præsenti inquiremus, terrorisve larvam ipsi detrahemus. Haud raro, experientia teste contingit, quo post pluvias largiores, turbines, imbres, fulgura atque tonitrua, copiosa materia lutea, floribus sulphuris non absimilis, per terram dispersa, aquæ innatans, atque ad littora & margines lacuum & lacunarum copiose ab aqua & vento appulsa conspiciatur. Hanc vulgus imperitum non tantum, verum etiam & alii sapientiores, pro genuino & vero sulphure minerali habent, variaque exinde sibi, de gravissima imminente ira divina, incensionem & eversionem urbium & regionum minitante, de variis morbis, peste aliisque malis exinde exorientibus, opinionem concipiunt, ut ex sequenti patebit observatione, quam *Simon Pauli* in suo Commentario de abusu Tabac. & Herb. Thee, Quadrip. Bot. annexo, *Edit. nov. p. m. 753.* ex *Stobæi* epistola ad se scripta, prolixis enarrat verbis, quæ ita fluunt: Quid quod? vel vernis mensibus ejusmodi exhalationes aut sulphureæ atomi quandoque cœlo præcipitentur: cujus rei insigne exemplum S. R. M. Nostræ summus belli Dux præsidiariorum militum Norwagicorum, Perillustris Heros Dn. NICOLAVS ab ALEFELD, interprete ac parario JOHANNE MARTINO STOBÆO, Medico practico & insigni Chymico, pronuper ad me perscribendum jussit. Nam cum Fridericopoli Norwagiæ Anno 1665. d. 19. Maji, inter quintam & sextam vespertinam, insolens tempestas oborta esset, tonitru horrendo & densis nimbis intermistis, cœlo cecidit sulphuri simillima materia, quæ postmodum aquis innatasse, nec non terram conspersisse, imo eam quasi obduxisse visa est. Quam cum decenter tractasset Dominus Stobæus, exsiccasset, cribrasset, cribratam in tigillum conjecisset, is observavit, eandem, simul ac leniter solum incaluisset, spirare fœtentem fumum, colore isti similem, quem inter distillandum nitri spiritus induit; quæ tamen sulphurea materia ne quidem fortissimo ab igne eo adigi potuit, ut fluxa evaderet & flueret. Quæ antequam eum sustinuisset graveolens, vilissimum re-

repræſentans pulveriſatum ſulphur, poſtmodum inodora, fulvæ arenæ ſimillima evaſit: Quæ an ſale quodam fixo adhuc prægnans ſit, id porro indagabitur. Refert idem auctor in ſuis ad me datis litteris, quod ſi ab igne fortiſſimo in tigillo candenti huic materiæ tantillum recentis, quantum mucro cultri capit, fuerit adjectum, eam ſponte ſua incenſam aliquo modo detonuiſſe, ac crepuiſſe exhalantem ſubrubicundum fœtentem fumum. Hanc crudæ ſulphureæ materiæ aut terræ portionem, poſtero die Dn. Stobæus per ſe aut ſine ullo additamento ſublimare periclitatus eſt, quo certo ſibi conſtaret, an flores ſulphuris ex ea parari poſſent, ſed irrito conamine. Nam licet decenter ſeu per ignis gradus incanduerit ea, nihil florum, ſed ſolum & primo halitus, qui in alembico ſubrutilus adparuit, in aquam fuſco & ferrugineo colore abiit; poſt dein auctiori igni, ſpiritus comparuere albidi, qui in ei ſimilem colore aquam commutati ſunt, quam ſubacri ſapore, & ſatis gravi odore inter deſtillandum advertere potuerunt, unde ſale volatili ſui generis, ſive hos ſpiritus, ſive albicantem aquam prægnantes eſſe, concludendum meritiſſimo Eruditiſſimus Stobæus ſciſcit. Quid quod pluviam, qua depluit tonans æther, idem auctor in ſuis ad me datis teſterur literis, ſulphur redoluiſſe; (*) inde perdocte ſtatuit ex hac obſervatione, ſecundum mentem Chymicorum, doctrinam de generatione fulminis ejusque cauſis confirmari poſſe. Idem, materiam hanc aut terram ſulphuream infudit ſpiritu Terebinthini, cum non quodlibet agat in quodlibet, & ſulphurea ſulphureis &c. digeſſitque eam, quæ blandiſſimo igne 1. Junii ſubluteo colore liquorem

(*) *Odor ſulphureus aquæ pluvialis, quem in dubium quidem non vocabo, minime argumentum fuit, veri & mineralis ſulphuris exiſtentiæ in hac materia, nam diverſiſſimus a ♁re effectus, quem in igne edidit hæc materia, hoc argumentum evertit. Deinde etiam ex Chymia conſtat, accenſi ſulphuris fumum in aqua non in flores, ſed liquorem mutari, quem ſpiritum ſulphuris vocant Chymici, ut conſtat ex prap. ſpirit. ♁. per campanam.*

infecit, odore balsamo sulphuris persimilem, de quibus omnibus ampliter hic non disseram: Certus qui sum, miracula non edi amplius hac mundi senecta; ast Deum causas secundas vel in pœnam vel solatium nostri pro immensa sua in nos bonitate disponere. Unde accidit, ut naturaliter circa ver aut autumnum, aut utraque æquinoctia vel etiam solstitia omnis generis morbi, & præcipue vel endemii v. g. scorbutus; vel epidemii v. g. morbilli, variolæ, pestis ipsa nos infestent &c. Hæc hactenus *Simon Pauli*. Mirandum certe est, hosce viros a semel præconcepta, de sulphuris mineralis in hac materia existentia, opinione abstinere noluisse, sed vi quadam, ex hoc, istud, multove labore inani, multaque patientia elicere & extorquere voluisse, istiusque laboris, successu nunquam non exoptato carentis, demum haud fuisse pertæsos, nec de veri sulphuris mineralis præsentia dubitare demum cœpisse. Nonne ex conamine semper irrito, differentiam sulphur inter & hanc materiam, cognoscere debuissent? Nonne ex veri sulphuris mineralis & hujus materiæ phænomenis a se invicem plane diversis, diversam quoque substantiam a sulphure vero plane discrepantem, judicare & odorari debuissent? Verum, quandoque etiam bonus dormitat Homerus. Ut videtur, sulphur hoc vegetabile, infra indicandum, his, at quantis viris & Botanicis! non fuit cognitum, cum & in descriptione plantarum & arborum, tale ferentium, ne verbulo quidem ejus mentionem injecerit Simon Pauli. Multo adhuc acriori judicio hanc flavescentem materiam tractavit & perscrutatus est, *Joh. Dolæus*, qui in *Appendice ad Encyclopæd. Chirurg. p. m. 122. Obs. 21.* quoque ejus meminit, sicque scribit: Æstivo hoc tempore, Anno 1690. mense Junii hic Cassellis, nobis imber fuit, cum tempestate maximus, qui delapsus post se reliquit materiam flavam, plateis & canalibus innatantem. Vulgus pro genuino sulphure (*) cum vaporibus

(*) *Non Vulgus tantum, sed & alii eruditi, ut vidimus. Sunt adhuc hodie, qui pro vero sulphure flavam hanc materiam habent,*

bus a ſole attracto habet, neque deſunt, qui neſcio quod malum inde ominentur. Juſſu ergo Sereniſſimi mei Principis collectam materiæ illius portionem examini ſubjeci. Poſteaquam ergo colando depuraſſem, & in charta exſiccaſſem, particulam cultro impoſitam candelæ admovi, advertendo, fumum quidem inde aſcendere, flammam autem neutiquam, ſulphuris etiam fœtorem minime præ ſe ferre: Deinde tantillum hujus materiæ calamo ſcriptorio exceptum, per candelæ flammam exſufflavi, tentaturus hac quoque via ejus inflammabilitatem, atque comperi, accendi ipſam non aliter quam ſolet pulvis flavus muſci terreſtris cla-

---

habent, ut mihi notum eſt, cum tamen non credibile & probabile, ſulphur ex ſuis mineris tam profunde in terra latentibus a ſole poſſe extrahi, licet ex odore aliisque indiciis abunde conſtet, genuinum in fulgure & fulmine adeſſe ſulphur minerale. Generatur hoc ex vegetabilium exhalationibus reſinoſis, oleoſis, mediante quodam ſale univerſali acido, analogo vitrioli acido. Quomodo hanc ſententiam firmet, & quæ experimenta adducat ad ejus veritatem demonſtrandam celeberrimus Dn. D. Hoffmann, *id prolixe videri & legi poteſt in per elegant. ejus diſſ.* de Temporibus anni inſalubribus, §. XV. *Ex hac autem curioſa de ſulphuris vulgaris generatione & productione in aëre, intelligi nunc quoque poteſt, cur ſæpius in locis montoſis & ſylvoſis obſerventur fulgura ac tonitrua, eaque diuturniora quam aliis in locis planis & ſylvis carentibus? Loca ſylvoſa arboribus abundant reſinoſis, ex quibus copioſa egrediuntur effluvia pinguia, reſinoſa, ſulphurea & acida, quæ alimentum præbent fulguri & fulmini, cujus horrenda vis plerumque etiam excelſas quercus, abietes, pinos, magis quam alias arbores tangit & diſſindit. Reſinoſa effluvia harum arborum in dubium nemo vocare poteſt: incurrunt enim in ſenſus; acidarum exiſtentiam analyſis Chymica docet, quæ non tantum ex ligno quercino & ejusdem foliis, ſpiritum vitriolicum (unde etiam nigro colore aquam lignum quercinum tingi, eoque lignotinctores utuntur) elicit: Sed etiam ex reſinis & gummatibus*

clavati, cum etiam celeberrimus Elsholzius observavit, muscum hunc maturum a solaribus radiis in altum ferri cum vaporibus, & cum pluviis relabi. Sed difficile est de his judicare. Hæc ille hactenus. Ex his verbis prolatis adparet, judicium quidem de pulvere hoc flavo *Dolæum* reddere voluisse, incertum tamen apud se fuisse, num rem acu tetigerit, nec ne? hinc scripsit: difficile esse de his judicare, præsertim autem, ut auguror, de attra-

ctione

tibus spiritum acidum producit. Testantur etiam spiritum acidum in resinis latentem Formicæ majores, quæ spiritum, a cunctis reliquis animalium spiritibus, tota natura discrepantem largiuntur, nulla alia ex causa, quam quod resinis alantur. Hinc quoque nonnulli hoc acidum non tam ad Regnum Animale quam potius ad Vegetabile referunt, nec male, quod vel ex secunda formicarum destillatione post abstractionem spiritus acidi, probatum dari potest. Quod si enim insecta ista vehementiori tractentur igne, aut, quod si post primam abstractionem putrefactioni exponantur, obtineri ex ipsis spiritus urinosus æque feliciter potest, ac si forsan aliam insectorum speciem examini subjeceris. Vid. Lang. Colleg. Chym. p. m. 620. 621. *Intelligi quoque ulterius potest ex observatione Hoffmanniana locutio vulgaris* von dem Wald Zuge. *Observatur enim, non raro tempestates fulgurantes,* die Gewitter/ *e terra & regione plana, versus loca montosa & sylvosa moveri, quem motum vulgus vocat,* den Wald-Zug / der Wald ziehe die Wetter an sich/ it. Es ziehe alles von denen Gewittern nach dem Walde zu. *Alia adhuc, quæ non omittenda est, hujus sylvarum attractionis species inter plebem occurrit, quam eodem nomine* den Wald-Zug / *condecorat. Scilicet, incolæ tempestate calida & sicca,* wenn es dürre Wetter/ *dicunt: omnes attrahere jam pluviam sylvas,* die Wälder müßten erst voll werden/ *his expletis, in siccam regionem tandem quoque pluviam esse venturam. Sed, ratione & experientia hæc locutio caret, & tantum a majoribus ad posteros sensim sensimque cum aliis pluribus ejusmodi erroribus atque commentis transfertur.*

ctione ſulphuris lycopodii per radios ſolares, quæ etiam conceptu admodum eſt difficilis, quanquam *Rolfincius* celeberrimus in *Method. cognoſc. & curand. affect. capitis Diſſ. 7. p. m. 51.* iſtud adeo ſpiritale & volatile deprædicet, ut vel ſponte ſua, niſi in veſica aſſervetur, avolet & evaneſcat totum, nullum ſui relinquens veſtigium, (*) Quomodocunque autem res nunc ſeſe habeat, ſufficit, Dolæum cognoviſſe, hanc materiam flavam non fuiſſe ſulphur minerale, ſed vegetabilem quendam pulverem. Licet vero dubia ipſi fuerit hæc ſententia, tamen non longe a veritatis via deflexit. Si circumſtantias temporis, loci ſitum, arboresve circa illum provenientes paulo intimius ſecum conſideraſſet, non dubito, quin pulveris hujus flaveſcentis cum pluvia delabentis, natales tandem fuiſſet inventurus. Liceat hinc ab ejus ſententia paululum diſcedere, atque oſtendere, non ſulphur Lycopodii, pulverem iſtum, ſed alium adhuc fuiſſe, eandem pariter, ut mox audiemus, ſulphuris Lycopodii faciem præ ſe ferentem. Cauſa cur a Dolæo diſſentiam, eſt, quod ſulphur Lycopodii menſe Junii nondum a planta ſua ſit productum. Conſtat enim inter omnes Botanicos, & omnibus Herbariis ac Rhizotomis notum eſt, Muſcum terreſtrem clavatum, Julio demum & Auguſto ſuos julos & ſulphur in iis contentum, proferre. Cum itaque ex obſervatione temporis certum ſit, nec Majo, nec Junio florere Lycopodium, aliunde hic pulvis eſt deducendus. Quapropter rem hanc paulo intimius mecum ponderavi inque eam inquiſivi, nec labor, ut ſpero, ſucceſſu ſuo caruit. Cum enim ultro citro-

(*) *Experientia hoc aſſertum refragatur; inſignem enim ejus copiam per longum temporis ſpatium, in vitro non adeo firmiter obturato & clauſo, abſque notabili ejus imminutione aſſervavi. Cognovit hoc etiam Celeberr. Wedel qui de hoc aſſerto in Diſſ. de Muſc. terreſtr p. m. 23 ita ait: hoc videtur dictum & intelligendum de collectione & aſſervatione, ab aëre enim libero defendendus hic eſt pulvis, ſed in vitro & alias retinetur ſatis longo tempore illibatus.*

que animo pulveris hujus flavi originem lustrarem atque considerarem, certusque essem, non mineralem, sed vegetabilem esse eundem, cogitationes meas ad alias arbores & plantas dirigebam, præsertim cum ex Botanica, in qua mire delector, & experientia mihi notum esset, *Abietes*, die Tannen; *Pinos*, die Fichten/ *Pinastros* die Kieffern/ *Juniperos* die Wacholder-Stauden/ *Alnos* die Erlen/ *Corylos* die Hasel-Sträucher/ *Betulas* die Bircken/ *Equisetum* das Kannen-Kraut/ *Gramen Cyparellæ* das Cyper-Gras/ *Thyphas* die Mooß-Kolben oder Liesch-Kolben/ *Gramen Thyphinum* das Liesch-Gras/ *Lupulum* der Hopffen &c. similem luteum pulverem statis & certis temporibus largiri & emittere. Dantur etiam flores quidam, subtile ejusmodi sulphur, non autem adeo copiosum emittentes, ut fl. Sambuci die Hollunder-Blüten/ *Cent. min.* das Tausendgülden-Kraut/ *Hyperic.* Joh. Kraut/ *Heliotrop.* vel ut alii hanc plantam vocant, *Torn. Solis* die Sonnen-Blume/ oder Wende/ de quibus fortassis alio tempore agendum erit. Hinc ea qua decet observantia atque modestia, omnes eruditos & curiosos Botanicos rogatos volo, ut plures ejusmodi plantas, & indigenas & exoticas, forte nondum notas, una cum brevi earum descriptione, Patria, solo natali & tempore florendi, benignissime mihi communicare non dedignentur. Favoris hujus singularis & Benevolentiæ non solum mea tenuitas, sed & orbis litteratus, erit memor. Sed redeamus iterum in viam. Arbor Nuc. Jugl. quoque tale sulphur, aut virideſcentis coloris profert. Ex his plantis jam enumeratis, nonnullæ, quod notandum, copiose, nonnullæ, parce sulphur suum proferunt. Quædam harum in copia crescunt, quædam non adeo copiose proveniunt. De iis quæ minus copiose crescunt, nec notabilem sulphuris sui emittunt quantitatem, non prolixe disseremus, cum sulphuris copia tanta non sit, ut in pluvia animadverti queat, hinc de iis tantum copiose suum sulphur emittentibus, agemus, ex quorum genere & numero sunt, *Abietes*, *Pinastri*, *Pini*, *Alni*, *Coryli*, *Betulæ* & *Juniperi*, quæ sæpius ita copiosissime sulphur in suis ju-

lis

lis & capſulis fovent, iſtudque quando maturum, expellunt, ejiciuntque, ut non raro ambulantibus per ejusmodi loca veſtes calceique luteo inficiantur colore, terraque longe lateque eodem colore obducta videatur. Hæc obſervatio, primaria fuit cauſa præſentis hujus inquiſitionis in Pluviam dictam ſulphuream. Inſtitui hinc ad Phænomeni hujus cauſam genuinam eruendam, omnium primo diligentes obſervationes circa hujus ſulphuris vegetabilis productionis, atque pluviæ delabentis tempus, & ex voto tandem inveni, quod quæſivi. Obſervavi enim conſtanter & mecum plures alii, quod, quando ſulphur ejusmodi luteum cum pluviali aqua in terram præcipitabatur, ſemper etiam ex dictis plantis & arboribus, quædam ſuum ſulphur emitterent, delapſo una cum pluvia ſimillimum. Quapropter, quando Martio vel Aprili pluvia animadvertitur ſulphurea, ſulphur hoc, *Alnis* & *Corylis;* quando menſe Maji & Junii obſervatur, *Abieti, Pino, Pinaſtro, Junipero, Betulæ;* quando Julio & Auguſto vel etiam Septembr. cadit, iſtud *Lycopodio, Thyphæ* & *Gramini Thyphino,* (*) ſuas debet natales. Excutit enim ventus tumultuans & tempeſtas procelloſa pulverem hunc ſubtilem & ſumme volatilem, ſecum rapit in auras, & per longum ſpatium ad duo vel tria milliaria ſæpe ſecum ducit, pluviæque admiſcet, cum qua tandem ad terram defertur, ſulphureamque mentitur pluviam. Quod vero per tam longum ſpatium ſecum abripiat ventus hoc ſubtile vegetabile ſulphur, nemini mirum videri debet, admodum enim leve eſt & volatile. Namque ſi exuſtum ſtramen, (**)

(*) *Vidi non raro Auguſti tempore, circa lacus, ſtagna, loca paludoſa, piſcinas, copioſam in terram conſperſam, aquæve innatantem luteam ejusmodi materiam, re autem paulo curatius inveſtigata, obſervavi, ex Thyphus & dicto gramine, equiſeto paluſtri, hoc proveniſſe ſulphur.*

(**) *Ante aliquot Annos, cum prope Lipſiam pagus* Mockau *Menſ. Sept. hor. I. pomeridian. incendio horrendo conflagraret, ad Grimmam usque urbem, trium mill. Germ, intervallo a*

ſpicas & culmos in favillam converſos, ad tria milliaria ventus non adeo vehemens ſecum per aëra ducere poteſt, cur non hanc quoque farinam, æque fere ac iſta favilla, ſubtilem. Ad majorem aſſerti mei probationem ulterius adhuc tentavi, num etiam hic pulvis cum pluvia delapſus, repurgatione ejus facta atque in cannulam injectione, flammam conciperet atque fulguraret in modum ſicci ex arboribus collecti? & en! voti nunquam non compos factus ſum, modo, quod interdum nonnihil debilior flamma adpareret, dubio procul, ob ſordes adhuc & ſalinas, nitroſasque particulas, ſulphuri huic in aëre admixtas, cum nitro enim & ſale mixtum hoc ſulphur parum vel nihil fulgurat. Quo autem purius, eo etiam vehementius & fortius, more Lycopodii ſulphuris, fulgorem edit elegantem, quem ſal digeſtivum Sylvii admixtum, non ut nitrum impedit, ſed adhuc augere videtur. Jucundum ſpectaculum adſpicientibus præbet fulguratio ſulphuris Lycopodii, ob quem effectum mechanicum, celeberrimus *Wedelius* in diſſ. *de Muſco terreſtri clav. p. m. 19.* Lycopodio SELAGINIS nomen (cujus herbæ Plin. H. N. L. XXIV. c. 1. meminit, & pro ſpecie Sabinæ habet) attribui commode poſſe putat, cum nomen cum effectu quoad fulgurationem conveniat. Verba ejus quæ curioſa & lectu digna ſunt, ita fluunt: Selago, ait, noſtra ſententia, imo ſenſu & experientia teſte, in ſemine Lycopodii eſt vera herba coruſcans, lucens & fulgurans, dicta quaſi σέλας ἄγω, a qua τὰ σέλα διάτλει, fulgores vel fulgura emicant, Germanice **Blitz-Kraut.** Σέλας enim eſt ἡ λαμπρότης τοῦ πυρὸς, ſplendor ignis, & ſeorſim ἀστραπὴν fulgur denotat, teſte Etymologico magno; & verbis Philoſophi σέλας δέ ἐστι πυρὸς ἀθρόου ἔξαψις ἐν ἀέρι, ful-

lo a Lipſia diſtantem, ſtramen exuſtum in favillam converſum, per aëra ſecum portavit ventus non adeo vehemens. Cujus ſtraminis exuſti veſtigia & reliquias altero ab incendio die, cum urbem hanc in itinere Lipſienſi peterem, in ſuburbiis & campis una cum aliis, copioſe inveni. Teſtabantur etiam in olea ſe ex aëre, incendio adhuc durante, ſpicas has exuſtas in terram decidere vidiſſe.

fulgur eſt ignis ſubitanei acenſio in aëre. Id vero ad oculum patet in ἐξάψει antheræ muſci terreſtris clavati. Ex Græcæ ergo linguæ fontibus vel rei ipſius patet, notum jam olim experimentum fuiſſe apud genus hoc vatum Medicorumque, qui erant naturæ pariter ac ſacrorum Myſtæ. Hucusque Wedelius, Revertamur nunc iterum ad noſtra argumenta. Porro dictum pulverem ex pluviali aqua collectum, purgatum & exſiccatum, igni admovi, variaque experimenta cum iſto inſtitui, quo facto, aſſumſi etiam ſulphur ex antheris arborum, ſtudio excuſſum, atque eidem ignis examini ſubjeci, ſemper vero unum eundemque effectum, eadem Phænomena, quoad *odorem*, *fumum*, *colorem*, *fulgurationem*, & *incinerationem* in utroque pulvere obſervavi, manifeſto indicio, ſulphur ex pluvia collectum, & ſulphur dictarum arborum, unum eſſe idemque. Ad aſſertum hoc ulterius comprobandum, adhuc ſequentia faciunt argumenta. Primo, (1.) quod non ubique terrarum ejusmodi obſervetur pluvia ſulphurea, ubi enim nullæ occurrunt ſylvæ, eæque ab una vel altera regione, urbe longiſſime abſunt, nec plantæ & arbores dictæ naſcuntur, vel paucæ ſaltem; nullum etiam ſulphur tale vel parum ejus cum pluvia decidere animadvertitur. Deinde (2) quod ſemper ex ſylva in eum terræ & regionis tractum & plagam, verſus quam ventus tendit, maxima ſulphuris hujus copia delata, in parte autem poſtica ſylvæ, ubi ventus in eam penetrat, & in lateralibus partibus nihil vel parum ejus ſulphuris in terram diſperſum obſervetur atque conſpiciatur. Tertio (3) quod, quando ex ſuis receptaculis avolavit, non amplius quoque tale in pluvia adpareat, & quarto (4) quod, ſi a fulgure & tonitru ortum deduceret, ſequeretur, iſtud tantum & ſemper poſt fulgura, fulmina, eaque gravia atque horrenda obſervari debere, quod vero experientiæ refragatur atque falſum eſt. Primo enim ſtatim vere, quando adhuc rarius occurrunt tempeſtates fulgurantes, non raro cum pluvia tale decidit, & e contrario, ſæpius poſt graviſſima tonitrua nihil ejus conſpicitur. Alio tempore æſtivo etiam, quando non tonat, copioſe cum pluvia decidit, Tempore vernali, ut

adiſtud paucis iterum regrediar, pluviæ ſulphureæ non adeo copioſæ ſunt, quam Majo & Junio, cujus rei cauſa eſt, quod ob frigiditatem & humiditatem adhuc in aëre dominantem, *Alnorum* & *Corylorum* juli dehiſcere, ſuumve ſulphur emittere nequeant, hinc etiam ſæpiſſime in his putreſcere obſervatur. Quando autem dies vernales amœni, ſudi & calidi ſunt, juli ſe aperiunt ſulphurque ſuum expellunt. Et inde quoque eſt, cur tam vernali quam æſtivo tempore, præcipue poſt turbines, imbres, ingentia fulgura atque tonitrua, adeo copioſum interdum ſulphur cum pluvia delapſum, conſpiciatur. Æſtus nempe ſolaris vehemens & furens, horrendarum tempeſtatum genitor, julos, in quibus pulvis hic ſubtilis latet, reoludit, **die Hitze treibet ſie voneinander/** e quibus poſtea eo facilius ventorum impetus iſtum excutit, ſecum per aërem rapit, imbri admiſcet, ſimulque cum eo tandem in terram præcipitat. Tandem quoque (5) copioſus & parcus hujus ſulphuris vegetabilis proventus, aſſertum meum roborat. Enim vero, non in copia æquali quotannis ſulphur hoc in pluvia animadvertitur, cur? quia uno anno copioſe, altero vero parce iſtud arbores & plantæ memoratæ proferunt. Sic, quando magna in quantitate ab arboribus dictis emittitur, magna quoque ejus quantitas cum pluvia decidere obſervatur; quando autem in parva quantitate iſtud ab iis ejicitur, parva quoque ejus cum pluvia delabitur quantitas. Tempore Juli & Auguſti, quod quoque annotandum, ordinatim parcior in pluvia ſulphuris hujus obſervatur quantitas, quando vero iſta notabilis eſt, videndum omnium primo, num Lycopodii *Thypharum, graminis Thyphini*, *Equiſeti Paluſtris*, largus hoc anno ſit proventus? Deinde etiam probe tempeſtatis variatio advertenda venit, plerumque enim Majus & Junius frigidiores fuerunt, quando copia inſignis, tam ſero, hujus ſulphuris obſervatur. Frigus enim hoc, *Pini*, *Pinaſtri*, *Abietis* ſulphuris emiſſionem, quod julos clauſos tenuit, retardavit, quam autem accedens nunc ſolis fervor, julos recludens, accelerat, ſulphurque hactenus retentum, demum expellit, quale Anno 1705, & 1709, obſervavimus. De ſulphuris Ly-

copo-

copodii ablatione in auras, quod diſſimulare non poſſum, dubius hæreo, licet eam non plane negarim. Cauſæ dubitandi ſunt, quod planta hæc valde humilis ſit, tantum in terra repat, & in muſco ac denſis ſylvis plerumque lateat, in quas ventorum impetus non facile penetrare valet. Hinc etiam *Wedelius* celeberrimus, in *Diſſ. cit. p. m. 40.* inter Emblemata, ex hac planta eruta, unum habet, cum lemmate: *contemtu tuta*, quod ita exponit: Quando a turbinibus, *inquit*, a tonitru, a fulmine extimeſcunt ſylvæ, colliduntur arborum juga, diffringuntur cacumina, inhorreſcunt rami, ipſa humi recumbat, nec patitur illas injurias nec afficitur. Hæc autem ὡς ἐν παρόδῳ.

Ex his hactenus, de ſulphureæ pluviæ ortu adductis, facile nunc quilibet intelligere valet, unde pluvia ſulphurea ex *Stobæi* epiſtola ſuperius recenſita, nec non a *Dolæo* obſervata, originem ſuam traxerit, & ex quibusnam arborum julis fuerit excuſſum hoc ſulphur. Copioſe enim, ut accepi, iſtis in locis, Pini, Pinaſtri, proveniunt. *Wolffgang Meurerus* in ſua *Meteorologia p. m. 280. & 298.* meminit, Chemnicii aliquando copioſe luteam terram una cum pluvia de cœlo decidiſſe, quæ dubio procul nihil aliud fuit, quam hoc ſulphur, cum admodum copioſe ibidem arbores dictæ creſcant. Explicavit iſtud Phænomenon de bello Saxonico, aſt inepte, licet iſtud etiam non longe poſt ſecutum fuiſſe dicat. Supereſt adhuc, ut nonnihil de dictarum arborum & plantarum ſulphuris uſu Medico, de quo parum vel nihil fere in Medicorum invenitur libris, proferamus. Progrediatur itaque primum in medium Sulphur Lycopodii, de quo autem, quia alii de ejus uſu jam nonnulla monuerunt (& hoc fere unicum eſt, de cujus uſu nonnulla nota ſunt) non multa dicemus. Ego præter alias ejus virtutes, vim ejus antiſpasmodicam & acrimoniam corrigendi in infantum morbis deprædico, inprimis ſi alvus ſponte fluat, alias affectus aſthmatici, imo vomitus, ſubſequuntur. Infantibus quoque jejuno ventriculo majori cum effectu exhibetur. Vocatur etiam ſulphur Lycopodii a virtute ſua antiſpaſmodica & antepileptica nonnullis in locis, & noſtris in terris, a mu-

lier-

lierculis, das Frieſſel/oder Freſſel-Pulver. Gaudet & adhuc etiam virtute antiſcorbutica, lithontriptica & Aphrodiſiaca. Externe in ulceribus exſiccandis, vel ſolum vel Empl. admixtum, egregii eſt uſus, ut adeo mirandum, cur a *Sim. Pauli* & *D. Fickio*, qui Quadr. B. *Pauli* paucis abhinc annis iterum edidit, plane ſilentio hæc herba fuerit involuta. Plures laudes præter recenſitas, *vid.* in *Wed. diſſ. alleg.* Mercatores, vulgo Materialiſtæ, ſulphur Lycopodii non raro, ut novi, cum ſulphure Pini, miſcent, atque pro genuino ſemine lycopodii vendunt. De ſulpure Pini, Pinaſtri, Abietis uſu, excepto *Crügnero* in ſeinem Chymiſchen Tannen-Baum/ parum apud ſcriptores Medicos occurrit, cum tamen utique ſuas elegantes habeat virtutes, & antiſcorbuticas & diaphoreticas, & antepilepticas & aphrodiſiacas, ut ipſe ſum expertus, teſtisque eſt hanc in rem, *Wed.* in diſſ. laudata de Muſc. terreſtr. clavato, p. m. 27. De Juniperi ſulphure vid. Becherus von dem Wacholder. De florum Hyperici ſulphure vid. *Wed.* in peculiar. quodam Tractatu. Heliotropii ſulphur, der Sonnen-Wende/ Blume/ in partu difficili, ut antiſpaſmodicum remedium, egregii eſt uſus. Ex Coryli anthera Eſſ. paratur, quæ cum majoranæ, fl. Lil. alb. caſtorei, ſuccinique Eſſentiis nupta, non inelegans eſt nervinum medicamentum, pro re nata blando ſal. volat. acuendum. Sulphur fl. Sambuci, in febribus continuis acutis remittente æſtu, cum abſorbentibus, cinnabarinis, egregio cum effectu, ſeroſis exhibetur ſubjectis. Nuc. Jugl. Sulphur virideſcentis coloris, vomitum excitat, hinc nemini ſuadendum & porrigendum. Lupuli antheram, quantum ſcio, pauciſſimi in uſum vocarunt nec commendarunt, cum tamen egregiam vim anodynam & externe & interne applicata & exhibita, habeat, nec non ad lienis & hepatis obſtructiones reſerandas mire conducat. Ex fl. Lupuli paratur Eſſentia elegans, quæ in diſſ. quadam inaugurali ſub *Dn. D. Veſti*, Anno 1692. Erffordiæ, de Phrenitide habita, in hoc morbo valde laudatur. Betulæ farinam, eſſe antiſcorbuticam & diaphoreticam, non dubitandum, cum & folia & ſuccus easdem habeant virtutes. Ex hac, cum ſpiritu proprio ſummitatum,

tum, Essentiam egregiam antiscorbuticam, ut relatum accepi ab amico, præparat *Dn. D. David Gottlieb Peisker*, militum præsidiariorum Dresdensium Medicus celebris. Thypharum, Graminis Thyphini & Equiseti palustris & arvensis sulphur, pro scopo adstringendi, repellendi, sanguinem sistendi, vulnera consolidandi, externe vel solum vel Emplastris admixtum adhiberi posse, nullus dubito. Oculis, quod notandum, graviter, ut crepitus lupi, hoc sulphur nocet, hinc probe cavendum in ejus excussione, ne oculis illabatur. Causa inde etiam reddi potest, cur pueri, qui Thyphis ludunt istisque se invicem petunt, non raro ex oculis laborent. Sed de hac materia in præsentia dicta, jam sufficiant. Plura qui habet, plura his addat, nobisque benevole communicet.

OBSERVATIO LXXXI.

Dn. Lic. SIGISMVNDI SCHMIEDERI.

De

Aphonia Periodica.

JUvencula rustica 16, annorum temperamenti sanguinei, corripitur aliquando inopinato aphonia, absque ulteriori sanitatis aliarumque partium corporis læsione. Mirantur Parentes insolitum hoc phænomenon, cum tale antea nunquam observassent, nulla tamen remedia adhibent. Effluxis binis hebdomadibus, sponte sua malum cessat, & loquela redit. Præterlapso 12. hebdom. intervallo, aphonia iterum redit, & rursus per 2. hebdom. spatium durat, hoc elapso, iterum evanescit, & sic per quatuor vices rediit hoc malum, & iterum etiam abiit absque ullo remediorum usu, præter quod, cum ultima vice abiisset malum, venæsectionem adornarit binis vicibus. Appropinquante post hanc iterum tempore hujus mali, nihil sentiebat, præter graviratem & aliquam musculorum colli, & linguæ stuporem, utebatur nonnullis remediis convenientibus, quibus etiam hic stupor cedebat. Postea nupsit viro, cum quo per binos annos incolumis & sana

vixit. Jam per annum in viduitate vivit, sed absque ulla sanitatis læsione.

SCHOLIVM.

HVjus Aphoniæ Phænomenon rarum, non melius quam ex Anatomia solvi & exponi potest. Constat enim ex observationibus Anatomicis & antiquis & recentioribus, quod *nervi recurrentes* a pari vago ortum suum trahentes, asperæ arteriæ & pharyngi prospicientes, ad vocis efformationem plurimum contribuant. Sic *Galenus Libr. de Præcogn. Posthum. cap. 6.* dicit, se coram omnibus Philosophis & Medicis Romæ, in hædis & porcis demonstrasse, quod uno nervo recurrente abscisso, animal semivocale; utroque autem resecto, plane mutum redditum fuerit, quale ipse etiam tentavi atque cum veritate congruere observavi. Memini, me aliquando legisse, Chirurgum imperitum occasione apostematis colli, nervos recurrentes pro corpusculis habuisse peregrinis, hincque corpuscula hæc ipsi inutilia visa, tollere voluisse, quod etiam fecisset, nisi inopinato Medicus advenisset, erroremque hunc gravissimum cognovisset. Effecit tamen hic Idiota, sua rasura tantum, ut perpetuam inde acceperit æger raucitatem. Annon in nostra Juvencula Nervi recurrentes resoluti, vel compressi vel obstructi, quo minus spiritus animales in partes rite effluere potuerint, fuerint, judicent Practici celeberrimi, ego firmiter credo, & quidem arbitror, nervos non resolutos, sed obstructos & compressos fuisse, tam a sanguinis impuritate quam ab ejus abundantia. Si medicamenta assumsisset, accuratius causas investigare potuissemus. Interim ex hac observatione in praxin, quandam redundaturam esse utilitatem, nullus plane dubito, præsertim in pertinacem raucedinem, quæ nec ab aëre, nec a gulæ asperitate originem ducit, nulli remedio cedit, medicosque non parum sæpe exercet & fatigat, paulo intimius in quiri poterit.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXII.

Dn. Lic. SIGISMVNDI SCHMIEDERI.

De

Tussi, ex acrimonia Ceruminis aurium oborta & curata.

MVlier, per notabile temporis spatium Tussi gravi sicca laborans, multis remediis, quæ in tali affectu mulieres adhibere solent, incassum adhibitis, me convenit, petens, ut ad abigendum hoc malum molestum sibi convenientia præscriberem. Instituto & peracto examine juxta sex rerum naturalium seriem, præscripsi, quæ e re esse judicabam, ast omnia frustra, imo, ita pertinax malum deprehendebam, ut mirarer, cum mihi probe constaret, nec ex aëris inclementia, nec frigido potu, phthisi &c. istam oriri tussim. Meditans in Museo igitur aliquando ambulans hanc ob causam, nescio quo casu, pennam auribus immitto, mihique ob sensibilem vellicationem tussim vehementem excito, & en! statim in mentem venit, annon cerumine inspissato & acriori, aures ægræ hujus essent onustæ, præcipue quia mihi jam retulerat, non raro difficili auditu se laborare. Hinc cum me iterum conveniret, non tantum ipsi resolventia remedia aliaque convenientia porrigebam, sed quoque decoctum ex lacte, floribus Chamomillæ, Sambuci, sem. anis. & carvi, ut sibi pararet, jubebam, cujus vaporem, modo convenienti, auribus exciperet, & en! voti mei compos factus sum. Una enim & altera vice, remediis hisce adhibitis, insignis ceruminis copia acris ex auribus effluxit, cum quotidiana tussis levatione, ejusque tandem plenaria abolitione. Causa tussis fuit consensus laryngis cum auribus, quem habet per ramum nervi acustici, ut ex Anatomicis notum est.

OBSERVATIO LXXXIII.

Dn. Lic. SIGISMVNDI SCHMIEDERI,

De

Tussis diurnæ, ex testium tumore solutione.

JVvenis sanguinei temperamenti, aliquando me convenit, & de Tussi molesta diuturna valde conqueritur. Examine cum ipso juxta sex res nonnaturales, ad tussis causam expiscandam, instituto, convenientia ipsi remedia præscripsi, quæ etiam egregium ægro attulerunt levamen. En autem, lætitia inde concepta iterum evanescit, novaque animi perturbatio eum capit, altero enim a medicamentorum usu die, mane e lecto surgens, testes insigni tumore correptos animadvertit, quo observato statim nuncium cum literis ad me mittebat, remque enarrabat. Datis nonnullis remediis internis, nuncium remittebam juvenemque bono animo esse jubebam, simulque ab eo petebam, ut me certiorem faceret, num tussis plane remiserit nec ne, quod etiam factum fuisse, comperi. Tumor paucis diebus interjectis, sponte suaiterum evanuit.

SCHOLION.

PErmulta veterum Medicorum præcepta adhuc hodie constanter sua se tueri veritate, manifesto indicio, artem nostram salutarem, demonstrante hoc etiam celebertimo Bagliv. L. I. Prax. §. II. non incertam, sed certam firmisque regulis niti atque fundamentis, multæ Medicorum ubertim testantur observationes, ad quas nostra hæc quoque pertinet, cujus jam olim etiam mentionem fecit Hipp. L. II. Epid. Sect. I. Edit. Fœs. p. m. 999, indeque occultum consensum Thoracem inter atque Genitalia concludens, quando sic ait: πολλὰ δὲ καὶ τῶν τοιούτων, οἷον, ἀποφθειρισέων οἱ τιτθοὶ πρόσιοχναίνονται, ἠδὲ γὰρ ἐναντίον ἠδὲ βῆχες χρόνιαι, ὅτι ὄρχιος οἰδή-

οἰδήσοντ& πάυονται. ὅρχις οἰδήσας ἀπὸ βηχέων ὑπόυπημα κοιλωνίης, σηθέων, μαζῶν, γονῆς, φωνῆς. Quam utileitaque ſit, veterum Medicorum libros ut evolvamus, facile patet, qui varias nobis reliquerunt obſervationes & præcepta, quæ nos inſtruunt, ne erremus. Non ſtatim igitur omnia, licet, quod non negandum, multa habent, quæ aſſenſum non merentur, rejicienda, contemnenda & repudianda, ut multi hodie inepte & arroganter faciunt, aliique, qui non ſunt Medici, non aliter autem ac cœci de coloribus judicantes, quos inter eſt etiam auctor larvatus Philander **von Sittenwald**/ (genuinum nomen eſt Joh. Mich. Moſcherosch) **in ſeinen Geſchichten**/ P. I. p. m. 199. 200. Non temere omnia ſunt rejicienda, πάντα γὰρ ὁ Ἰητρὸς φιλόσοφ& δοκιμάζειν τὰ καλὰ κατέχει.

OBSERVATIO LXXXIV.

Dn. Lic. SIGISMVNDI SCHMIEDERI,

De

Spaſmo inſolito frequenti, ſucceſſive in motus convulſivos & vehementes inſultus epilepticos degenerante, tandemque mortem ægrotanti adferente.

MVlier honoratioris conditionis 62. annorum cum dimidio, temperamenti ſanguineo cholerici, & animi alias hilaris, ex animi pathematibus crebrioribus a certis quibusdam rebus obortis, incidebat in laſſitudinem corporis & artuum; lecto tamen non affigebatur. Vexabatur interim mane & poſt paſtum vomitu frequentiori. Oborto aliquando horrendo incendio, quod propriæ domui ruinam quoque minabatur, graviſſimo terrore de novo percutiebatur. Incidebat brevi poſt in affectum ſoporoſum cum atrophia, & aliquando binis corripiebatur inſultibus epilepticis levioribus. Poſtea, die uno interjecto, ſomno corripiebatur per binos dies noctesque. Expergefacta, ingemiſcere con-

tinuo cum ſonitu (vulgo Winſeln) incipiebat oculis ſemper apertis. Quando quærebatur, cur id faceret, aut nihil reſpondebat, aut, quo ſe levaret. Maculæ interdum adparebant in brachiis & manibus, magnitudine nunc nummum, mox groſſum, imo etiam imperialem adæquantes, nec diu tamen durantes. Tandem quieta reddebatur ægra, floccosque colligere incipiebat. Lotium ſemper tenue erat atque clarum, odoremve cadaveroſum adſtantes ſentiebant, mors inſtare videbatur, quæ etiam miris ſpaſmis & convulſionibus ſtipata mox adveniebat. Altero enim die, poſtquam jam enarrata fuerant obſervata, hora matutina ſexta, oculos (quos cum ejulare deſineret, claudebat,) aperiebat, eisque fixis, adſtantes per quinque circiter minutorum prim. intervallum adſpiciebat, **ſie ſahe die Leute ſtier oder ſtarr an.** Elapſo hoc temporis ſpatio, iterum ad ſe redibat eosque claudebat, aſt parvum hoc erat interſtitium, mox enim ſpasmus hic redibat, & ita, nunc remittendo nunc rediendo, ad horam usque nonam continuabat. Ab hac usque ad tertiam pomeridianam, libera & quieta jacebat ægra, & ad interrogata, licet ægre, ſemper claram atque diſtinctam reſponſionem dabat. Nunc ſpaſmus de novo noſtram infeſtabat, aſt paulo aliter quam horis antemeridianis, oculos enim nunc apertos leniter movebat, & ad ſiniſtrum latus cum capite trahebat, quo facto, iterum evaneſcebat. Intervallo parvo interjecto redibat, & ſic conſtanter redibat & remittebat per totam noctem. Creſcebat autem ſenſim ſenſimque, & una cum oculis, caput verſus ſiniſtrum latus fortius trahebat, poſtea genas, maxillas, muſculos colli in conſenſum rapiebat mireque afficiebat, ſeque in motus convulſivos hora quarta matutina mutabat, qui tandem brachio & quidem primum ſiniſtro, poſt dextro, ultimo pedibus & toti corpori communicabantur, inque vehementes inſultus epilepticos mutabantur, qui quoque per vices, & non ſtatim cum totius corporis concuſſione, ſed more ſpaſmi & convulſionum jam conſveto, i. e. pededentim redibant. Omnium enim primo aperiebantur oculi, ſecundo iidem verſus latus ſiniſtrum una cum capite movebantur, tertio genæ, quarto

maxi-

maxillæ, quinto muſculi colli, & ſic porro, omnes ſucceſſive afficiebantur mireque movebantur partes, usque dum inſultus epilepticus eſſet perfectus. Hora denique ſexta matutina ultimo paroxyſmo correpta, repente, cum paroxyſmus in ἀκμῇ eſſet conſtitutus, exſpirabat. Facies & artus poſt mortem grate pallebant ad tumbam usque, exceptis ſolum ſiniſtro brachio eodemque latere & pede, ubi altero poſt mortem die venarum ramificationes & tractus, eleganter delineati & colore purpureo ſuffuſi conſpiciebantur, es ſahe aus/ als wenn dieſe Partes wären marmoriret und gemahlet geweſen.

(*Oſſitio Auguſtam Vind. d. 15. Apr. A. 1713. miſſæ*)

OBSERVATIO LXXXV.

Dn. D. ANTONII VALLISNERII.

Examen Experimenti Lovveriani.

Doctiſſimus Lower injecit libram ſemis lactis recentis modice calidi in venam cruralem Moloſſi, detracta prius pari ſanguinis copia, quo lacti recipiendo locus eſſet. Poſt ſemihoram præcordiorum anxietas, oppreſſio, palpitatio, & tandem inter ejulatus mors. In diſſecto vena cava, ventriculi cordis, vaſa pulmonica, aorta lacte cum ſanguine penitus concreto impleta, & adeo compactus cum lacte ſanguis, ut digitis non facile ſepararetur. *Vid. Ejus tract. de Corde cap. 2.*

SCHOLION.

VIx in animum ita induxiſſemus, a lacte, quod adeo ſanguini analogum eſt, liquorem hunc coagulari potuiſſe, cum præſertim hoc blande caleret, recens eſſet, nec motus deeſſet, intra venas accepto. Adde ſpiritum vitalem illi permiſtum, adde impulſum

pulsum cordis, & musculorum, per quem, tanquam baculo frangebatur. Agitatum enim lac, & sanguis, tum sale volatili aspersa minus prona sunt ad concrescendum. Notari quoque debet, assuetum esse lacti cum sanguine commercium, antequam enim in mammis separaretur, cum sanguine circulabat. Nunc in hoc casu sanguis lacti, lac sanguini venenum fuit: quid enim tristius contigisset a morsu viperæ, quam liquorum circulantium coagulatio?

Vt infunderet auctor sex unicas lactis, detraxit prius sex uncias sanguinis, facturus videlicet lacti locum. Mirum est, Medicos adeo in praxi sollicitos esse ad minuendam plethoram sanguinis, seu plenitudinem: ubi enim vasa, quod satis est, acceperunt, & pro modulo suo impleta sunt, omnem superfluum sanguinem rejiciunt, ut vix verum videatur, infarciri illa, & violari a nimia sanguinis quantitate.

Sed non adeo improvida est natura, ut plus generet sanguinis, quam vasa possint comprehendere. Non negaverim tamen, aliquando distendi vasa propter aliquod in circuitu impedimentum: impulsus enim a corde novus sanguis, antecedentis moram non patitur; & necesse est, ut locum aliquem sibi faciat, sed tunc peccat structura sanguinis, aut vasis. Tenent Physiologi, sanguinem, & lac per affusum sal volatile a coagulatione defendi, & in ipsam incidere per affusum sal acidum. Cui asserto contrarium videtur præsens experimentum, cum in sanguine sano, & intra vasa sua bulliente, soleant prædominari spiritus volatiles de natura salis armoniacalis, acidum autem in sanguine sano aut non prædominatur, aut non reperitur, cum sit venis hostile. Putarim hic spiritum sanguineum a caseosis, & butyrosis moleculis impeditum, atque involutum non sufficisse illis exagitandis, cum præsertim exigua ejus portio a contiguo hinc inde sanguine in lac evolaret. Nimirum vis, quæ proportionata erat suo sanguine actuando, & in colliquatione servando satis roboris non habuit, ut ageret in novum hospitem, se ipsa succubuit. Hac data occasio-

ne quæritur in Epistola: *An sanguis copia peccet?* Monebat nos Hippocrates Aph. 3. sect. 1. *probum sanguinem adeo interdum augeri, ut propter redundantiam mortem minetur.* Videtur autem noxius esse, quatenus vasa distendens sibi ipsi impedimento sit ad liberam circularionem, & in quacunque cunctatione circuitus, aut densetur, atque concrescat, aut vas continens violenter disrumpat. Eadem pericula incurrere videtur, ubi propter exercitium, aut iram, aut similes causas efferbuerit: vasa enim, quæ placidam plenitudinem belle ferebant, implacidam & majoris spatii indigam capere, ac pati non possunt. Quare tunc sanguis extravasari, aut immobilis fieri periclitatur.

Hæc tamen doctrina, ut ut Hippocratis menti, & naturæ ipsi consona sit, nonnullam tamen dubitationem curiosis animis ingerit, cum arduum videatur intelligere, quomodo chylus, & sanguis in corpore optime constituto ad debitam volatilitatem exaltatus, nimis accumuletur ob facillimam præcipue per poros cutis particularum ejusdem emanationem, quæ ex Statica Sanctoriana solet esse copiosissima. Hoc autem effluvio posito, quod censetur assiduum esse, vix contentus tubulis sanguineis liquor in immodicam copiam assurget, cum præsertim arteriæ haud exiguam succi partem in corporis nutricatu, & glandulosorum viscerum cribratione deponant, venæque multa sui parte depauperatam, & diminutam reducant purpuream molem.

Adde, quod adeo lætæ nutritionis homines exercitationibus crebris utebantur, quæ naturalem transpiratum ingeminant, & omnes promovent secretiones, neque crediderim intemperantes fuisse in victu, cum intemperantia cruditatibus, isti autem scatere consueverint optimo sanguine.

Animadversione dignum est, in sanis, sed gracilioribus corporibus nullam forte adesse vasorum inanitionem, id est non

concidere, non subsidere vasa, sed totam habere capacitatem repletam probo sanguine, quantamque illi decedit transpiratu, tantum accedere chylosi laticis, ut hiatus vacantium spatiolorum, si quis adest, repleatur celerrime, aut si novæ a chylo guttulæ dispendium illud non illico reparent, rarescere nonnihil massam sanguineam, & expansione facillima totam implere vasculi diametrum. Hæc autem usitata, & publica sanis hominibus vasorum plenitudo nihil mali videtur portendere, imo necessaria esse vitali œconomiæ, cum vasorum subsidentia imbecillitatis nota sit, & videamus equos effumatione, atque sudore in via depletos strenuitatem cursus amittere.

Cum itaque plenos utilium succorum tubulos circumgestare sanis fere omnibus conveniat, cur athleticis noxium id fuerit? vel enim supponimus probum esse sanguinem, vel non. Si probus est, congævam habet rarefactionem, motum localem, fermentationem, quibus recte se habentibus nihil mali fas est ominari. Si non est probus, jam sumus extra quæstionem: non enim peccat copia, sed qualitates.

Neque rationi consentaneum videtur, vasa corporum athleticorum plus sanguinis ingestum habere, quam ferre possint, quemadmodum enim tubulo vitreo, aut coriaceo plus aquæ non injeceris, quam sinat ejus capacitas, ita tubulis venarum, vel arteriarum suus inest mensuræ modulus, quo repleto, vel guttam superadditam repudiabunt.

Vnica supereſt ratio aggravandi vasa sanguinea magis, quam par est, si liquores in iis contenti compressionem admittant, tunc enim a succedentibus particulis sanguine inculcato, atque compresso, copiæ vitio vasa laborabunt. Sed compressio hæc, ut cæteris liquoribus difficillime accidit, ita & sanguini: quo enim ingenio infusum usque ad summam superficiem siphunculo sanguinem comprimes, ut novo sanguini locum faciat? Experiare manuum vim, aut pondera superincumbentia, nequaquam compresseris. Frigore autem, ut in aqua utimur, ad ipsum condensandum, uti non decet, cum viventium viscera, sana præsertim,

fri-

frigus omne ignorent. Adde quod vis indita ſanguini, qua ſe fermentat, illum reddit expanſioni proniorem, quam denſationi, ut ex eo motu inteſtino, atque expanſivo non leve illi momentum aſſurgat reſiſtentiæ ad preſſionem, quam ſubſequentes a tergo particulæ inferunt, minuendam. Sermo eſt de ſanguine probo, qui vividus eſt, & ſpirituum dives, ſuavique principiorum ſuorum concordia gaudet, nec motibus fertur immoderatis, & prementem a tergo ſanguinem pari gradu velocitatis antecedit; ut facile non ſit opinari, quomodo in illo fibræ, & globuli globulis impingantur, adeo ut debitam ſibi loci partem urgentibus novis moleculis concedens in minorem abeat molem, id eſt patiatur compreſſionem. Tanta ſanguinis copia (inquit Lowerus) ab auriculis immittitur, ut tota cordis capacitas penitus expleatur, quantumque in ſe qualibet diaſtole excipit ventriculus, proxima ſyſtole expellit totum : Ita ille de Corde cap. 2. Itaque ordinaria eſt lex naturæ tantum liquoris indere vaſculis, atque cavernulis, quantum capiunt, ut niſi venæ, auriculæ, aut ventriculi ampliores ſint, plus non accipiant, aut emittant in habitu athletico, quam in non athletico.

Hæc ſunt, quæ luce indigent, atque conſilio. Intereſt vitæ, rem hanc in aperto eſſe. Si abſoluitur copia ſanguinis, quæ tandem nobis erit juſtior cauſa illum effundendi?

RESPONSIO.

NOnne pudet addubitare de doctrina Hippocratis, qui, ut nonnullis placuit, nec falli ſciebat, nec fallere? Quid magis obvium rationi, aut experientiæ, quam nimiam in corporibus copiam ſanguinis vel inferre periculum, vel minari? Crebræ ſunt in libris triſtium eventuum hiſtoriæ, & nos quoque vidimus aliquando velocia ejusmodi funera. Nonne apud Galenum, & Oribaſium ſubito interierunt athletæ plures? Mirum magis eſt, immodice plenitudinis habitus diu vivere, quam cito extingui, ſcis enim, quam alicubi parvi ſint canaliculi ſanguinis, quam impedi-

pediti, flexuosi, capillares, & pene nulli: per illas tamen vias totus ille sanguinis gurges, atque oceanus trajicere debet. Horresco referens vasa Pulmonum, sed tibi ea notior anatomes, quam mihi. Portentum est, vel modico sanguini inoffensum illac cursum peragi. Patet lacti, sugente puero, per papillas exitus, ubi tamen copiosius, quam par est, in mammas influxerit, quam facilis illarum inflatio? Si tubuli lactei, cur non & sanguinei copia sui fluidi laborabunt? Nonne in oculis vinosorum hominum licet cernere distentas venulas? Quid fluxus narium periodicus, quid menstrua, nisi sanguinis arguunt redundantiam? quam tamen ipsa vasa, antequam effunderent, laboriose, atque difficulter continebant, id est non sine periculo, ut significant lassitudines, aut dolores, qui haud raro crisim illam præcedunt.

Posse autem nimio sanguine saturari, & magis adhuc repleri vasa, quam prius essent, ostendit emersio, ac tumor venæ vinculo astrictæ. Neque hic sophismatibus indulgendum compressionem negantibus, cum oculis pateat, vasa sanguinem quandoque usque ad livorem intumescere. Videant, qui otio abundant, & ingenio, qua ratione vas semel plenum, novum liquorem accipiat, atque contineat; mihi satis est, venas viventium corporum extensiles esse, atque pati extenuationem tunicarum, atque fibrarum, eo majorem, quo plus sanguinis in ipsas influxerit. Quam plenæ apparent in effuso risu venæ colli, faciei, & frontis? Vt eo sedato quam cito ad mediocritatem suam redeunt? Cogita venas mulieris gravidæ, & necesse est, fatearis, plus sanguinis continere nono mense gravidationis, quam primo. Reverberatur quoque in se ipsum sanguis, & quodammodo duplicatur in proximis venulis, qui ad crus, aut manum abscissam solitus erat defluere. Virum novi, qui per aliquot dies aquæ Brandulæ triginta libras quotidie hauriebat. Vbi putas tantam vim aquæ latuisse per nonnullas horas? nulla fere vasa scimus, nisi sanguinea, in queis demigrans a ventriculo, & intestinis moram aliquam traheret. Possunt itaque loca vasorum ampliora fieri,

atque

atque pleniora, licet modica prius plenitudine haud carerent. Si fossorem aliquem in vitam transferas beatiorem, nonne otio, & molli cibo utens ditescet uberiore sanguine? quid si novus iste sanguis novo sanguine adhuc urgeatur, nonne tandem vas scindi poterit?

At, inquis, effluvia per vitam nimiam inhibent plenitudinem. Respondeo, viros athleticæ plenitudinis subita morte præreptos ratiunculam istam satis redarguere. Ipsa copia sanguinis vix locum cedit corpusculis discessuris, ut facillimæ fiant in infarctu sanguineo meatulorum occlusiones. Illud quoque volatile, & turbativum, quod infervit miscendo sanguini, fermentandove, vix evolui queat, vimque tantam sanguinis agitare: hinc paulatim diminutio motus intestini, atque particularum avolare nitentium a crassioribus implicatio. Pori membranarum, ut effluvia transmittant, laxitate quadam indigent, copia vero fluidi tensas nimis facit membranas, porulosque angustiores. Adde arterias difficiliorem habere systolen, contranitente sanguinis copia, quæ res gradum aliquem velocitatis sanguini adimit, tunc unda undam minus premit, & inducta motui locali segnitia non exiguum est extenuandis, aut emittendis vaporibus impedimentum. Præterea transpiratio aufert præcipue particulas seroſas, non crassamentum purpureum, quod ampliore tantum via debet, vel potest imminui. Ne te pluribus detineam, causas morbi ostendit sanatio, sed multi athleticam constitutionem habentes, ubi inciderint in apoplexiam, demto festinanter sanguine revocantur ad vitam: copia igitur sanguinis illos gravabat.

Præclarum est, & ad nos pertinet Lowerianum experimentum: Aperta in canibus læva parte thoracis, & impresso in aortæ truncum descendentem digito, immanes illi ejulatus, & contorsiones aderant.

At vero (inquit auctor) *cum sanguine plurimo detracto, prius idem experimentum repeterem in aliis, adeo ut partes supra compressionem sanguini reliquo excipiendo pares, & satis capa-*

ces fuerint, nullo fere moleſtiæ ſigno digiti appnlſum patiebatur. Ita in opuſculo in ſuperiori Epiſtola citato.

Vides hic, quam noxam afferat ſanguinis redundantia, vides præterea, quo poſſit ea noxa remedio anteverti, nimirum venæſectione.

Sed non indiget Magnus Hippocrates recentiorum patrocinio. Satis illi roboris ex ſe ipſo. Vtinam divinam ejus mentem ſtudiis noſtris aſſequeremur: minus certe ſuſpicionum haberemus, & plus in medendo felicitatis.

OBSERVATIO LXXXVI.

Dn. D. ANTONII VALLISNERII.

An ablata Plethora per duas v. g. venæſectiones poſſit in eadem febre tertio, vel quarto ſanguis educi? Defenditur ſententia, quæ id affirmat?

QVi obtentu ablatæ jam plenitudinis veretur in febribus tertiam, quartamve, ubi ea opus fuerit, phlebotomiam, videtur anguſtis nimium limitibus & commoda ægrorum, & Artis gloriam concludere. Non usque adeo beati ſumus, ut noxam a fonte ſanguineo manantem ſtatim intelligere, aut evellere valeamus. Quam alta ſit, quibus nodis implicita, quo conſilio averruncanda, paulatim diſcimus. Vt remedium in aperto ſit, remedii ſaltem quantitas obſcura eſt, atque incerta, neque cæco impetu decernenda. Horarius velut artifex Medicus conſiderat, quid dies oriens admoneat, quid ſerus veſper, & modicis potius, crebrisque ictibus tentat venas, quam magnis, ut viribus parcens ſanguineum vitium tutius elidat. Mos eſt Chirurgorum, tumentem ſaniem non totam aggredi, ſed intermiſſis, brevibusque rivulis diminuere. Ipſa quoque natura non ſemel, aut bis, ſed pluries iteratis evacuationibus motus criticos perficit. Cur

nos

nos ea lege sumus obstricti, ut peccantem sanguinem tertio, vel quarto emittere nefas putemus? Ne a natura ipsâ discedamus, quæ *stimulata, & impulsa*, ut ait Hippocrates de Art. n. 22.) *artis peritis, quid faciendum sit, demonstrat*, quam magnas interdum hæc excitat dysenterias, quæ nil aliud esse videntur, quam frequenter exercita sanguinis missio? Si vero fluxus iste substiterit, antequam portio præcipua improbi sanguinis sit a corpore deturbata, quam mira anxietas, quam pestifera ægros afficit? Convalescunt itaque multi, quibus per crebros effluxus causam morbificam in sanguine hospitantem emittere licuit, qulbus vero incepta evacuatio immature conquievit, certiores obitus imminent.

Eadem ratio in menstruis. Vbi hæc liberaliter exiverint, bene se habent mulieres, ubi parciter fluxerint, improspere degunt. Quid prodest semel, atque iterum sanguinem detraxisse, si ejusdem vitiosæ texturæ plurimum remanet, si nondum natura excutere jugum potest. Subtrahenda adhuc nova portio sarcinulæ, donec coagulationis mortiferæ periculum evadamus. Tentandum saltem est, an mors, quæ crassum sanguinem, & brevi stagnaturum in febre circumvolat, crassitudine illa adhuc tantisper diminuta, possit nova venæ sectione suspendi, atque intercipi. Naturæ morborum suos habent apices, suos limites, quos ultra citraque nequeunt consistere. Gemina venæsectio si non est morbum demolita, demolietur tertia, vel quarta. Continget quandoque in sexta tantum phlebotomia punctum curationis attingere, ut in quadam Moniali contigit: Dolor capitis in illa, qui nullo remedio sedabatur, post secundam venæsectionem rescisso inter dormiendum vase nuper secto, & immensa vi sanguinis exeunte feliciter deletus est, exprobrante casu insciciam nostram, & ad generosius, ubi fert occasio, consilium timidos animos erigente.

Monebat Hippocrates, & Plato, sanitatem in symphonia quadam humorum sitam esse. Cogitemus improbas particulas, & nimium elasticas inexistere sanguini. Tunc peribunt in

ipso

ipso motus naturalis regimina, tum fibræ tensiles, atque distractiles vasorum, & cordis acrius incitatæ violentas sanguinis percussiones pari repulsu pensabunt, nec nisi reddita sanguini moderatione ad leges suas redibunt. Vt vero necessarium est, istam sanguini moderationem inducere, ita difficillimum: Quis enim gradum illum valeat divinare, qui aut sanguinis consonantia est, aut consonantiæ proximus? Ipsa natura torquet se per varios conatus tum criticos, tum symptomaticos, ut dissonum sanguinem corrigat, & non raro concidit, aut aberrat in opere ipso, quam facilior erit, & excusabilior Medici lapsus? Eo majore industria, & studio enitendum est, quo res hæc est obscurior: perdidimus enim ægrum, si desperatione debilitati, quia prima, vel secunda consilia non plane respondent, ulteriori operæ manum subducimus. Quam multo, quam diligenti tentamine utuntur citharœdi, ut redigant ad concordantiam canoras fides? Paulatim scilicet nervos intendunt, aut remittunt, donec ad optatum acumen, id est, ad concentum musicum lyra pervenerit. Indignum est nos citharœdis esse ignaviores in sanguine modulando. Per ante actas venæsectiones exploravimus, an satis remitteretur acumen illud dissonantium sanguinis principiorum. Nondum spes implevimus. Cur tertio, vel quarto non mittimus sanguinem?

Spiritus animales nervis, & fibris illati modicum sanguinem facilius per systolen cordis, & vasorum impellunt, quam multum: ipsa enim sanguinis gravitas, aut crassities contraniti-tur peristalticis vasorum undulationibus, & resiltit impulsui. Adde particulas hujus laticis vivaciores, & volatiliores densitate quadam, & glutine ipsius impeditas, ut recte urgere non queant motus intestinos fluoris, & fermentationis opifices. Spatiolis vero suis per idoneam venæ sectionem reclusis paulatim resiliunt, & circumvolitant, massam sanguinis velut novo motu inspirantes. Ipsæ quoque morbosæ particulæ, compage sanguinis plenius adaperta, faciliorem discessum moliri possunt, & a peregrina regione promptius dispelli,

Vbi

Vbi vitium altas egit radices, emittendus pluries est sanguis, ut ad affectos canaliculos vis remedii perveniat: transmovebitur enim ex sua tandem sede, atque textura vitiosus fomes, & sive involutus sanguini per vulnus exibit, sive a laxioribus jam meatulis transpiratu evanescet, sive in demutato jam fonte sanguinis refrigerium, & mitigationem nactus aculeos amittet. Narrabo in hanc rem mirabilem observationem:

Monialis annorum triginta, gracilis habitus, & sanguineo-melancholica, incidit in febrem, quotidie recurrentem, sed non magnam. Obnoxia fuerat alias dolori capitis, quem *clavum* vocitabat. Redibat ille in hac febre adeo pertinax, & immitis, ut ægra ei ferendo impar esset. Assueta igitur copiosæ sanguinis missioni flagitabat, ut sæpius educeretur, Medico non reluctante, cum cæteræ medelæ fructu carerent. Quid plura? Nunquam destitit dolor, nisi cum ad decimam tertiam venæsectionem perventum est; tunc enim exonerari visa est patiens, & emergere de luctu suo; nec tantum dolor, sed etiam febris evanuit non sine medici admiratione, qui suam ipse facilitatem horruerat.

Exsuperat historia hæc etiam Botalli licentiam, sed preces, & fiducia ægræ bene ferentis iteratas venæsectiones paulatim veluti per gradus quosdam temerarium fecerant Medicum, cujus animo etiam obversabantur & immanes jacturæ sanguinis, quas impune ferunt interdum mulieres, & generosi mores Hippocratis, atque Galeni, qui usque ad mutationem coloris, aut defectum animi, ubi morbus urgeret, sinebant sanguinem fundi. Spatio duorum mensium decem circiter libræ in memorata moniali fuerunt eductæ, neque usque ad ultimam venæsectionem aut febris, aut dolor elanguit.

Quid prius hic mirer, consiliine audaciam, aut eventus felicitatem, aut naturæ ipsius eo usque nos vocantis, atque invitantis nutum quendam, & quasi monitum? Cum natura molitur crisim sanguineam, ad plures libras, ut plurimum, solet instituere. Hæmorrhagia inope nihil funestius. Cur igitur nos adeo pavidi? Et universalis plethora demenda est, & etiam inter-

dum privata, & peculiaris laborantis partis: ad illam aliquando sufficiat fortasse semel, aut iterum sanguinem mittere: ad alteram perveniri non potest, nisi per plures venæsectiones; paupertas enim quædam in venas majores inducenda est, ut quicquid hæret in minoribus canaliculis, tandem excuti possit, & a loco suo dimoveri, *venæ enim evacuatæ* (verba sunt Erasistrati apud Gal. adv. Erasistr. Cap. 7.) *sanguinem, qui in arterias insilierit, facilius suscipient*, nimirum ad venas inanitas rapidius fluente arteriarum sanguine, quicquid inter viam est, abripitur, & restituitur in circulum suum.

Viro in Eniadis, ut alias vidimus, eo usque sanguis ademptus est, donec fieret exanguis. Cum centum aliæ medelæ irritæ fuissent, id unum profuit: sanguis enim salsugine imbutus, & tabem faciens, cum paucus in vasis remansisset, potuit a chylo recenter affuso in molliorem succum transponi, & idoneam alimoniæ texturam consequi.

Dignum est animadversione, quod in viro isto, qui tabescebat, & consumebatur, nullæ suberat Plethoræ suspicio. Cur igitur Hippocrates sanguinem misit, & adeo effuse? Quemadmodum, si venas vitriolo turgentes absterseris, quæ superveniunt aquæ dulces, paulatim acorem pristinum obscurant, & delent, fontemque suppeditant vetusto jucundiorem, atque puriorem: ita tubuli sanguiflui, portantes laticem sylvestri sale refertum, ubi magna ex parte ipsum deposuerint, quicquid ejus reliquum habent, accessu chyli dulcioris demitigant, & in leniorem formam refermentant, frangente sensim novo succo acrimoniam superstitem, & veteris culpæ vestigia obliterante.

Sanavit itaque copiosa sanguinis missio Virum in Eniadis, quem parca, commotis magis, & exaltatis particulis acribus, fortasse læsisset: adeo interest non solius plenitudinis rationem habere, sed intimius scrutari naturam morbi, & statum, moresque sanguinis, *a cujus perversionibus*, ut cum Hippocrate loquar, *totius corporis perversiones.*

Ru-

Rudia hæc, atque incondita mihi venerunt in mentem. Vestrum erit interim rem tanti ponderis diligentius considerare, cum occurrant quotidie acerbæ occasiones morborum, in quibus necesse est, aut magnam sanguinis partem relinquere aut vitam.

OBSERVATIO LXXXVII.

Dn. D. GVSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP van der Mullen.

Sarcoceles exculceratæ, cujus Ephemeridum Naturæ Curiosarum Centur. I. obs. 126. tragœdia ex parte enarrata, fausta catastrophe.

Ab anno 1710. varias illa, tam quoad externam faciem, quam quoad internam materiæ, sive contentæ, sive singulis deligationibus excretæ, tum qua consistentiam, tum qua colorem, tum quoque qua excernendi modum & varietatem, passa metamorphoses. Diuturnitas mali indeque successive nascentia quædam incommoda, præsertim cum bursa illa cuprea corio tenui vestita, cujus in dicta observatione mentio facta, continuo usu & attritu, tandem qua tegumentum coriaceum lacera, proinde malignitas metallica cupri denudati, adjacentes utrinque partes perpetim calentes tangendo afficeret, ac exanthemata copiosa cum pruritu vix tolerabili eliceret, coætaneus ille mihi amicissimus de mutanda illa bursa metallica cogitare coactus, alias multo commodiores, e linteo crudo duplicato consutas, ac habena perinde linea a cervice utrinque pendulas, ligulis firmiter illi alligatas excogitavit, incommodis a cuprea excitatis egregie medentes, sicque insigne levamen, tam qua deligandi laborem longe commodiorem, quam gestandi molestiam multo, quam ante minorem, eatenus præterea oppido aptiores, quod subinde mutari, la-

vari ac elotæ munde reapplicari facili negotio potuerint: Hactenus itaque plurimum sublevatus, quod molestiam, quam diutina quotidie bis repetenda deligatio afferebat, multo tolerabiliorem experiretur, innumeras illas in abscessu ipso varietates, non sine admiratione contemplabatur ac observabat; tandem uno alterove fonticulorum sponte coëunte, præter primam &, ut ita dicam, originalem aperturam, unum modo adhuc restitabat foraminulum, & materia indesinenter mire variegata fœtorem aliqualem, putredinis alicujus intus latitantis indicium spirante, inflammationis aut gangrænæ sequelam metuens, Balsamo Peruviano melli rosaceo mixto, siphunculi adminiculo in aperturam illam ampliorem injecto, sed per alterum restans minus foraminulum identidem mox regurgitando, putredini obviam iturus, fœtori isti mederi tentavit, nec id quidem male; materia enim post excreta laudabilior ac fœtore rursus exuta spem aliquam meliorationis alicujus faciebat, utut varie illam, tam qua quantitatem, quam qua qualitates reliquas, aliquamdiu adhuc luderet; donec continuato pristino cum turundulis balsamo Arcæi imbutis, ac superimposito emplastro, hic miraculoso dicto, (licet tandem, quod smegmatis Veneti ratione, post diutinum illius usum epidermide extenuata, haud parum incommodaret) meo consilio, omisso sapone parato, benigno satis ac epidermidem conservante, deligandi modo, injectionibus balsami prædicti nonnunquam pro re nata interpolato, Anno 1712. vere appropinquante residuum etiam illud foraminulum coalescere incipiens, ulterioris sanationis fiduciam quadantenus stabiliret, ac materia indies magis magisque imminuta ac laudabiliori, major quoque ille ac originalis abscessus circa finem mensis Junii sensim coarctari, & sub initium Julii demum, quadriennium integrum pene hactenus apertus, penitus coalescere cœpit, ac amico meo ab ulteriori deligationis molestia libero gaudere, DEO pro hoc insigni beneficio debitas & condignas gratias agere, & de restituta sanitatis integritate, sibimet ea præsertim ætate, qua octogenario jam a triennio pene major, gratulari concessit. Vivit nunc a solicitudine

prio-

priori per Clementissimam Divinam gratiam liber, ac ulteriorem paternam Providentiam patienter præstolando, sic satis incolumis.

(*Berolino Augustam Vind. d. 6. Maji A. 1713. missa*)

OBSERVATIO LXXXVIII.

Dn. D. JOH. MELCHIORIS VERDRIES.

Hysterolithus.

INter innumeras mineralis regni delicias, ubi in scopulis quoque ipsis & lapidibus reperit Natura, in quo delectaret, tot figurati lapides, & petrefacta inprimis, oculos & animum sedulorum Naturæ inquisitorum in se convertunt ac retinent. Et sicuti nostris præsertim temporibus viri perspicaces atque industrii eo nituntur, ut curatius omnia excutiant: ita spes affulget, fore, ut institutis indies & collatis accuratioribus observationibus tandem certi, quid hac in re pernoscere & affirmare possimus. Sunt profecto plurimi lapides figuris, quas præ se ferunt, elegantibus ac curiosis sui pretium facientes, atque in admirationem nos rapientes, quorum maxime dubii adhuc sunt natales & occurrunt circa tot conchas petrefactas, cochlitas, echinitas, pectinites bucardites, hysterolithos, difficultates non contemnendæ, quas *Hector III.* noster doctissime nuper Clariss. *Woodvvardo* opposuit. Ego, uti controversiam illam hic non facio meam, qui rationes utrinque prægnantes video, ita specimina quædam rariora *Hysterolithi* ad oppidum & Castrum Braubach in Comitatu Catimelibocensi inferiori, ditionis Hasso Darmstadinæ, reperiundi exhibeo, in quibus invenias, quæ utrique sententiæ favere, eandemque probabilitatis specie commendare possent. Constans enim, perpetua atque accuratissime in omnibus expressa figura & proportio, sum distincta horum lapidum, atque separata quasi a majori, cui

innexi atque impliciti hærent, saxi portione structura & dispositio, quamvis quoad ipsam materiam ejusque naturalem mixtionem exigua observari possit differentia. *Vid. Fig. I.* Striæ item ac pectinitis vestigia cum in anteriori hujus frusti lapidei, tum posteriori *Fig. II.* ex parte exhibita facie, nec non *Fig. VII.* conspicua, quæ cum a conchis videantur impressa, conchas limo huic lapidescenti quondam permixtas fuisse testari possent, non vana sane indicia præbent, esse hos lapides nihil aliud, quam limum lapidescentem in conchis sui generis huic limo olim fluido in magna copia permixtis, tanquam totidem modiolis determinata hac figura expressum, testa tandem fatiscente aut quasi corrosa & absumta. Qua stante sententia, frustra profecto & æque ridicule vires uterinæ lapidi huic adscriberentur, ac si cuivis limo arenoso figura genitalium artificiose expressio, atque in lapidem cocto, similes vires tribuere velimus.

Ex adverso vero, imperfecta & lapidi solido continuo, durissimo, impressa hujus lapidis figura aut figuræ potius initium *vid. Fig. VIII.* ut in via incrementi figurata expressio videri possit, eorum sententiam confirmare videtur, qui seminii quid & hic agnoscunt, & analogiam quandam inter vegetabilia lapidescentia marina ac terrestria concreta, nec non lapidum in terra vegetationem ac incrementa proportionata & determinata secundum Naturæ variis figuris quasi ludentis ordinem, dari contendunt. Quo posito, probabiliori conjectura vires uterinæ in hoc lapide possent præsumi, ac si Divinus Creator, dum secundum Naturæ ordinem genitalium figura lapideam hanc materiam signatam voluit, digitum quasi ad vires intenderit; quamvis lubrico alias fundamento nitatur illa virtutum medicarum ex signatura rerum petendi ratio. Interea quantum ad argumentum pro posteriori hac sententia ex dicta figura desumendum attinet, non desunt, quæ regerere possint adversæ parti addicti, scilicet conchæ minoris modiolum expressionem hanc in materia lapidea olim molli luto sa produxisse; sicuti id quoque difficillime capio, quomodo in luto isto tenaci viscido possit dari vegetatio, aut ad hanc necessaria

saria partium expansio, præsertim cum nec radices, nec quod radicum vice fungi possit, detegere liceat. Quicquid sit, litem non facio meam, quamvis, quod differi nolim, ad priorem sententiam adhuc propendeat animus. Crebriores observationes rem aliquando in aperto collocabunt.

Fig. I. Portionem exhibet saxi durioris, cui præter strias & vestigia pectinitis impressa, quatuor perfecti & absoluti hysterolithi impliciti hærent, una cum frustis plurium similium, minus tamen conspicuis aut notabilibus.

F. II. Partem ejusdem frusti saxei ex aversa facie sistit, cui maxime notabiles pectinitis striæ insculptæ apparent, quarum præterea vestigia per totam aversæ partis superficiem frequentia satis occurrunt.

F. III. & IV. Hysterolithos binos perfectos extra matricem ostendunt.

F. V. VI. & VII. Hysterolithos aliquo modo irregulares a causa ambiente quasi compressos, & quoad figuræ ambitum exteriorem mutatos exhibent. In VII. N°. I. cumprimis juxta hysterolithi figuram satis conspicuæ cavitates striatæ cernuntur.

F. VII, N°. 2. Aversam ejusdem lapidis faciem exhibet.

F. VIII. Lapidis partem sistit durissimam, continuam, homogeneam, cui vestigium exiguum hysterolithi, & quidem quantum ego judicare valeo, quoad convexam superficiem impressum curiosissimo spectaculo conspicitur.

Hæc jam exaraveram, cum vir Clarissimus rerumque Naturalium inquisitor perindustrius Dn. *D. Kisnerus*, Medicinæ Practicus apud Francofurtenses experientissimus æque ac felicissimus, quem honoris ergo invisebam, alia duo hujus lapidis specimina satis curiosa ac rara, quorum illud, quod *Fig. X.* sistit, prope Confluentiam Trevirorum haud procul a tractu Braubacensi supra dicto repertum fuit, commonstraret, mihique his non minus

quam

quam aliis elegantiſſimis cochlitarum ſpeciminibus priorem ſententiam probabiliorem redderet. Permiſit etiam, pro ea qua eſt humanitate, haud gravatim laudatus vir, ut utrumque & delineari & hic exhiberi curarem.

F. IX. Ab utraque facie hic N°. 1. & 2. delineata præter hyſterolithos pectunculorum veſtigia manifeſte ſiſtit.

F. X. Elegantibus ſtriis utrinque inſignis ab una parte N°. 1. hyſterolithum, ab altera N°. 2. mytilitem exhibet, ita ut curatius inſpicienti non improbabile videatur, binas hic diverſi generis conchas luto tenaci lapideſcenti forte implicitas coaluiſſe.

OBSERVATIO LXXXIX.

DN. D. JOH. MELCHIORIS VERDRIES.

Figura in medio Fagi reperta.

OBſervatio CLVIII. Miſcellaneorum Decur. III. Anni 9. & 10. ad animum mihi revocavit aliam figuram, in medio Fagi arboris trunco depictam, quam adhuc cum ipſa trunci, in qua delineata cernitur, parte ſervo, cujusque rationem, ſi exterior cortex fuiſſet avulſus, quod facile fieri potuiſſet, nemo ſane, niſi ad Naturam ludentem confugiendo, reddere quiviſſet, cum nulla plane nec ſeparatæ arbuſculæ, nec inciſionis veſtigia ullibi in ligno reperiri aut detegi poſſint, quin illud potius circumcirca ſolidiſſimum, firmum, continuum, ſine ullo corruptionis indicio conſpicitur. Cortex nempe exterior, qui eandem figuram, ſed valde explicatam & obliteratam, fere exhibet, ſolus veram figuræ interioris originem & cauſam oſtendit. Scilicet, quod res ipſa docet, figura hæc tenellæ adhuc arbuſculæ ſatis profunde erat inciſa, unde factum, ut inciſionis ductus in meditullio læſarum partium corruptionem produxerint, hæque nigredine inde infectæ læſionis

Observ. LXXXVIII.

F. I.

F. II.

F. III.

F. IV.



F. V.

F. VI.

F. VII. N. 1.



F. VII. N. 2.

F. VIII.



F. IX. N. 1.

F. IX. N. 2.

F. X. N. 1.

F. X. N. 2.



Observ. LXXXIX.

F. I.

F. II.

nis vestigia retinuerint, nova postea, cum arbor increscceret, materia novisque fibrarum fasciculis inter exteriores & interiores partes interpositis.

F. I. Exhibet figuram in meditullio depictam.
F. II. Exteriorem in cortice delineatam.

OBSERVATIO XC.

Dn. D. JOH. MELCHIORIS VERDRIES.

Mania a Vini abusu.

LOcri olim, ut est apud Ælianum, optimo pro conservanda republica instituto, mortis ei supplicium adjudicabant, qui ægrotans vinum merum bibisset, Medico non jubente, etiamsi ad pristinam valetudinem rediisset, quoniam non jussus biberat. Nostra sane tempora atque mores leges quoque severiores exposcerent, quibus ægri salutaribus ingenuorum Medicorum monitis magis audientes reddi possent. Multi sic servarentur, qui si non morte luunt perversitatem illam, sanitate tamen misere excidunt, & ab ea in optimo sæpe vitæ apparatu destituuntur. Eoque magis optandum esset, ut Magistratus Medicastrorum illam, quæ hanc perversitatis labem producit & alit, (illis enim magis obedientes sunt quam Medicis) publice mentiendi, nocendi atque occidendi licentiam compescceret. De vino imprimis mihi semper hic dimicandum est cum imperitis & mulierculis, qui, in omnibus indiscriminatim morbis & infirmitatibus, vinum ægris ad vires instaurandas exhibendum, crepant, ad exempla multum dissimilia, ubi vino refecti fuerint ægri, provocantes, Medicisque hic non obtemperandum clamantes: præsertim si Medicastrum aliquem consentientem habeant. Exitus interea acta probat, ubi id saltem deplorandum, quod non tam ipsius doli fabricatores aut nasutulæ, quæ circa sunt mulierculæ, quam innocens sæpissime æger, dementis consilii pœnas dent. Triste haud ita pridem

ejusmodi exemplum vidi in puerpera. Fœmina erat viginti circiter annorum, temperamenti sanguinei, habitus plenioris floridi, primipara, quæ cum partu filii feliciter esset defuncta, & satis ex voto valeret, ex vesano muliercularum consilio, quæ vires simul sic redituras contendebant, sitim puerperis familiarem solo fere vino depellere conabatur, contra expressum Medici mandatum, qui, pro illo inprimis corporis statu & habitu fusius, additis rationibus, nocumenta vini exposuerat. Quo effectum est, ut calor & sitis increscerent, lochia sensim deficerent, febris ad delirium usque ingrueret. Tum igitur spreta Medici consilia denuo exposcunt, qui ordinata diæta exhibitisque temperantibus aliisque convenibus remediis. Deo benedicente, omnia in melius restituit. Deserit tandem lectum puerpera atq; satis bene habet, nisi quod de oppressionibus pectoris atque anxietatibus præcordialibus hysterici subinde conquereretur; quibus cum Medicus, cui causa mali, quæ nihil aliud erat, quam orgasmus sanguinis elastici, perspecta erat, incisa vena, temperantibus decoctis diluentibus terreis, nitratis, ☿iatis, itemque antispasmodicis cinnabarinis, castoreatis, obviam iret, mulierculæ rursus in contraria ibant, atque vino malum expugnandum censebant, subesse quid melancholici, adeoque vino exhilarandam ægram ac tristes cogitationes depellendas, assidue inculcantes; quid enim in aqueis potionibus, in terreis pulveribus posset residere virium; fortioribus, spirituosis hic opus esse. Tandem, nescio quis agyrta vel vetula accedit, quæ tantum vini, quantum ægra bibere posset, ad vomitum usque vesperi exhibendum suadet, ita futurum, ut obdormiscat atque mane omnia in melius mutata sint. Dictum factum, ægra, quantumvis reniteretur ad vinum ingurgitandum cogitur, donec vomitu omne rejiceret & somnus tandem obreperet, quo mane peracto loco speratæ valetudinis pessimus sequebatur effectus: anxietas enim præcordialis ægram inquietam plane reddebat, illaque torvum videbat, oculi fulgebant, facies rubicundissima tantum non ardebat, sanæ mentis usus jam perierat, ita ut postridie maniaca redde-

deretur. Is ſcilicet erat egregius vini effectus. Medicus denuo in conſilium vocatus perverſitatem conſilii muliereulis exprobrat, venas aperiri curat, calida fugienda, quin potius diluentia aquea exhibenda inculcat, Data & ſanguinis fervorem reſtinguentia præſcribit, quibus vis mali atque vehementia fracta quidem fuit, Melancholia tamen per aliquot menſes adhuc duravit, quæ nec helleboro, nec ſanguine aſinino, nec ſuperſtitioſis pluribus clam Medico ex- & adhibitis remediis, potuit extirpari, donec acidulæ Schwalbacenſes in ipſo loco ad fontem per aliquod temporis ſpatium hauſtæ, DEO benedicente, priſtinam ſanitatem mentisque vigorem ægræ, reſtituerent, quæ ab illo tempore ſana vivit & incolumis, atque ſecundo etiam puerperio feliciter defuncta eſt, in quo, jam cautior facta, diætam ex præſcripto Medici exacte obſervavit.

(*Giſſa Auguſtam Vind. d. 6. Maji A. 1713. miſſæ.*)

OBSERVATIO XCI.

Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI HERTII.

De Calculis veſicæ bilariæ.

VIr 45. annorum, temperamenti melancholici & de reliquo cachecticum corporis habitum præ ſe ferens, ab aliquo tempore de laſſitudine corporis ſpontanea, appetitus imminutione, dolore dextri lateris tenſivo atque gravativo conqueri cœpit, quibus gravis quoque atque pertinax cardialgicus dolor ſæpe ſupervenit, adeo quidem patientem vexans, ut vel cauſam morbi in ventriculo hærere multi fuerint perſuaſi. Cum vero ad tollendum hoc malum multa incaſſum fuerint tentata, idque ipſum potius altiores ſemper egerit radices, augeſcente inter alia indies malo illo corporis habitu; tandem in ipſam hydropem aſcitem incidit æger, eodemque etiam paulo poſt mortuus eſt. Aper-

to vero corpore tres calculi in vesicula fellea, quales delineatos hac occasione transmitto, (*vid. Fig.*) reperti sunt.

(*Gissa Augustam Vind. d. 5. Maji. A. 1713. per Nob. D. D. Dillenium missa.*)

OBSERVATIO XCII.

Dn. D. LVCÆ SCHRÖCKII.

Calculorum singularis excretio.

QVam hic exhibeo observationem, Amicorum relationi, & favori inprimis Collegæ mei, Excell. Dn. D. Joh. Matthæi Schüsleri debeo. Mercatoris nempe, in ætate octoginta annorum constituti; qui sanus cæteroquin, nec diætæ erroribus deditus, cum Anno 1710. extra urbem rheda exspatiatum iviſſet, vinumque Tirolense, alias ipsi inconsuetum bibisset, aliquoties cum urina parvos calculos, absque dolore tamen & incommodo alio, quam exiguo solummodo urinæ ardore, excreverat, optima dein valetudine aliquandiu gavisus, nisi quod unica vice aliqualem in urinæ emissione difficultatem senserit, ut eandem sedendo excernere cogeretur. Post dimidii vero anni decursum, urina clara sanæque simili, pulsu autem debili, æquali tamen, exsistentibus, atrocibus correptus fuit in abdomine doloribus, cum totius corporis lassitudine, ut ipse mortem sibi instare crederet, a potu tamen vini Neccarini Hispanico permixti denuo refocillatus; tandem post vini Hungarici Sempronienſis moderatum, uncias sex septemve non excedentem, vesperi ter repetitum haustum, & tranquille peractam noctem, mane urinam emissurus, septuaginta calculos, pisorum magnitudine, duorum triumve granorum pondere, glabros, rotundiusculos, varie tamen ex mutuo attactu vel attritu in lateribus depressos, duros, externa crusta flavescentes, interna vero substantia obscuriore colore præditos; altero die, continuato vini Hungarici potu, sexaginta sex,

plu-

pluresque alios ſequentibus diebus, pauco ſaltem ardore comite, excrevit; ut ſpatio quinque dierum, ultra trecentos eorum, præter complures arenulas, ejecerit; & licet poſtea non tantum de ardore urinæ, ſed corporis etiam debilitate conqueſtus fuerit, ab Opobalſami tamen uſu in integrum fuit reſtitutus, nec de alio aliquo calculoſo inſultu amplius conqueſtus.

Calculos hoſce in peculiari folliculo prope alterutrius ureteris in veſicam ingreſſum, quacunque demum ex cauſa efformato, in quem ſenſim ex renibus deſcenderint, fuiſſe collectos, eoque rupto, tandem excluſos, ſuſpicor, cum in ipſa cavitate veſicæ delituiſſe ipſos, nullum ſignum adfuerit; nec in inſtanti eosdem coaluiſſe veriſimile videatur. Et plures ſane calculos cavitati alicui in veſica incluſos memorant Nicol. Tulpius lib. 1. obſ. med. c. 5. (conf. etiam lib. 2. cap. 47.) Joh. Georg. Schenckius lib. 3. obſ. med. Thom. Willis diſſ. de urin. cap. 5. Acta Erud. Lipſ. Anno 1685. pag. 126, & Nova liter. Hamburg. A. 1708. pag. 470. Cæterum non abſimiles calculos rotundos, forma & magnitudine piſorum, numero ducentos, a Matrona ſaxagenaria, cum urinæ ſuppreſſione, doloribusque acutiſſimis nephriticis, totidemque poſt ſemeſtre ab eadem & eodem conatu rejectos, referunt Ephemerides noſtræ Dec. 2. Ann. 4. obſ. 14. aliosque plusquam centum, ciceres magnitudine, colore & figura referentes, ſed lateribus quodammodo depreſſos, in una hebdomade, nec non poſt menſem iterum totidem a viro excretos habet Iſaac Cattierius in obſ. med. Petro Borello commun. 1. quadringentos inſuper bimeſtri ſpatio, diverſæ tamen magnitudinis, a muliere emiſſos Dominic. Panarolus pent. 2. Obſ. med. 34. recenſent.

OBSERVATIO XCIII.

Dn. D. DAVIDIS CHRISTIANI VALTHERI,

De

Sabinatrium Sabinarum Morte.

MEdicamenta pellentia in tempore adhibita instar Panaceæ; minus opportune vero instar gladii in manu furiosi esse, Medicis notum est. Anno 1711. in pago quodam vicino felicem degebat vitam obstetrix, uti credebatur, expertissima. Siquidem in partu difficili multum sciebat, multaque adhibebat medicamenta. Sed non intellecti nulla est curatio morbi. Cum enim obstetrix nostra in omni casu, & in omnibus subjectis loco summi specifici uteretur Sabina herba, medicamento emmenagogo, & ad fœtum ejiciendum lippis & tonsoribus noto, factum est, ut casu tres mulierculæ, unum idemque nomen lustricum Sabinæ gerentes, partu difficillimo in eodem anno, sed non in eodem mense laborarent. Quid fit? Lucina nostra talem fert opem. Statim parabat decoctum ex supradicta herba Sabina, & ad bibendum, seu potius potandum, ut ita dicam, propinabat, quia dosin consuetam minime observabat, ast proh dolor! infelici cum successu. Fœtus enim cum animabus trium misellarum parturientium ejiciebantur. Itaque necesse est, ut cautius imposterum mercari discat insaniens obstetrix. Siquidem unum tragicum exemplum, licet maxime detestandum, loco experimenti per mortem satis fuisset. Sed quis ante infortunium prudens? Nemo Terentium, ita docentem, audire cupit: Isthuc est sapere, non quod ante pedes modo est videre, sed & illa, quæ futura sunt, prospicere. Medicamenta enim domestica, scribit B. D. D. Hagendorn, non raro ægrum cum vita e domo pellunt.

OBSER-

OBSERVATIO XCIV.

Dn. D. DAVIDIS CHRISTIANI VALTHERI.

De

Epilepsia Salivatione curata.

QVisque suæ fortunæ faber, uti sequens testatur historia. Centurio, nobili genere natus, magis Veneris, quam Martis castra visitans, incidebat in morbum gallicum, unde Chirurgus more consveto salivationem suadebat & procreabat. Cum autem æger restitutus 1712. thermis Carolinis uteretur, redierunt atrociores hostes cum convulsionibus, ex quibus postea morbus iste Herculeus, epilepsia, summo cum terrore adstantium enatus est. Medici causam hujus mali partim thermis, partim malo hypochondriaco, partim nimio Veneris usui adscribebant. Sed ultimi rem saltem, ut ego judico, acu tetigerunt. Itaque meum efflagitabatur consilium & auxilium. Facile defero petitis & adhibeo, præmissis universalibus, medicamenta antivenerea, antepileptica &c. ast omnia incassum. Etsi enim paroxysmus per gradus ex capite in corporis artus, more solito, non adeo descenderet, factum tamen est, ut post decem circiter dies uno impetu totum corpus misere convelleretur. Postea quidam amicorum, Midæ auriculis judicans, commendabat iterum salivationem & quidem bono cum successu. Evenit enim, ut æger postero tempore convalesceret integre summa cum ingratitudine erga Medicos, ratione nempe denegati sostri. Ex qua historia patet, servum fugitivum, Mercurium, heroëm maximum interdum fugare posse. *Conf. Obs. C.I.D.D. Joh. Acoluthi, Obs. CLXVI. Dec. II. ann. IX. Eph. nostr. Acad. Nat. Cur.*

(*Dresda Augustam Vind. d. 13. Maji A. 1713. missa*)

OBSER-

OBSERVATIO XCV.

Dn. D. JOANNIS SERMES.

Observata circa geneſin Dentium.

VEhementer dubito, an aliquid novi in œconomia animali ratione a priori detegatur, an potius forte fortuito lux tenebricoſa affulgeat prius, quæ poſtea ratione & ſedula inquiſitione in claram prorumpit diem. Poſterius cum mihi ſemper plus arriſerit, vide hujus rei argumentum. Ante aliquod tempus domi meæ inter alios amicos Medicos atque Chirurgos, qui tum aderant, Andreas Verduyn, Petri Filius, hanc movebat quæſtionem, ubinam remanerent dentium lacteareorum radices? Quotquot enim extraxerat hujusmodi dentes in pueris 7. 8. novemque annorum, carebant radicibus; ſed addebat: propius inſpecto dente videtur radix diffracta vel abraſa. Hoc pronunciatum duo tresve Chirurgi annuebant. Ego hoc poſtulato obrutus, nihil hac de re intacta penes omnes, (quot noverim) auctores meditatus, negabam cum Fallopio, Veſalio aliisque anatomicis celeberrimis, dentes illos cadentes gaudere radicibus, atque ſtatim demonſtrabam dentes tales radicibus apertis: ſed quod notandum, apertura hæc erat ubique æqualis, & radix multo longior, quam radix cadentis ſemper eſt. In hanc opinionem tranſiere quidam, atque ego mihi ipſe hac reſponſione nec demonſtratione ſatisfeci, nec etiam chirurgis, hominibus quippe verſatiſſimis. Ergo me applicui ad ulteriorem examinationem & veri indagationem. Auctores vero, quotquot pervolvi, nil attulere lucis contra præparata mea verterunt meam tunc temporis opinionem funditus. Priusquam vero hunc ſolvam nodum, breve judico tradendum ſchema geneſeos dentium. Ut igitur rem aggrediar, en meas hactenus circa dentes obſervationes. Quemadmodum omnium oſſium rudimenta in ſemine, ſic omnium den-

dentium primitiæ in alveolis existunt, & quotquot unquam prodeunt dentes, tot sunt eorum semina. Sed alio plane modo res se habet in dentibus, quam in reliquis ossibus. Os enim totum in suis primitiis adest, quod tandem impulsu nutrimenti & incrementi indurescit, & ad perfectionem pervenit. Dens vero, constans cortice & medulla, alium sibi vindicat geneseos ordinem, nempe semen dentis proprie est ejus substantia corticalis, quæ juxta fibrarum cursum (de quo accurate Clopton Havers) complementum suum acquirit. Medullaris autem substantia rudis est indigestaque moles, nec aliquis fibrarum ordo in hac, perfecto jam dente, uti in aliis quidem ossibus apparet. Hinc rejicienda quorundam opinio, qui putant, corticem oriri ab aëre, dentem ambiente illumque condensante, cum aëris condensatio situm fibrarum hic loci accuratum & semper sibi æqualem non producat, præterea cum pars corticalis (ut recte annotavit Doctor Gagliardus) cum medullari constituat non continuum, sed contiguum quid. Sed vide, quomodo formetur tandem pars medullaris dentis. Satis superque notum est, ad quamlibet dentis radicem tendere venam, arteriam & nervum, tria hæc intrant bursulam continentem in recens nato infante formatum corticem. Hæc bursula mihi videtur a gingivis mutuata, si enim a mandibulis avello gingivas, simul extraho bursulam illam cum dente. Interim cortex totus cavus est, in quem arteria evomit materiam ad formandam dentis medullam aptam & convenientem, quæ materies, implens corticis simul & totius alveoli cavitatem, affert figuram radicibus dentium pro modulo alveoli. Hæ radices antequam attingunt fundum alveoli, omnino cavæ sunt; (quod me prius fefellit, uti ex præcedentibus potuisti videre) sed cum in angustum terminentur alveoli, etiam radices in apicem desinunt, atque tum claudantur, & intrinsecus accrescunt, relicto spatio tribus dictis vasis, quæ se in corona dentis aliquantum explicant per membranam, dentis cavitatem intrinsecus succingentem, hæc autem cavitas in corona reperitur maxime notabilis. Hinc vides facile, me judicare, proprie non esse terminum in ipsa radice, (quæ est continuatio medullaris substantiæ) ad quem perduret ejus incrementum, uti

in cortice & reliquis ossibus omnino datur. Sed incrementum terminatur, quoniam dentes utriusque maxillæ conveniunt, & ab hac continua collisione incrementum radicum dentium utriusque maxillæ præpeditur ulterius. Hoc exinde magis patet, si dens aliquis in adulto pereat, in altera maxilla dens huic jam cavitati oppositus, reliquis sui ordinis dentibus (licet incrementum in adultis tanto vigore non procedat) multo plus excrescit. Tandem habes hujus rei exemplar in ossium fractorum callo. Accrescente interim radice perforat cortex suam bursulam, & gingivis paulatim eminet, relicta in alveolo bursula pro radicis periostio. Sic comparatum est cum dentium proventu, quantum potui expiscari & ad oculum demonstrare.

Vt jam accingar ad postulati solutionem, scitu opus est, quod Magnus Eustachius jam diu literato orbi communicavit, dentes scilicet secundarios vel eorum primitias in alveolis distinctis a prioribus esse locatos, & lactearíis subjectos, vel paululum ad latus, vel directe sub iis, saltem eo modo subjacent, ut secundarii non possint egredi, quin tangant priores, (loquor scilicet de statu ordinario.) Cum hi prorumpunt, quod a 7. ad 10mum fere annum fieri solet, cadunt lactearii. Quæritur jam ratio, qua cadant. Vulgaris recentiorum opinio hæc est, considerant dentes apprime implere suos alveolos, (quod & nos innuimus,) cum autem dentes sint solide compacti, maxilla vero in hac ætate rara adhuc, & porro sanguis incrementum & nutrimentum præbens, æquali fere vi versus omnes feratur partes, necessario maxilla multo citius augetur dentibus, hinc alveoli non tam accurate amplectuntur dentes amplius, qui propterea vacillantes tandem cadunt. Hanc putant primam, si non unicam causam, cur cadant hi dentes. Addunt, dentes secundarios adjuvare hunc dentium casum, sed modum, quo juvant, silent. Alii, inter quos Eustachius, ab his protrudi lactearios dicunt, sed si protruduntur, cur non simul eorum radix extruditur.

Videamus, an hæc opinio cum experientia, vero illo humanarum rerum lydio lapide, congruat. Revera causa hæc prima

ma fronte delectat, & si lactearii nunquam non caderent, vix esset in dubium vocanda. Sed vide quid obstet, cur hanc rationem minus admittere possim, saltem non primo loco.

Non raro videmus vulgarem naturæ operandi methodum falli in dentium renovatione, cum nempe secundarii dentes prodeunt, manentibus prioribus, quo in casu, ni irregularitatem velimus adesse, extrahendi sunt lactearii minime vacillantes. Quis hic negabit amplificationem maxillæ & alveolorum majorem incremento dentium? attamen fixi inhærent suis alveolis, imo non raro, (si permittantur) ad ultimum vitæ terminum, teste experientia. Præterea si rem exquisitiori subjicimus examini, observabimus alveolos, quibus inhærent lactearii, proprie non ampliari, sed augeri maxillæ substantiam circumcirca alveolos. Hoc iterum edocebit experientia: in puero enim 4. vel 5. annorum, omnes jam habente dentes lactearios, videmus dentes illos se invicem tangere, crescente maxilla linquitur spatium intermedium, dentibus adhuc dum fixis. Sed objicies forsan, dentes secundarii non possent contineri in angustis illis alveolis, hinc oportet illos aucta maxilla itidem ampliari. Partim cadit illa objectio propter allatam superius experientiam: sed sciendum porro, primo, alveolos dentium secundariorum privatos esse capaciores, in quibus eorum cortex ad perfectam fere duritiem pervenit; secundo, alveolos locatos esse in parte spongiosa maxillæ. Hinc increscente radice summus dens sensim pertundit laminam distinguentem alveolorum ordines, & protruditur in alveolum lactearii, qui alveolus sensim sensimque adaptatur huic denti capiendo, æque ac gutta lapidem cavat, non vi, sed sæpe cadendo. Concludo itaque, si secundarius dens lactearium non tangat, lactearium permanere.

Atque sic opinor lactearium cadere, quia secundarius eum extrudit, idque hoc modo, cum jam eo usque productus est secundarius, ut tangat cadentis radicem, continua illa & nunquam cessante protrusione terit radicem lactearii, imo eam plane conterit, ut nil nisi corona dentis maneat, hinc radice ergo & stabi-

limento orbatus dens cadit facile. Hujus rei veritate potes ipse convinci, si inspicias dentem sponte sua cadentem, vel morsu, vel aliquando linguæ allisione, imo & tussi non raro vehementiori expulsum, tum apparebit inferior pars dentis læsa statim sub corona: manifestum indicium (ipso enim momento expulsionis non diffracta radix est, cum gradatim vacillatio pergat) radicem sensim consumi.

Hanc sententiam porro roboravit praxis satis celebris ejusdem illius supra laudati Verduyn. Hic scilicet vocatus, ut visitaret puerum 8. vel 9. annis, invenit lactearium adhuc omnino fixum, & secundarium, qui huic deberet succedere, jam eminentem. Ille, cum parentes nitori prolis studebant, eruit lactearium. Viso dente obstupuit propter rem insolitam; gaudebat quippe radice satis longa, ut solent incisorii, (erat enim hujus speciei) abluto dente præterea videbat, a parte posteriori & laterali magnam consumptionem radicis, adeo ut dimidia pars radicis esset abrasa. Hæc consumptio erat nec carie, nec alia quadam causa interna orta: os enim carie correptum nigrescit, & quodammodo rarefit, sed color & substantia huic denti remanserunt: hinc concludo, secundarium dentem pro parte hunc attrivisse. Et propter rei inconsvetudinem hunc dentem inter rariora mea conservo.

Vbi autem minutissima illa ramenta abeant, an in alveo remaneant, an vero per insensibilem transpirationem foras eliminentur, eruditissimis tuis meditationibus relinquo: mihi, cum illorum ramentorum postea nihil invenio, posterior placeret conjectura.

En solutum postulatum, & mea circa dentium genesin observata; quæ si lumine digna censes, potes ea in lucem proferre: & prout grati sunt leves hi mei conatus, stimulum addent, quo majoris ponderis res aggrediar. Amstelodami ipsis Calendis Aprilis M DCC XIII.

(*Wittemberga Augustam Vind. d. 14. Maji A. 1713. a Nob. D. D. Abr. Vatero missa.*)

OBSER-

OBSERVATIO XCVI.

Dn. D. CHRISTIANI MICHAELIS ADOLPHI.

De capite gallinæ lapideo.

ALui quandam gallinam, cujus calvaria tota excrescentiis calculosis, præduris cinereum colorem referentibus, inæqualibus, asperis obsessa erat, quæ si digiti saltem ungue aut cultello tangebantur, clangor quidam, quem lapides ex simili allisu edere solent, auribus deprehendi potuit.

Indies excrescentiæ illæ lapidosæ ad duplam usque capitis magnitudinem creverunt, caput gravius reddebatur, adeo ut tandem non amplius erectum gerere potuerit, sed in terra semper denissum ac jacens tenere oportuerit. Ideo grana nonnisi magna difficultate assumere potuit, nam statim caput iterum præ gravitate in terram ruebat. Sicque sensim emaciata decima septimana moriebatur.

OBSERVATIO XCVII.

Dn. D. CHRISTIANI MICHAELIS ADOLPHI.

De *Convulsione reciproca.*

IN Juvene 26. annorum Studioso, sanguineo-cholerico cholera atroci correpto, inter alia circa morbi incrementum dolor, mox convulsio horrenda in suris, superciliis & oculis reciproca, notata est, illa in suris semper præcedebat, remissa in his supercilia oculosque torquebat, & his iterum relictis, ad illas descendebat, liberis interim prioribus & sic vice versa. Quæ vicissitudo minus jucunda ad alterum usque diem sæpius recurrens durabat.

OBSERVATIO XCVIII.

Dn. D. CHRISTIANI MICHAELIS ADOLPHI.

De

Crisi singulari.

IN eodem ægro quoque crisis singularis observata est. Corripiebatur enim, quod solenne est, simul febre continua per morbi tempora ad sextum usque diem affligente, quæ die hoc ultimo sexto scil. infrigidatione per totum corpus, ab artubus incipiente subita, magna, corpusque conquassante suborta & per 6. horas durante solvebatur, nihil boni primum ægro, adstantibus me medicoque ipso hariolantibus. Ast finita hac infrigidatione omnis malorum series simul cessabat.

OBSERVATIO XCIX.

Dn. D. CHRISTIANI MICHAELIS ADOLPHI.

Vermes referri possunt ad morbos epidemios.

EX longa observatione mihi constat, aëre, ventis, tempestate occidentalibus, maxime vero austrinis, humido-tepidis, calidis existentibus vermes utplurimum corpora infestare. Idem constat mihi aliisque non modo de hominibus, sed & de equis, canibus, lignis, seminibus &c. quæ citius tunc ab iis roduntur atque exeduntur. Palam enim est Vermes, ejusmodi aëris constitutione humido-calida scilicet ad putredinem disponente, qua generantur, foventurque, maxime gaudere.

(*Lipsia Augustam Vind. d. 17. Maji A. 1713. missa.*)

OBSER-

OBSERVATIO C.

Dn. D. MICHAELIS ALBERTI.

De

Morte critice dilata.

VLtimum hominis fatum mortem esse, res nudæ divinæ revelationis est: cur vero homines moriantur, & cur non in perpetuum vivant, dum quinquaginta, imo octoginta annos transigant, res nullius physicæ demonstrationis est: tanto minus vero humanæ rationi consonum, nedum fidæ & indubitatæ experientiæ congruum est, exquisitum mortis terminum prædicere, interea reservatos & accuratos naturæ ordines & terminos in dimittenda machina corporis, ut res facti observare & describere, negotium non modo consideratu dignum, sed & dijudicatu utile est. Non placet præsagia animæ de futura & instante morte describere, cujus rei variæ historiæ occurrunt, sed criticæ mortis dilationis lectu digna practica observatione mentionem facere. Vocatus fui Bitterfeldam ad ægrotantem virum honestum quadraginta annorum Cholerico-Melancholici temperamenti, admodum activæ indolis, iracundiæ multum expositum, conspicuum Plethoricum, antehac & Rheumatismis & Erysipelaceis pathematibus frequentius obnoxium, in diæta lauta & plena constitutum; commovebatur hic aliquando post prandium, quo pingue assatum comederat, & recentem cerevisiam Regiæ Lutteræ coctam, quam **Duckstein** appellant, superbiberat, gravissimæ iracundiæ œstro, quo vero non exsatiato, tandem circa vesperam de insvetis capitis vertiginosis perturbationibus conquerebatur, superveniente Cardialgia, & gravi virium & appetitus dejectione. Ad insolita hæc Pathemata mitiganda ante decubitum in lectum, sub persvasione nimium oppleti ventriculi & turbati appetitus, largam dosin Elixirii Proprietatis cum haustulo vini boni excepit, sed sequentem noctem maxime inquietus sub horroribus &

ar-

ardoribus internis, æstu vero externo transegit: aderat perfecta febris Cholerica, anxietas præcordialis enormis, sitis intensa, siccitas faucium multa & molesta, alvus erat firmiter adstricta. Commendabantur ante meum accessum Bezoardica, & spirituosa, nec non Essentificata, urgebatur sudor, per remedia & regimina calida, qui tamen sub horroribus intercurrentibus parum successerat; nihil inde meliorabatur totus status, sed indies augescebat, donec quarto die anxius & parcus vomitus acerrimæ materiæ eveniebat, qui, cum vix notatu dignus fuerit, parum levabat patientem; ordinabantur adhuc ante adventum meum eadem bezoardica terreis, ustis, aliisque absorbentibus ita dictis præcipitantibus. Quinto die emicuit Erysipelas capitis, quod tamen sexto iterum disparuit; cum sexto hoc die accessissem, rem periculosissimam & deprehendi & prædixi, ita ut nec tum quidem ad commendanda auxilia persuaderi potuerim, a quibus tanto magis abstinui, cum jam deliria imminentia advertissem; accessit septimus funestus dies, ubi omnia symptomata sub deliriorum sexto jam die enatorum gravi & furibunda perseveratione, ad mortem properabant, quæ vero & conjugi, ægrotantis mariti, & infantibus inopinata imo incredibilis fuerat; incidit pomeridiana tertia in agonem, cum facie ita dicta Hippocratica: hanc tragœdiam advertens anxia conjux, cum jam emori vellet maritus, ad aures & latus ejus, una cum pluribus infantibus horridos clamores, ejulatus & stupendas lamentationes instituit effuditque, unde morituriens maritus oculos antea semi-clausos, quasi e somno expergefactus attollere & adverso quodam vultu conjugem intueri cœpit; aderat jam aphonia, exspectabat interea anxia familia mortem domini; qui vero ab hac hora, hocque die, per septem succedentes dies sine loquela, sub auditus privatione sine cibo & potu, cum confractis oculis, facieque Hippocratica, sub levi & debili respiratione, pulsu inæquali, modo caprizante, modo ita dicto myuro, sine alvi depositione & urinæ excretione ita semimortuus decubuit, donec circumactis hisce septem die-

diebus appropinquante hora pomeridiana tertia, in qua antehac per enormes clamores adstantium quasi revocatus fuit, placide obdormivit.

OBSERVATIO CI.

Dn. D. MICHAELIS ALBERTI.

De *Fluxu Menstruo per sudorem sanguinis e pedibus.*

QVamvis non inauditum sit, menses per insolitas etiam vias successisse, nunquam tamen sæpe quid dicitur, quod non semel discitur, secundum Senecæ effatum, ut propterea quam maxime hæ observationes penitiorem attentionem mereantur, tanto magis, quoad ætiologicam earundem explicationem & illustrationem, cum non satisfaciat, hos eventus gravitati aut ponderositati sanguinis, aut acriori crasi ejusdem adscribere; cui tamen universaliori deductioni repugnare videntur hæc phænomena, quî fiat hanc suppositam qualitatem decimo tertio aut decimo quarto ætatis anno oriri, efficacem esse, quinquagesimo vero cessare, & inefficacem esse? quî animi pathemata; præcipue vero Terror has physicas qualitates alterare posset? quî hæc qualitas singulis menstruis periodis activa deprehendatur? qui extra corpus & non intra corpus operosa occurrat, ut sanguis non in cavitatem Thoracis, mæandros cerebri, & capacitatem abdominis effluat &c. Quam vero rem ut ætiologicam missam facio, & notabilem insuper casum practicum, hoc negotium concernentem, fida manu recenseo. Obtigit mihi ancilla hic loci, in suburbio, quod Glaucham appellant, quæ inserviebat officiis spirituum ardentium destillationibus dicatis, hæc cum aliquando feces fervidas, ab aliqua tali destillatione residuas, negligentius tractaret, utrosque suos pedes, tunc nudos, cum illis fervidis fecibus gravissime adussit, ex qua vehementi ambustione, circa illud tempus, quo proxime

xime menſtruus fluxus recurrere debuerat, commiſſa, non modo in graviſſimum terrorem, ſed intenſiſſimum dolorem prolapſa eſt, imo cum juſtus metus, proximæ Sphaceloſæ corruptionis advenerit, ex eo miſera hæc ancilla maximopere moraliter anxia reddita eſt. Fuit vero hæc famula & activæ antea indolis & notorie Plethorica. Subſiſtebant ab hac ambuſtione menſes per ſeptem circiter ſeptimanas: cum vero interea cura ita feliciter ceſſiſſet, ut non modo corruptela talis præoccupata, ſed & pedes optime reſtituti fuerint, ita poſthæc menſium ſuppreſſio, anguſtia præcordialis & reſpirandi difficultas hanc ſervam anxiam iterum detinebant. Accidit vero brevi poſt, ut eo tempore, quo hic fluxus recurrere debebat, dolores quosdam tenſorios, oppletorios & leviter ſpaſticos in pedibus experiretur, donec tandem circa malleolum & ſub ſuris ex utroque pede per recenter natam & tenerrimam cuticulam floridus ſanguis in notabili quantitate, guttatim transſtillaret, iterumque poſt aliquam moram effluere ſponte ceſſaret. Mitigabatur anguſtia illa præcordialis & dyſpnœa moleſta. Ab hinc poſt tres, cum dimidia, ſeptimanas eadem ſcena in ancilla ludebatur; quem fluxum cum inſolitum menſtruum diſcernerem, cum convenientibus remediis & conſiliis, aſſiſtente divina benignitate, in juſtas vias juſtumque ordinem efficaciter transtuli.

OBSER-

OBSERVATIO CII.

Dn. D. MICHAELIS ALBERTI.

De

Experimento Letali in se ipso temerarii Empirici Balneatoris.

ANimum humanum perquam facile extra choream saltare & sphæram suam transgredi, res quotidianæ observationis est. Occurrunt hujus rei aperta testimonia in multis Chirurgis & Balneatoribus, qui non suo officio contenti per meras temeritates Medicorum officia affectant, & pharmaceuticam opem, circa interna occupatam, non modo audacter promittunt, sed & impune urgent; qualibus vero cum eventibus & successibus, luctuosæ observationes affatim contestantur. Transscripsit ad me Medicinæ Doctor & Practicus Hexapolitanus literas, quibus judicium meum circa præsentem casum efflagitavit. Puerpera sensibilioris animi & corporis incidit impeditiorem successum Lochiorum, e quo non modo varias inquietudines in abdomine experiebatur, sed febrilibus motibus affligebatur: alvus interea solito magis sicca, imo clausa fuerat: admittebat hæc persuasionem alicujus balneatoris forte consanguinei, qui promta manu pulverem adversum maxime, & mediocriter per initia arrodentem Salinum obtulit, sub tentamine referandi alvum, quo obtento faciliorem reliquorum pathematum mitigationem imperite prædixit: Puerpera sub spe infallibilis futuræ sanitatis, quam ex Rhetorica sua balneator promiserat, promte hunc pulvillum ominosum assumsit, unde in gravissimam Diarrhœam prolapsa est, quæ per biduum sine mora durans, tandem cum morte ægrotantis desiit. Familia hujus demortuæ balneatorem inculpabat, hic vero pertinaciter ad aliud symptoma adventitium (pro more solito) provocabat, &, ut credebat, auream suam medicinam semper defendebat; quæ familia vero per hunc Doctorem

informatorium petiit, cui satisfaciendi promtus, aperte indicavi, hunc fuisse pulvillum Colocynthiaco Mercurialem, cum Sale quodam vegetabili ita dicto essentiali remixtum. Balneator exaudito hoc judicio, quod iniquum reputaverat, sinceritatem & certitudinem suam, suo cum exemplo confirmare voluit, sed tam debili judicio instructus, ut concluderet, si ipse hunc pulverem sine noxa tolerare posset, mortem puerperæ ex hoc pulvere procuratam esse, minime judicari posse: Fiducia plenus excepit suum pulverem mortiferum, sed brevi post sub maximis angustiis, alvi fluxu pessimo, & ut postea ultro percepi, cum convulsionibus misere periit, & sic sibi ipsi justissimus judex fuit.

(*Lipsia Augustam Vind. d 17. Maji A. 1713. missæ*)

OBSERVATIO CIII.

Dn. D. ANTONII VALLISNERII.

De

Loco Galeni 10. *M. M. cap. 10. Juvenis vero, cui abunde sit carnis ætatis tempore atque in febris summo vigore modo nulla viscerum phlegmone subsit, si in frigidam se conjecerit, sudabit.*

DOcumentum hoc cur posteri non sint amplexati, cur nullus medicorum in summo febris vigore projicit ægros in aquam frigidam? Jam licet id facere auctoritate Galeni, cur timidi sumus, cur cessamus a tam jucundo sudoris inciramento? Suspicor experimentum improspere cecidisse. Ratio quoque vix favet, quomodo enim coarctatio pororum, & fixatio aliqua sanguinis non sit metuenda? quomodo natura ferre potest innoxie adeo repentinam ambientis mutationem? Scimus auram gelidam post susceptum calorem exitiosam esse, cur non & afflatus aquæ frigidæ?

dæ? Scimus ex cutis obſtructione febres oriri, non ſudores, quomodo igitur demerſus in aquam frigidam exſudabit? Ductus excretorii glandularum miliarium facillime clauduntur a frigore, atque in modum anſerinæ cutis inhorreſcunt, ſudorique eo pacto viam intercipimus, non paramus. Sed hæ ratiunculæ vanitatem olentes movere poterant medicum exiguæ mentis, non plenum ſapientia Galenum. Affuſa frigida ſanat Hippocrates convulſionem, id eſt, expellit a nervis cauſam morbificam, ita in noſtro caſu deturbare poteſt in ſanguinem hærentes cuti noxias particulas, inde fortior lucta, & conatus deſpumationis in vaſis, inde ſudoris provocatio facilior, quam antea, tum quia motus fluidorum validior, tum quia minus in cute impedimentum, ac reſiſtentia. Quemadmodum enim chordas aquæ gelidæ infuſas facilius in priſtinum tonum reſtitues, quam piceo humore perfuſas; ita fibrarum cutis aſtrictio, per aquam illam inducta, paratiorem habet medelam, quam quæ a præſentia craſſi humoris oriebatur, aſſurgentibus nimirum effluviis a ſanguine, tanquam a balneo vaporoſo, cutis horridula molleſcit, fibræque laxantur, ac tandem copia vaporum poros replente guttæ aqueæ ſudoris nomine coaleſcunt: quo enim liquor aliquis magis movetur, ac ebullit, eo videtur majores halitus a ſe dimittere. Docebat Hippocrates, frigus ſe habere, veluti manum ſpongiam madidam comprimentem, cumque cutis ſcateat glandulis, cur ex ipſis non queat per affuſionem aquæ frigidæ deturbari contentus ſuccus, exemplo ſcilicet exanthematum, aut puſtularum ſcabiei, quæ facillime ad interiora reverberantur? Remedium tamen febris, petitum a balneo frigido, raro in uſum venit, quod ægri plerumque non habent firmam illam corporis habitudinem, quam Galenus deſiderat.

Juvat hic quærere, an ſimiliter vento frigido poſſet æger nudus exponi. Profecto liquoribus nimium fermentantibus res hæc remedio eſt. Carnes quoque per aërem frigidum a putredine vindicantur, & cadaveribus ipſis interdum ventus frigidus fuit pro balſamo. Animalia frigidas regiones incolentia ſunt

robuſtiora, & tandem quid jucundius, aut utilius febri, quam frigida inſpiratio? Cum enim ſanguis in febre peccet motu, & rarefactione, frigus autem quietem inſpiret, aromi frigorificæ in ſanguinem admiſſæ coërcebunt orgaſmum illius, eo majore, quam balneum frigidum, beneficio, quod aqua cutaneis partibus tantum advolvitur, aër frigidus & cutem afficit, & inſpiratu ad penitiores corporis partes invehitur, & adeo validus eſt, demutando, alterando, actuandove aliter atque aliter ſanguini, ut mores noſtri magna ex parte vim aëris conſequantur, & ſanguis ipſe juxta mutationes aëris modo ſegnior ſit, ac impurior, modo defæcatior, modo concretionibus, & polypis obnoxius, modo ſubtilis, vividus, &, ut ita loquar, magis animatus. Quam pulchri luſus in ſanguine ab aëris afflatu! Sive ſpectes colorem, ex obſcuro purpureus evadit; ſive ſubſtantiæ modum, tenuior; ſive fixationis periculum, fluxibilior, ut non improbabile ſit, per aërem frigidum fermentationem, motum, naturam ſanguinis febriliter agitati in novum quendam ordinem redigi, & avocari minus infeſtum animali œconomiæ. Vt in fornacibus Chymicorum varius ignis gradus tam varias facit concreti alterationes, ita levis aër, vel exceſſu aliquo immoderatus imprimit ſanguini, & ſpiritibus diverſam conſtitutionem. Neque ars Medicorum aliud in febre meditatur, quam craſim præſentem ſanguinis immutare; hanc autem mutationem poteſt aër frigidus excitare, aut hoc facillime per aërem frigidum etiam aſſequi poteſt. Sed dices: fortaſſe in deterius transferetur. Non diffiteor, ſed communis hæc eſt dubitatio purgantibus pharmacis, phlebotomiæ, aquæ frigidæ, ac balneo ſuperius memorato, a quibus tamen neque nos abſtinemus, neque Galenus abſtinuit. Quis novit, an tutius ſit, febrem ſub culcitra in molli lecto fovere, an aëri frigido exponere, cum videamus plures molliter decumbentes mori, alios alpeſtri caſa ventis pervia jacentes convaleſcere? quam multi marmoreo pavimento impoſiti ſalutem in illo invenerunt, quam lectulus denegabat? Adeo fallax eſt Medicorum cura, ut quæ interdum noxia putet, levamen afferant, quæ profutura ſperaverat, exitio ſint.

Hye-

Hyemem æstate salubriorem nemo non novit. Est igitur calido aëri frigidus præferendus. Mirari subit ægros nostros, in pluma vel lana decumbentes, clausum cubiculum sæpius habere: adeo extimescunt vel minimi aëris ingressum, ut vel rimulas fenestrarum diligenter obturent: Itaque imbutus calidis, & morbificis halitibus aër ab illis inspiratione rursus hauritur. Quomodo autem in hujusmodi aëre fæculento possunt recreari, quomodo potest vitiosus sanguinis contextus, per pulmones transiens, congruas magis, & sanitati concinnas particulas delibare? Crebra itaque Medicorum visitatione, ac scriptis, ambitiosisque medicaminibus parum juvantur.

Non idcirco, inquies, excessu frigidi aëris peccandum est. Respondeo, paria esse debere momenta frigoris, ac sunt illa caloris, cumque multo æstu ægrotus jactetur, cur non summo frigore utamur? Ardentibus visceribus divitum glacialia pocula indulgemus. Cur non & glacialem respirationem, & frigidi aëris circumfusam toti corpori percussionem? Nonne per poros cutis, ut ut corrugatos, vis frigida irrumpet, inerrantem cutaneis vasculis sanguinem ab incendio vindicatura? *Videbamus*, inquit Seneca, *senes consulares in ostentationem rigentes*. Vtilius riguissent pro febre curanda, licet medela frigidi aëris non conveniat senibus, sed validis corporibus, & ætate florentibus, juxta Galeni de Balneo frigido permissionem.

OBSER-

OBSERVATIO CIV.

Dn. D. ANTONII VALLISNERII,

De

Aqua calida, fomentorum calidorum probatissima. Ad Loc. Hippocrat. de Vict. rat. in morb. acut. L. 2. n. 2.

VOcat Hippocrates fomentum calidum etiam illud ex aqua simplici, dummodo actu calescat. Frustra igitur incoquuntur herbæ facultatem habentes calidam, dum optimum fomentum est aqua calida. Cum dolor oriatur ex acri succo, qui mordeat fibras, aut ex copioso, qui mole premat, ac distendat, acorem quidem aqueæ particulæ debilitant, tum dissolvendo, tum attemperando, copiosum autem adapertis meatulis ad transpirandum sollicitant, aut reddunt magis fluxilem, ut pars ejus evaporet, pars redeat in vasa, & circulum suum absolvat. Quo aqua simplicior est, ac purior, eo est penetrantior; angustum enim foramen facilius pertransit simplex molecula, quam conjuncta cum aliis corpusculis. Adde particulas concretorum aquæ incoctas cuti, tanquam sordes hærere, id est, aquæ ipsi, & transpiratui transitum præpedire, ac quo magis fibras cutaneas laxant, eo licentius, & intimius illas obstruere possunt. Itaque merito dixit Hippocrates: *Probatissimum fomentorum esse aquam calidam.*

Quomodo autem aqua vasis inclusa queat communicare parti læsæ, ut optatos effectus edat, non est dictu facillimum. Exiguum enim illud est, quod per poros vesicæ, aut vasorum exit, si tamen exit: diu enim in vasis illis sigillatis posset servari vix mutato pondere. Probabile est, igniculos, ex aqua concluſa expirantes, juvamentum afferre, quatenus diu impingunt, & evibrantur in partem læsam: vim enim habent agitandi morbosos contextus, ac dis-

dissolvendi, auxiliante nonnihil illos, ac temperante subjecto aqueo, ex quo discedunt.

Scimus ex Hippocrate, aliquid esse in aqua tenuissimum, & ignigne humidissimum. Hæc invicem coëuntia hic rem peragunt. Æneum vas, & testaceum certe extrinsecus sicca sunt, licet intus sint aquæ plena, neque vesica, aut pellis utris multum evaporant, licet aliquid emittere omnia corpora negandum non sit. Sed paucum illud nihil proficeret: Igitur majus beneficium pendere videtur ex diuturna caloris conservatione: cur igitur aquam calidam laudat Hippocrates, cum quodcunque corpus; in quo calor persisteret, eundem usum æque bene præstaret? Res pultaceæ, ac oleosæ diutissime conservant calorem, cur ex his vasa ænea non implet? adeo misellus sum, ut me ab hac parvula difficultate nequeam expedire. Videant id doctiores. Interim, ubi humiditate opus est ad fovendam partem, uterer spongia, vel petiis in aqua calida madefactis. Sed nondum legeram sequentem textum Hippocratis ita loquentis. *Sed fomentum linteo vestiendum, ut vis illius plusculo sufficiat tempore, permaneatque, atque simul ne halitus ad laborantis spiritum feratur.* Ergo adeo copiosus erumpit halitus, ut possit vel ipsi respirationi molestus esse.

OBSERVATIO CV.

Dn. D. ANTONII VALLISNERII.

De

Loco Galeni de Vict. ratione in morbis acutis libr. 2. Com. 10. *Melius est, virtutem non exsolvere, quam sanguinem vacuare redundantem.*

DOcuerat hic Hippocrates, in pleuritide demendum sanguinem usque ad mutationem coloris; verum Galenus moderatur id præceptum, ubi periculum est defectus virium. Sed veniam det Galenus: non ita stultus erat Hippocrates, ut cum vires non ferunt, largam adeo faceret phlebotomiam, neque Medici etiam indocti adeo desipiunt, neque sanguis hic mittitur ad mutationem coloris, quia redundat, sed quia peccat qualitate, aut quiete. Præterea qui evacuat sanguinem redundantem, non exolvit virtutem, sed corroborat: nimia enim illius quantitas obruit vires, moderata recreat, levatur siquidem natura sarcina, qua premebatur, ut alibi monet ipse Galenus.

OBSERVATIO CVI.

Dn. D. ANTONII VALLISNERII.

Hippocrates curans virum in Eniadis copiosi sanguinis emissione, præbuit se Medicum empiricum, non Philosophum.

CRiminari clarorum virorum facta moresque, novum non est. Nunquam tuta fuit virtus immodica; vulgares etenim animæ, ut notat Ficinus, divinitatis radios ferre non possunt. Nihil illu-

illuſtrius in arte noſtra, nihil Hippocrate magnificentius. Conturbat tamen nos admiratio excellentis curationis viri in æniadis, & peccaſſe videtur Hippocrates in beneficio, quia quo pacto ejus obtinendi viam ſubolfecerit, non indicavit. Si ſanantem Hippocratem calumniis impetimus, & a ſapientiæ faſtigio dejectum volumus, profecto nihil erit in hac diſciplina jam ſanctum, atque ſincerum, & prudentia, ratio, conſilium extra Hippocratem pulſa, locum ubi conſiſtant, reperire vix poterunt.

Sed quandoquidem huic quæſtioni indulgere juvat, deturbabo parumper divinum ſenem a poſſeſſione ſapientiæ, ſuſpicatus, non rationali methodo, ſed empirico ritu curationem viri in æniadis fuiſſe tentatam. Tres autem præcipue ſunt conjecturæ, quæ me in hanc ſuſpicionem poſſunt impellere. Prima, quod nulla ibi apparebat indicatio mittendi ſanguinem. Secunda, quod Hippocrates nullam attulit facti rationem. Tertia, quod nullam afferre poterat, etiamſi voluiſſet.

Non repetam hic notam doctrinam de indicatione mittendi ſanguinem. Sufficiat, præſidium iſtud præcipue convenire, ubi ſanguis copia peccat vel craſſitie, exaltatione, impetu cum nonnulla copia conjunctis. Sed vir in Æniadis tabeſcebat, & conſumebatur, & alimentum ipſi a cibo non accedebat, qui acris, &, ut loquitur Hippocrates, combuſtus, aut rodebat ſtomachum aut per alvum exibat.

Scimus, quantum particularum ſanguinearum abſumat tranſpiratio, quam multa ſecedant effluvia ſeri ſanguinei per renes, & cætera emunctoria. Circulatio ſanguinis ſemper aliquid inter viam relinquit, minorem fluvium cordi reſtituens, quam acceperat. Diſcedunt ex ſubſtantiis ipſis ſolidis emanationes minimarum nubecularum, quanto facilius ex fluidis?

Oleoſa ſubſtantia, quæ veluti vinculum quoddam eſt partium ſanguinis aufugere nitentium, pauca erat, & exigua in caſu noſtro, in quo marcor tabidus invaluerat. Plures itaque prædatrices cauſæ aderant. Chylus jacturam non reparabat, deficiebat butyroſa, & balſamica portio, quæ ſuos habet ab optima chylifi-

catione ramusculos. Conditio ista sanguinis, atque dispendia nullam sane venæsectionem deposcere videbantur. Non exaltatio, non orgasmus, non quies, aut impeditus alicubi motus sanguinis ab Hippocrate memoratur. Crassities quoque a multitudine sejuncta parum habet momenti ad phlebotomiam indicandam, cum spirituosis, & attenuantibus remediis potius debe emendari.

Aut vidit Hippocrates mittendi sanguinis indicationem in viro illo, aut non vidit. Si vidit, cur tamdiu ipsam neglexit, cur per omnis generis pharmaca, sursum & deorsum purgantia, miserum ægrum inutiliter torsit? Ne igitur inhumanitatis, aut negligentiæ accusemus Hippocratem, honestius est suspicari, nullam illi obviam fuisse mittendi sanguinis indicationem.

Sed transeo ad secundam suspicionis meæ partem, in qua idcirco videtur Hippocrates processisse ritu empirico, quia nullam attulit facti rationem. Vir facundus, & Medicorum omnium Magister, raram atque admirabilem curationem sæculis omnibus documento futuram tradens, cur nec verbum quidem addit de rationibus, quæ ipsum ad id remedii impulerunt? cur causam agens humani generis incomptum adeo, & nudum exemplum affert, nulla cogitatione, nullo perillustratum ingenii lumine?

Mos erat Empiricorum, operibus potius, quam verborum ambitu sibi gloriam comparare, cumque *obscura tam vera, quam falsa esse possint*, ut monet *Menodotus apud Galenum de subfiguratione Empirica cap. 13.* supersedebant sponte a causarum latentium investigatione. Narrat Celsus in Præfatione, Hippocratem inter præcipuos fuisse Empiricos. *Primus quidem* (verba sunt Celsi) *ex omnibus memoria dignus ab studio sapientiæ disciplinam hanc separavit.* Exuit igitur Philosophum Hippocrates, ut ageret Medicum, & præsertim in tractatione viri in Æniadis, factoque potius, quam Oratione magnificus esse voluit. Vtinam & nos ætiologiæ minus indulgeremus, plus habentes remediorum, quam verborum. Sed contra est. Luxuriamus

ſpecioſis theoriis, oſtentat Oratio noſtra peregrina vocabula,

Dare pondus idonea fumo.

Sed exiguam, aut nullam medelam ægro afferimus, ſimiles pharmacopolarum pixidibus, quæ titulis aureis lucent, ſed vacuæ ſunt intus.

Suſpicabar tertio, non potuiſſe Hippocratem medelæ inſtitutæ in viro illo rationem reddere, etiamſi voluiſſet. Ignora erat Hippocrati ſanguinis circulatio, ignotæ velocitates, tarditates, momenta reſiſtentiarum, ex quibus Bellinus præcipuam phlebotomiæ occaſionem, atque utilitatem conatur elicere. Vaſa quoque lymphatica modo abducentia, modo reportantia in ſanguinem lympham ſuam, non minimam lucem afferunt œconomiæ fluidorum. Vix poterat inter haſce tenebras rationem expiſcari aut mutilam, aut falſam.

Præterea ex doctrina ipſa Hippocratis ineſt ſanguini amarum, acidum, ſalſum, dulce, & alia ſexcenta, quæ ubi mixtione occultantur, placide degunt, ubi ex vinculis ſuis emerſerint, hominem lædunt. Qualis vero ibi contigerit in cæca ſanguinis volutatione particularum emerſio, nec ſcire poterat Hippocrates, neque ſi ſciviſſet, poterat ſanare miſſione ſanguinis, quæ potius particulas ſeditioſas ad majorem libertatem urgebat: hinc per earundem concentrationem, præcipitationem, contemperationem res erat juſtius peragenda.

Scimus, corpus noſtrum eſſe machinam fiſtuloſam perpetuo fluidorum pulſu agitatam. Si percuſſio fluidorum, ſi quantitas exceſſu aliquo laboret, vel defectu, illico elangueſcimus. Sed adeo ſumus tenebricoſi, ut vel reperire vitii originem nequeamus, vel repertam corrigere. Narrat Wilhiſius, fuiſſe detractas quinque ſanguinis uncias mulieri, quæ apoplexia cum febre laborabat: ſanguis exiluit cum magno impetu, licet poſt mortem vix quatuor unciæ ſanguinis in venis repertæ ſint. Quis unquam putaſſet in tam pauco ſanguine tantam deliteſcere motus vehe-

mentiam? Hic profecto mittendi sanguinis ratio ab æstu febris, vel a perturbatione apoplectica peti posse videbatur, quam ipse postea impetus exeuntis rivuli comprobaret. Deceptus est Willisius, decipimur omnes quotidie, dum ad frangendam vim sanguinei elateris, & liquidos illos cuneos reconcinnandos sanguinem mittimus. Alphonsus Borellus id unum putat facere phlebotomiam, ut variet motum sanguinis, vel in melius, vel in deterius. Quid hoc aliud est, quam deserere causam phlebotomiæ, temeritatique fortunæ committere?

Vnica utilitas, & lux orta est ex observationibus practicis. Scrutemur quantumlibet naturam sanguinis, motum intestinum, atque localem, vasa, meatulos, latebras indagemus, nil præter tenues suspiciones nacti adhuc cespitabimus in genuina mittendi sanguinis indicatione. Aut si vera ratio adduci potest, cur prisco ævo Chrysippus, & Erasistratus, cur nostris temporibus Leonardus a Capua, Portius, Tozzi contrariam sententiam præclare sustinent? Magnus Medicorum de hac re dissensus satis evincit, nos nil certi hactenus assecutos, opinionum fluctu hac illac impelli, ingeniumque, & facundiam aliquando vincere, sed non ideo morbos rectius curari.

Stultum est, inquit Galenus, velle aliud naturæ rei, aliud doctrinæ invenire principium. Inexplorata itaque vera sanguinis indole, quam habebat vir in æniadis, haud poterat Hippocrates suscepti consilii rationem idoneam reddere; Vir enim candore, & modestia insignis fateri maluit per silentium verecundiam suam, quam per fucatam sapientiam mentiri. Existimabat nimirum cum Celso, has latentium rerum conjecturas ad rem non pertinere, quia non interest, quid morbum faciat, sed quid tollat.

Quamvis igitur Hippocrates *non contentus febres, & ulcera agitare*, altius naturam scrutatus sit, tamen accersitus ad lectulum ægrotantis de subtilium contemplationum fastigio descendebat, remedia cogitans per experientiam inventa, & Democrito suo relinquens otiosam causarum abditarum indagationem.

nem, cum aliud sit philosophari, aliud mederi. Visus est mihi Hippocrates in curatione ista non tantum complecti morem Empiricorum, sed etiam pictorum. Vt enim Empirici morborum causas & indicationes, quia sæpe dubiæ sunt & incomprehensibiles, silentio involvunt, ita pictores obscurant inductis umbris partem imaginis, quam non potuerant exprimere, aut noluerant.

OBSERVATIO CVII.

Dn. D. VDALRICI STAVDIGELII.

De

Metuendo Bufonum veneno.

NOn levem mihi peperit admirationem lectio observationis, quam Excell. D. D. Matthæus Blauw Curiosorum Ephemeridibus inseri curavit Dec. III. A. VII. pag. 97. vel encomii potius, quod lotio bufonum tribuit: nempe, quod oculo receptum dextro, non tantum visui nullum attulerit detrimentum; sed, velut egregium collyrium, eundem notabiliter acuerit. Absit a me procul, ut tanti viri fidem trahere velim in dubium. Dissimulare tamen non possum, quod admodum ægre adduci potuerim ad assensum; experientia retardante. Nam & mihi bis contigit experiri veneni bufonum atrocitatem; semel in oculo, & semel in toto corpore; semper cum non modico periculo. Levabatur prope Monasterii nostri portam incile ligneum (anni sunt abhinc novem circiter) putridum jam, eum in finem, ut novum supponeretur. Amotum a loco, undecim detexit bufones, quatuor egregiæ; reliquos mediæ magnitudinis. Jussi quantocius, ut trucidarentur. Conantibus id cum lapidibus Operis, bufones cubile suum relinquere, saltare, quaquaversum fugere, abdita quærere. Certatur egregie cum lapidibus. Sed sufficientes non erant ad manus, ut omnes possent occupari. Hinc arrepto, quod fors obtulerat, bacillo, duos & ipse persecutus sum e

gran-

grandioribus. Verum dum occupo saltus, dum ferio, dum lentius pro exigentia, unus liquorem ejaculatus est in oculum meum sinistrum; quantitate, unius, ut arbitrabar, guttæ majoris; & sensu frigidum. Extergo quantocius, partim aversa manu, partim strophiolo diligenter. Quid fit? vix semel recitari poterat Psalmus *De profundis*, tum oculum urgere prurigo, paulo post ardor, rubedo, inflammatio, intumescentia, caliginis quædam similitudo, & dolor non modice lancinans. Territo vehementer remedium incidit, lectum antehac in Agricolæ chirurgia. Curro proin in hortum, aliquot folia sedi majoris, aliquot & plantaginis cum latis foliis decerpo, conquasso simul, succum exprimo, oculo instillo, & palpebrarum interiores extremitates imbuo. Remisere post primam succorum instillationem prurigo & ardor: post alteram & tertiam inflammatio, tumiditas & lancinatio doloris. Rubedo tamen, & gravitas quædam, quasi plumbea, per aliquot adhuc duraverunt dies; diutius vermiculatio subinde momentanea, cum quadam caligatione. Quæ tamen ipsæ, repetitis instillationibus succorum (supremo Sospitatori infinitæ sint laudes & gratiæ dictæ) cessaverunt. Ex enarratis autem conjectura perfacilis est, in quam grave periculum fuissem præcipitandus, si venenositati non ocius fuisset obviam itum; &, ne profundius in massam sanguinis reciperetur, præoccupatum. Sequitur

Casus alter.

Affligebar annis abhinc quatuor, quadam renum obstructione, & urinæ difficultate, cum ardore quoque. Tentatis aliquot, sed frustra, remediis domesticis, jubeo mihi præparari balneum, cum incoctis herbis & radicibus, hos affectus præcipue respicientibus. Et hem! vix dum insederam in aquam, statim, a solo vapore, caput rotari vertigine, aperiri largius oculi, vacillare tamen, & ventriculus quodam horrore percelli. Post parvam in balneo moram, omnia devergebant in deterius. Caput, veluti plumbum infusum fuisset, grave. Oculos mixtura quædam obversabatur ex globulis constans, pisa minora ferme æquantibus,

& mi-

& mire, quoad colores, variegatis. Ventriculus ipſe jam vehementius indignatus, , ad vomitionem identidem ſtimulabatur. Relicto proinde balneo, ante quadrantem horæ in eodem conſumtum, in lectum me recepi. Perſtabant adhuc ad vomendum ſtimuli, urgebantque vehementer : accedente paulatim etiam in viribus alteratione.

Miratus, unde tanta potuiſſet in œconomia corporis, tamque ſubito ſubnaſci turbatio (etenim præter pauxillum de Rob Juniperi, nihil penitus aſſumpſeram ante ingreſſum in balneum;) villicam advocatam interrogo, ubinam aquam ſumpſiſſet, ad parandum balneum. Tum illa piſcinam accuſabat, monaſterio proxime adjacentem. Fons enim ordinarius turbatus tum fuerat a vehementi pluviarum inundatione. Hæc genuina confeſſio omnem mihi ſtatim ademit admirationem. Nam in piſcina, de qua ſumpta fuerat aqua ad balneum, plurima ſemper bufonum copia ſtabulatur. Vnde non poterat non eſſe vehementer venenata, propter lotium, quod venenoſiſſimum eſt, in eadem emiſſum. Hinc converſus ad alexipharmaca, ſtatim ſumpſi portionem de orvietano, cum aqua ſtillata ex ſucco cardui benedicti, compoſitus ad ſudorem : dein ſpatiis interpolatis, ſæpius particulam de theriaca Veneta. Quibus intra quatriduum, DEO benedicente, rurſus mihi reſtitutus fui : manente tantum parva, per aliquot adhuc dies, ſed non continua cordis palpitatiuncula. Et hæc ſunt, quæ prout ſupra dixi, diu meum ſuſpenderunt aſſenſum, præbendum encomio, quod Excell. D.D. Blaw tribuit bufonum lotio.

Hoc alias inter diriora numerandum venena, nemo erit rerum naturalium non ignarus, qui dubitare velit. Non ſinet certe dubitare, niſi penitus induratum, communicata modo obſervatio. Nam ſi tantam potuit, tamque vehementem, utique periculoſam, in corporis œconomiam inducere alterationem, aquæ tantummodo vapor, attractus cum halitu : quid putandum, futurum tum, ſi lotium ipſum intra corpus aſſumeretur? Formidabiles ſane ſunt hiſtoriæ, quæ de bufonum vel lotio, vel

madore, vel effluvio corpusculari, passim circumferuntur. Male non accipient curiositatum amatores, unicam tantummodo si referam, Venetiis mihi narratam. Erant ibi quondam, nostra tamen adhuc memoria, duo Empirici, fama celebres propter antidota, quæ possidebant. Summis uterque laudibus extollebat suum; unice solertes, ut deprimerent, contemptumque redderent alterius: passim, & in publicis, in quibus mercatum faciebant, pegmatis. Hinc æmulatio, invidia, odium, inimicitia, & ab æmulo se liberandi desiderium & studium ingens. Jactatis hinc inde diu probris adversus invicem, tandem ad experientiæ periculum provocatum est, impetrata prius, a quibus oportuit, licentia. Periculum factum est in publico pegmate; spectante hominum ingenti multitudine: & ab uno quidem cum certo liquore, quem credebat venenosissimum; ab altero, cum lotio bufonis. Ille igitur huic liquorem suum propinat; & hauritur ab hoc intrepide: superingesto tamen statim, quo gloriabatur, antidoto. Hic autem alteri vice versa quid? Admotum ad os late patulum bufonem tamdiu vellicat, donec in fauces suum mingeret lotium. Ausus est iste excipere cum risu paucas, quibus insperfus erat, fatales tamen guttulas. Sumpsit equidem & ipse, sed quasi per contemptum, suum a se tam extreme laudatum antidotum, sed eventu luctuoso; intra horæ spatium exstinctus; ubi prior econtra feliciter evaserat. Hæc narrata mihi fuerunt Venetiis; & occasione quidem ejusmodi Empirici, vociferantis tum, ad modum duorum jam enarratorum, & auditoribus suis persuadere conantis, non tantum efficacia majus & certius nullum suo, sed ne par quidem ullum in mundo reperiendum esse antidotum. Quidquid sit, tragica sane sunt, quæ venduntur de bufonum venenosicate. Quædam, delibata quasi reperire licet, in aureo libello, chirurgia nempe Agricolæ; plura passim alibi: apta satis omnia, quibus admoneamur cautelæ, sumendæ ab omnibus, qui cum hoc animali negotium suscipere cupiunt.

Cæte-

Cæterum obſervationi Dn. D. Blaw, ſupra memoratæ fidem & nunc libentius adhibeo, quod recorder, legiſſe me quondam, quod in Inſula nominata, id eſt, Augia divite ut plurimum veneno careant animalia, alias ſumme venenata. Quod & ipſemet fatetur Excell. Auctor præfatæ obſervationis, aſſerens ingenue, carentiam hanc venenoſitatis in animalibus, referendam in acceptis eſſe precibus Pirmini, viri quondam vitæ ſanctitate valde clari, & primi ejusdem inſulæ habitatoris. Gaudet igitur hæc inſula Augiæ divitis eodem, quo totum Hyberniæ regnum privilegio, in quo, venenis prædita non ſunt animalia: illata, ſtatim moriuntur. Sic in Epiſcopatu Tridentino ſcorpionum ictus narrantur innoxii. Quo ſuppoſito concipi facile poteſt, quo modo receptum in oculo bufonis lotium, viſum, ut perhibetur, acuerit. Cum enim acre valde ſit, adeoque particulis conſtet aculeatis, & hamatis: a vero non multum aberrat, vel tunicam per lotium a ſordibus fuiſſe purgatam; vel ipſam nonnihil levigatam; vel liquôres intra tunicam contentos, in motum proportionatum concitatos; quo, veluti fermentatione quadam, particulæ craſſiores, a reliquis purioribus receſſerint, & quaſi præcipitatæ, commercium luminis, tum recipiendi, tum rurſus, characterizati tamen, emittendi, expeditius reliquerint.

Vnica ſupereſt, digna tamen ſeveriori ſcrutinio, quæſtio: num liquorem, quocum hominibus nocere contendunt bufones, ex poſtico tantum emittant; quo modo lotii nomen habet: vel etiam ex oculis ejaculentur. Non neſcio plerosque perſuaſos eſſe, ejusmodi liquoris emiſſionem fieri tantum ex poſterioribus. Videtur tamen tum ipſius corporis bufonis ſitum huic perſuaſioni refragari, tum experientiam quoque. Cum enim organum, ex quo lotii liquor emittitur a bufone, depreſſius ſit, & terram verſus vergat, lotium evibratum terram quoque petet; & non partes hominis altiores, uti ſunt facies, & in facie oculi. Quanquam obſervatum a me ſæpe fuerit, emiſſionem lotii ſine notabili fieri evibratione. Erit igitur competentius appellanda dimiſſio lotii, quam emiſſio, cum quadam evibratione. Conſtat

autem experientia, liquoris evibratione faciem hominis peti a bufonibus; uti mihi contigit, modice tantum inclinato.

Distabat a me bufo, plus ferme, passu geometrico, mea vero facies a terra tantundem ad minus. Vero proinde simile non est, posteriora sua tam alte bufonem erigere potuisse, ut liquor evibratus ad oculos meos pertingere potuerit, & quidem cum sensibili allisione. Fuit igitur ejaculatus ex oculis. Quod eo majori possum asserere cum confidentia, quo reflexius recordor, bufonem a me verberibus exagitatum, caput suum erga me convertisse, & non posteriora sua.

Diu non admodum est, quod hac de re, liquoris nimirum ex oculis ejaculatione, sermo mihi multus fuerit cum viro quodam, tam natalium nobilitate, quam rerum naturalium notitia insigniter conspicuo; censente penitus, dubitandum non esse, quod bufones, seu lapidibus, seu quomodolibet hostiliter impetiti, vindicem liquorem in impetitores ejaculentur ex oculis. Idque se sæpius a patre suo percepisse, multus affirmabat. Erat ejusdem pater natus in Italia, ubi nempe majorem ad molem perveniunt bufones, quam in partibus nostris frigidioribus. Cum casu quodam in prægrandem offendisset secus viam, petiissetque lapidibus aliquoties; perspicue se vidisse perhibebat, (stabat enim in sole, & versus arbusti cujusdam umbram) quod bufo guttulas aliquot liquoris erga se fuerit ejaculatus ex oculis, & ad distantiam quinque ferme pedum. Vnde monitos enixe semper volebat filios suos, ut, quomodolibet exagitaturi bufones, frontem eorum declinarent, ejaculationem nocentissimi liquoris, eo certius evitaturi.

(Paringa in Bavaria Augustam Vind. d. 2. Jun. A. 1713. missa.)

)o(

OBSER-

Obser. XCI.

Obsers: CLXI.
Magnitudo naturalis.
Pondus ℥ß–℥ij.



longitudo.
latitudo.
crassities.

Obserr: CVIII.



a a. Labia Pudendi.
bb. Nymphæ.
c. Osculum uteri internum.
d. Uterus.
e. Tumor utero incumbens.
fffff. Hydatites.

OBSERVATIO CVIII.

Dn. D. JOH. MAVRITII HOFFMANNI,

De

Procidentiæ uteri causa singulari.

Uteri fundum inverti instar chirothecæ & foris extra pudendum prominere, sive a tumoris scirrhosi pondere eo adigatur, sive ab imperita obstetricis manu, funiculum fœtus umbilicalem cum placentæ arctius incuneatis acinis nimia cum violentia detrahente, evellatur, Cl. Friderici Ruyschii Observat. Anatomico-chirurgic. Obs. VII. & X. Isbrand. Diemerbröck Anatom. lib. I. cap. XXV. Hildani Centur. IV. Obs. LX. & LXII. Ephemerid. nostrarum Decur. II. Ann. I. Obs. CXLI. Decur. II. Anni VI. Obs. XCI. Ejusdem Dec. Anni IX. Obs. CXLIX. Decur. III Anni I. Obs. CXIV. Petri de Marchettis Observat. Medic. Syllog. Obs. LXI. manifeste declarant.

Tunicam vero etiam internam *vaginæ rugosam*, aut ab obstetrice incauta, aut a fœtu graviore & gemello, aut diutius ibi ob viarum angustiam hærente, aut a parturiendi, itemque alvum egerendi, aut pondus gravius elevandi nisu validiori, plus æquo extensam, aut ab humoribus serosis illuc copiosius confluentibus relaxatam, aut a prægresso diuturno fluore albo erosam, extra pudendum propendere, & globosa figura verum mentiri uterum, observatio nostra in Ephemerid. Decur. II. Anni I. num. CLXXI. legenda, tum similes in Decur. III. Anni V. & VI. Obs. CCXXVI. Meckreen Observat. Medico-chirurg. cap. LIV. David van der Beecke in peculiari dissertatione de uteri procidentia consignatæ testantur. Sed adhæc *cervicem* & *osculum uteri internum* in sinum pudoris decidere, Felix Platerus Observat. lib. III. p. 742. & seq. atque Jacobus Primerosius lib. II. de morbis mulierum cap. XV. notaverunt, & scriptores communiter docent, *morbidum ejusmodi secessum* violentam fundi uterini, ut & cervicis, nec non ligamentorum tam latorum uterum ossibus ilium alligantium,

quam teretium eundem partibus anterioribus devincientium, inversionem, avulsionem & abruptionem insequi; peculiarem autem haud prævisam causam *talem secessum* intulisse, sequens historia manifestabit. Vixit Solisbaci in urbe principe honesta civis uxor, quæ postrema procidentiæ uterinæ specie afflictata, auxilium consiliumque undique conquirere anxie cœpit, idque eo magis, quoniam osculum uteri internum & ab urinæ alluvie & attritu sub ingressu facto excoriatione orta læsum graviter dolebat, & deorsum ruentis uteri pondus indies accrescebat. Adhibuit adeoque, pessimo mulierc ularum medicastrarum consilio, balnea & insessus ex emollientibus & aromaticis, ex medicorum sapientiorum præscripto circulos & globulos ligneos alias usitatos cera obductos in subsidium assumsit, peculiari insuper subligaculo firmavit, sed irrito prorsus eventu vanaque medelæ spe, cervici uteri cum osculo interno turgidiori & prominentiori facto illos reprimente; intumuit demum suffusa venter ab unda, atque hydrope ascita in stupendam molem eum expandente, post longam plurium mensium patientiam misera fato occubuit. Ego in aula Sereniſſimi Ducis Palatini, Principis ac Domini mei clementiſſimi, tunc præsens, impetrata licentia cadaveris sectionem administrandam præcepi. Aperto itaque primum abdomine, ea seri turbidi fæculenti copia cum impetu prosiliit, quæ amphoras adstantes binas adimplere potuisset, omentum putrilagine ferme consumtum, epar pallidum conspiciebatur, folliculus bilis amurcæ similis parum continebat. Cum autem uteri potissimum indagandi gratia scrutinium hocce permissum & institutum fuerit, mox supra illius fundum depressum *tumor tunicatus amplus* in conspectum sese dedit, sero limpido, sed ad contactum glutinoso ferme ad crepaturam usque adimpletus, vasculis sanguiferis tenerioribus per superficiem, hinc inde excurrentibus, tumori etiam dicto inhærebant quatuor hydatides lympha turgidæ, quibus visis in apricum proferebatur causa morbosæ procidentiæ recensitæ, is iple nempe tumor cum sociis hydatidibus, qui uteri fundum & cervicem cum osculo interno incumbente suo pondere

sede

Concretum in Damacerri Ventriculo

Fig: 2.

Obser. CIX. Fig: 1.

Pila Cervina

sede naturali cedere & prominere coëgerat, nullo adminiculo reprimendum.

Ægra, cum in vivis adhuc esset interrogata, num conscia esset alicujus violentiæ externæ perpessæ, nullam indicari potuit, ut ideo, quantum humanæ mentis conjectura assequi licet, procul dubio tumor ille cum hydatidibus utero imminens, a sero lymphatico acriori & viscido per fibrillas uteri erosas aut distendendo abruptas effuso & membranæ ambitu mox cincto originem suam sumserit; aut si vasa uteri lymphatica, hucusque quidem in utero humano abscondita, existerent, sicuti haud sine omni probabilitate illa præsuppositit sagacissimus Anatomicus, Philippus Verheyen, Anatom. corpor. humani lib. I. Tract. II. cap. XXIX. p.m. 134. ex hisce ipsis solutionem continui perpessis lymphaque effusa tumor iste natales suos habere potuerit; dum ceteroquin de hydropis ascitis genesi, a lympha simili vitiosa ex multiplicibus in abdomine conspicuis vasis lymphaticis læsis exundante, hic derivanda nullus, uti spero, ambiget.

Vid. Fig.

OBSERVATIO CIX.

Dn. D. JOH. MAVRITII HOFFMANNI.

De

Elaphopila atque concreto membranaceo-cartilagineo in Damæcervi ventriculo.

De Ægragopilis in rupicaprarum ventriculis binas dissertationes orbi erudito reliquit πυλυμαθέσατος Georg. Hieron. Velschius; *pilarum* autem *cervinarum* mentionem fecit illustris Wedelius Ephemerid. nostrar. Decur. I. Anni IX. & X. Obs. CLXIX. atque geminam figuram una cum descriptione Decur. II. Ann. I. Obs. CLIX. concessit: juvabit autem illis nunc superaddere aliam elaphopilam, quam haud ita pridem per-Illustris Dn. Wolfgang Sigismund. L. B. de Hessberg, Serenissimi Marchionis

onis Onoldo-Brandenburgici, Principis & Domini mei clementiſſimi, Conſiliarius intimus, & ſupremus rei venatoriæ præfectus, conſpiciendam gratioſiſſime mihi obtulit, magnitudine ſua in adjecta figura expreſſam, adeoque ſuperantem pilam cervinam laudatiſſimi Wedelii, in cervi annoſi ventriculo primo repertam, nil quicquam piloſam, ſed ex meris filamentis compactam (quales abrupta ejus portio ære quoque expreſſa ob oculos ponit) ad contactum inſtar panni molliuſculam, nullo cinctam cortice, ſuperficie tamen aliquantisper inæquali, colore ex flavo cinereo circumſcriptam, pondere exiguo manus gravantem, odoris prorſus expertem, qualem quidem ex filamentis fibrillisque radicum ac herbarum & muſcorum minimis deglutitis, in ventriculo ſub ejus contractione ſolita conglobatis, atque a lymphæ ſalivalis & gaſtricæ ſalino coagulo, tum & chyloſo interfluo unguine combinatis, natales ſuos accepiſſe, vero conſentaneum videtur.

Alius autem formæ erat ex *Damæcervi* platycerotis vel pulmati ventriculo exſectum *concretum membranaceo-cartilagineum*, durum & læve, ſupina parte albicans, prona ex flavo vireſcens, in medio nonnihil excavatum, lambenti linguæ ſapore bilis æmulo amaricante adverſum, in adjecta figura etiam delineatum, quod ipſum an forte ex pellicula membranacea per deglutitionem ſuſcepta originem primam, dehinc per materiæ ſalino-terreæ factam circumappoſitionem incrementum ſumſerit, vix certo determinare auſim.

Vid. Figura.

OBSER-

OBSERVATIO CX.

Dn. D. JOH. MAVRITII HOFFMANNI.

De

Calculis siliceis cum muco viscido per urethram excretis.

ILlustrissimus quidam vir temperamenti sanguineo-cholerico-melancholici, morbidam hypochondriacam diathesin paterna hæreditate quasi adeptus, hincque muli flatuosi Arabibus dicti progenie fœcunda, eructationibus & borborygmis crebrius divexatus, aliquot abhinc annis ardore urinæ affligi cœpit, eo autem præsente non solum sub mictionis fine pituita vitro fuso, sive lentorem sive pelluciditatem spectes, per omnia similis excernebatur, sed & subinde calculi exigui splendidi pellucidi durissimi, silicei merito suo dicendi, ejiciebantur. Ego in consilium vocatus, metuendum calculi vesicæ majoris futuri periculum prædixi, cui præcavendo ut mature prospicerem, Aquam heleocatharcticam practici olim primicerii Henr. Scretæ a Zavorziz (cujus utinam noctes hybernas lucernam redolentes Agnati orbi erudito haud diutius inviderent,) modo seorsim, modo potui Coffee permixtam propinavi; dein sequentes pilulas hebdomatim semel ad numerum X, vel XIII, deglutiendas exhibui:

Rec. Terebinth. cypriæ cum succo citri aliquoties lotæ ℥iij.
Spec. lithontriptic. Xhiob. ℥iß.
Diagryd. rosati ℥j.
Millepedum præpar. ℈j.
F. ex ℥j. pil. numero XL.
Dentur ad scatul. pulv. lycopodii probe respersæ.

Infusum subinde mane sorbillandum designavi ex radic. chinæ sarsæparil l. alth. bardan. scob. l. sassaphr. l. sanct. lentisc. Herb. agrimon. virg. aurea, millefol. fl. bellid. minor. sem. badian. fœniculi, dauci passulis majoribus exacinatis, pugillatim aquæ fervidæ infundendis, atque eidem sal volatile oleosum aromaticum essentia carminativ. Exc. Wedelii permixtum ad guttur triginta instillandum præcepi. Adhæc balnei aquæ dulcis cum malvaceis resolventibus & parogoricis decoquendæ usum per intervalla menstrua suasi, vino musteo ac novello & cibis sale conditis fumoque induratis Illustrissimo Dn. Patienti interdictis, sic ille, Curationi favente hucusque Divini Numinis gratia, pancratice valet.

OBSERVATIO CXI.

Dn. D. JOH. MAVRITII HOFFMANNI.

De

Hæmorrhagia uteri vesiculari.

MEndosum hydatidum partum in Ephemerid. nostrarum Decur. II. Ann. VI. Obs. CLXIV. descriptum antehac dedimus, in præsentiarum sistere lubet *hæmorrhagiam uteri vesicularem*; nempe enim cum mulier quædam marita quadragenaria major post abortum geminum fluore albo diu multumque laborasset, sub enormi superveniente uteri hæmorrhagia tandem rejectæ sunt pelliculæ & vesiculæ membranaceæ baccis uvarum ob exactam figuræ similitudinem haud inepte comparandæ, sanguineo cruore obductæ, & nunc eodem nunc lymphæ chyloso-viscido coagulo intus repletæ, ex quibus etsi nonnulli præsentem uteri exulcerationem denuntiarint, ego, ob doloris, fœtoris, puris & aliorum symptomatum absentiam, illas exportionibus seri chyloso-lymphatici, per abruptas sub fluore præcipue albo diuturno membranaceo-nerveas fibrillas uteri & interspersas glandulas solutionem unitatis perpessas, effusis, atque

que ſub mora aliqua temporis in pellicularum formam concretis potius oriundas ſuſpicatus ſum, dum eædem tum demum ceſſerunt, quando a ſanguine per dilatata & procul dubio aliquantum eroſa vaſorum ſanguineorum uterinorum oſcula confertim erumpente protruſæ, hocque ex parte etiam onuſtæ fuerunt.

(*Norimbergæ Auguſtam Vind. d. 1. Julii A. 1713. miſſæ*)

OBSERVATIO CXII.

Dn. D. CONRADI BERTHOLDI BEHRENS.

Singularis Epiglottidis convulſio, deglutitionem tam ſolidorum quam liquidorum impediens.

DEglutitio liquidorum læſa, ſolidorum integra manente, non unam cauſam agnoſcit, atque etiam ad Epiglottidem ſpaſmo correptam, adeoque rigidiorem, recte ab *Excellentiſſimo Helvvichio* in *Miſcell. Societat. Cent. 2. Obſ. 47.* refertur. Interdum ne ſolida quidem aſſumi poſſunt, ex eadem ratione, quod in Miniſtro quodam Ducali Cellenſi ante aliquot annos vidit *Illuſtris Dn. Ebelius*, Archiatrorum Auguſti ac Potentiſſimi Electoris Brunſuigo Luneburgii, Domini mei Clementiſſimi, Senior. In illo enim, catarrho ſuffocativo ſubito exſtincto, ac poſt mortem aperto, Epiglottis per ſpaſmum ejusmodi catarrhalem, verſus œſophagi orificium adeo retracta apparuit, ut aſperæ arteriæ orificium maxime apertum exiſteret, ac neque liquida neque ſolida propter metum ſuffocationis ingeri potuerint, ægerque etiam non aſſumpto ſacro viatico mortem opperiere coactus fuerit.

OBSERVATIO CXIII.

Dn. D. CONRADI BERTHOLDI BEHRENS.

Venæsectio in raucedine non semper noxia.

EX quo in *Miscell. Societatis Dec. I. Ann. 9. & 10. Obs. 57.* Celeberrimi quondam apud Dantiscanos Medici, *Smidii* monita de Venæsectione in raucedine vitanda antehac legi, ab eadem quoque ipse hoc casu in praxi abstinui. Superiori vero anno sub initium Februarii Religiosa quoque apud nos virgo raucedine corripiebatur cum tussi capitisque & pectoris dolore; usurpata per aliquot dies varie in raucedine alias experta, nihil proderant, ægra adstantesque Venæsectionem urgebant, quam tandem in talo admisi. Licet autem præfarer, raucedinem, cujus præcipue remedium expetebatur, exin vix cessuram, accidit tamen contrarium, & altero mane voce ita clara loquebatur virgo, ac si nunquam quicquam raucedinis habuisset. Lympham hic circa laryngem & asperæ arteriæ interiora stagnantem per modum revulsionis cum sanguine in motum iterum redactam, dubium nullum est. Restabat adhuc febris ægram noctu affligens, cui decoctum ex speciebus pectoralibus Augustan. cum cortice peruviano paratum per aliquot dies opposui, eaque ratione simul tussim curavi. Non mereretur quidem hic casus in Centuriis his locum, nisi *Excellentissimi Helvvichii Obs. 62. Cent. I.* occurrens, eidem recensendo ansam suppeditasset.

(*Hildesheimio Augustam Vind. d. 2. Sept. A. 1713. missa.*)

OBSERVATIO CXIV.

Dn. D. ADAMI CHRISTIANI THEBESII.

De
Polypis Cordis.

MVlti, inter quos noſtro tempore clariſſimi nonnulli Batavi, negant, dari Polypos cordis, niſi in articulo mortis orientes. Oportere nempe, ajunt, corpore tam alieno primariis viſceribus & vaſis impacto machinam hydraulico-pnevmaticam corporis noſtri ſtatim corrumpi, & liquoris vitalis motus ſiſti. Fateor, mihi vel hanc ſolam rationem, ut alias taceam, ſuffeciſſe, ut cum iis ſentire æquum duxerim. Sed mutavi mentem, poſtquam aliquoties obſervavi non tantum polypos cordis ampliſſime per vaſa protenſos, totos ex fibroſa & quaſi carnea materia conſiſtentes, ſed quod ii omnia vaſa & inter hæc robuſtiſſimam quoque aortam cum ramificationibus ſuis tam ample extenderint, ut diameter vel triplo major eſſet, & nihilominus tunicæ ſolito robuſtiores & denſiores fuerint; id quod omne ad articulum mortis redigi vix poteſt. Accedit, quod clariſſima ſigna apud valetudinarios diu ante mortem polypos cordis indigitent, imo vero quod ipſe apud illos, qui morbo chronico extincti ſunt, plerumque polypos (eosque pro ratione vel morbi vel diuturnitatis morbi majores & minores) viderim; nunquam vero apud eos, qui ſubito exſpirarunt, & ante mortem perfecte ſani vixerunt. Ut adeo glutinoſa pars ſanguinis in iis, quorum circulus ſanguinis non liber eſt, & in quibus diſpoſitio ad polypi geneſin adeſt, magis magisque ſucceſſu temporis concreſcat, &, ubi commodus locus datur, radices agat, tandemque in tantam polypoſam molem accreſcat.

Hoc enim aſſerere audeo, quod ii, qui diuturnis pulmonum affectibus laborant, fere ſemper poſt mortem polypos in corde verſus pulmones & venam cavam vergentes relinquant.

Atque tum haud dubie polypi generantur, quando ſanguinis motus per pulmones pituita craſſa vel pure repletos, vel a ſpaſmo vel a quacunque alia cauſa impeditus eſt, totique ſic ſanguinis circulo hic illic obex ponitur, ubi poſtmodum partes denſiores in vaſis tenuioribus prius concreſcunt, tandem connectuntur, & in maſſam talem multis radicibus luxuriantem degenerant.

Neutiquam tamen id affirmem, pulmones vitiatos ſemper polyporum cauſam eſſe; dantur enim & alibi remoræ motus liberi ſanguinis, quales in vena portæ nonnunquam ſe nobis exhibuerunt, ubi hepar & lienem tumidum deprehendi, atque non tantum in corde, ſed & in ipſa vena portæ polypoſa ſubſtantia ſe manifeſtavit. Oriuntur autem Polypi cordis, uti dixi, in vaſis ipſis minimis, iis nempe venularum coronariarum orificiis, quæ in foveolas & ſulcos cordis in utroque thalamo abunde ſe aperiunt, qua de re fuſius egi in Diſſertatione de Circulo ſanguinis in corde. Quamvis non negem, circumvolvi & implecti etiam multas ſanguinis hujus polypoſi fibras circa valvularum tendines & trabes in ventriculis cordis apparentes, plerumque tamen, imo fere ſemper in hiſce venulis radices primas agunt, & hiſce quaſi tot pedibus polypi inſiſtunt, cujus rei rationem alibi etiam dedi, in quod ut inquirant curioſi ſcrutatores, eſt, quod obnixe rogo.

OBSERVATIO CXV.

Dn. D. ADAMI CHRISTIANI THEBESII.

Diſſectio Aſthmate diuturno extincti.

MErcator celebris Hirſchbergenſis Zach. Sch. ætatis conſiſtentis, texturæ mediæ a multis annis anhelitus difficultate laboraverat, ingraveſcente ſemper affectu circa tempus vernale & autumnale. Acceſſit tumor pedum mox major, mox minor, ſæpe aliis ſymptomatibus comitatus, ſæpe cum euphoria ægri eva-

evanescens, imprimis postquam magnesiam albam nitri cum tantillo radicis Gialappæ mistam illi exhibueram, ubi semper melius se habuit. Tandem post aliquod tempus hydrops pectoris & scroti atque post pastum plerumque cephalalgia & dolor gravativus stomachi secuta, deficientibus paulatim viribus, mortem placidam obiit. In dissectione, præsentibus simul Dn. Dn. D. D. Süssenbach & Wendler, Collegis meis honoratissimis, observavimus in abdomine glandulas mesenterii tumentes & infartas, imprimis pancreas totum scirrhosum, ductumque ejus regium (qui in intestinum duodenum ducit) compressum & obstructum: unde forsan ab una parte dolor gravativus stomachi cum cephalalgia deducendus, & ab altera parte lobus hepatis sinister hic solito major, stomacho gravis extitit. Intestinum colon valde tenue & arctum, ubi vero in rectum desinit, solito amplius deprehensum est; hinc æger, dum viveret, clysma nunquam retinere potuit. In thorace dextrum latus una cum pericardio valde expanso aqua plenum erat, adeo ut mediastinum tantæ seri copiæ cedere, & sinistram thoracis cavitatem valde angustam reddere debuerit. Dexter pulmonum lobus vel septies minor fuit, quam quidem esse debebat, a diuturnis spasmodicis affectibus forsan tantum contractus. Pulmo incisus (hic illic infartus) parum puris spissioris & cineritii coloris stillavit. Externa cordis membrana hydatidibus scabra erat. In dextro cordis ventriculo polypus grandis in ipsis foveis radicatus per venam cavam & arteriam pulmonariam longe lateque extendebatur. In sinistro cordis thalamo polypus parum minor iterum, uti ille, in foveis, sulcisque cordis infixus hærens, & textura fibrosa alba & quasi carne luxuriante constans, per vasa majora protendebatur. Cæterum cor magnum erat & tumidum, ejusque auricula dextra multum expansa.

OBSER-

OBSERVATIO CXVI.

Dn. D. ADAMI CHRISTIANI THEBESII.

Dissectio Phthisi & ulcere Intestini Coli extincti.

GOttlobHancke, civis Hirschbergensis filius ab anno ætatis duodecimo interdum hæmoptysi laboravit, quæ tandem respirationem difficilem, tussim & lassitudinem perpetuam reliquit. Elapsis tribus annis febre hectica decumbit per semestre spatium & dolorem profundum in dextro latere circa intestinum cœcum sentit, qui congruis medicamentis internis & externis sæpe quidem sopitus est, mox tamen recruduit. Fefellit me spes, stasin illam sanguinis inflammatoriam vel plane discutere, vel denique ad exteriores partes protrahere & suppurationem inducere. Viribus consumtis æger diarrhæam per tres septimanas sustinuit, primo excrementa valde diluta, tandem pus & ichorem flavum dejecit, conquerens de gravissimis cruciatibus abdominis: ulcus dextri lateris ruptum & in cavitatem abdominis pus effusum esse, nullum amplius erat dubium, cum interea pulmones pure repleri & pituita spissa infarti suffocationem pariter minitarentur. Sequebatur tandem Anno 1710. d. 29. Nov. dudum expectata mors; & quoniam agyrta vivo adolescenti aliquando persuaserat, lapidem magnum ipsi in corpore hærere, quo vitam sit finiturus, æger quoslibet flatus & cruciatus volutationi hujus lapidis adscribebat; hinc mortuum eo facilius ob speratam a parentibus detectionem lapidis dissecandum obtinui. Fiebat id præsente simul Dn. D. Lange, Collega amantissimo & Chirurgo Kœhler, atque in apertione abdominis mox aqua cum pure copiose effluxit. Fuit vero sedes ulceris in ipso intestino colo prope cœcum, ubi pus septem foraminibus, nucis avellanæ magnitudinem æquantibus & sibi valde propinquis, canalem intestini perforaverat. To-

cum

tum cæteroquin colon collapsum, flatibus vacuum & in rugas contractum erat. Glandulæ mesaraicæ cum pancreate fuerunt infartæ: Tumidum hepar & lien: pulmones pleuræ & thoraci adnati, pure & spissa cineritia gelatina repleti. Cor in ichore flavo natabat, duobus albis, fibrosis, crassis carnosisque polypis scatens. Vnus ex ventriculi dextri fissuris & foveis radicibus millenis oriundus, per venam cavam & arteriam pulmonariam late extendebatur. Alter in sinistro ventriculo e quibusdam foveolis oriens maxime tendinibus valvularum implexus venam pulmonariam & arteriam magnam sive aortam perrepsit, & in ejus ramificationibus firmatus hæsit.

OBSERVATIO CXVII.

Dn. D. ADAMI CHRISTIANI THEBESII.

Dissectio Fœminæ Hydropicæ.

VXor sculptoris statuarii Hirschbergensis vegeta & sana, 35. circiter annos nata, post partum difficilem vaginæ uterinæ prolapsum passa est. Exinde variis morbis afflicta tandem ascitica facta. Curata est tamen hydrops aliquoties per adhibitum lixivium de stipitibus fabarum aliaque medicamenta ἐυπόρισα. Sed post aliquot annos denuo hydropica reddita, omni medica opera frustra impensa, tandem mortem obiit. Dissecare illam feci per Hieron. Hoffmann Schulzium, Chirurgum, atque abdomen aquis tantopere expansum vidi, ut vix umbilici vestigia comparerent, & secando tanta seri copia effluxit, ut quadraginta mensuras superaret. Hydatides innumeræ, inprimis circa uterum, ovaria & mesenterium comparuerunt, vasa lymphatica multa una cum glandulis disrupta, intestina & viscera putredine correpta. In utroque ventriculo cordis Polypi carnosi longissimi in foveolis sulcisque radicati & vasa primaria arterioſa ac venosa ampliſſime dilatantes, atque per totum ferme vasorum sy-

ſtema repentes, aliaque multa huc facientia non ſine admiratione oculos noſtros ſubierunt.

OBSERVATIO CXVIII.

Dn. D. ADAMI CHRISTIANI THEBESII.

Diſſectio puellæ phthiſi & Spacelo oris mortuæ.

TExtor Hirſchbergenſis Joachim Günther, tutor puellæ 12. annorum a me petiit, ut ipſam inviſerem & morti proximæ auxilium ferrem. Hæmoptyſi correpta fuerat, cum ante aliquot menſes petulanter cum ſorore in arenam deſcendens venam in pulmonibus rupiſſet, atque exinde a ſanguine congrumato in cellulis pulmonum relicto & putrefacto ulcus concepiſſet. Vidi illam phthiſi conſummatam & ſphacelo oris correptam glandulasque pulmonum pariter ſpacelatas judicavi. Halitum ſpirabat fœtidiſſimum, acrem, & maxime penetrantem. Levamen dolorum, non curatio fieri potuit. Mortuam tandem per Chirurgum Kœhlerum diſſecare feci, ubi reliquis viſceribus parum læſis, pulmones pleuræ & thoraci adnati, pure repleti, omnesque glandulæ nigræ & ſphacelatæ nobis occurrerunt. Totum mentum, ſimul cum muſculis buccinatoribus, conſpectu horribili, putridum & nigrum fuit. Polypus carnoſus in utroque ventriculo cordis in foveas pedes ſuos alte inſerens, & in remotiſſima vaſa abiens, a nobis inventus eſt. Hymen ſive ſignum virginitatis exacte vidi, multisque circumſtantibus demonſtravi. Neutiquam tamen, ut multi dicunt, membranam tympaniformem, ſed circulum ſaltem membranoſum digiti minimi latitudinem æquantem, demonſtrare potui.

OBSER-

OBSERVATIO CXIX.

Dn. D. ADAMI CHRISTIANI THEBESII.

Dissectio pueri atrophia & suffocatione pulmonum mortui.

A Vrifabri Hirschbergensis N. Krausii filiolus, nondum duos annos natus, atrophia diu laboravit; tandem correptus febre catarrhali epidemica, pulmones maxime afficiente, suffocatus interiit. In dissectione observavi una cum Dn. D. Kœhlero a Mohrenfeld, Collega nostro honoratissimo, & Chirurgo Krügel, omnes glandulas mesentericas una cum pancreate infartas, hepar maxime tumidum, bilem spissisimam & abdomen sero flavescenti plenum. In Thorace pulmones lividos, punctis rubicundis in superficie exteriori copiose insperfis, & pituitam spumescentem ex incisis asperæ arteriæ ramis stillantem vidimus. Cordis thalami polyposa substantia, in morbis hujusmodi solita, repleti fuerunt.

OBSERVATIO CXX.

Dn. D. ADAMI CHRISTIANI THEBESII.

Dissectio Fœminæ ulcere ventriculi exstinctæ.

VXor Domini Dipoltii, (qui illustrissimi Comitis de Zirotin Districtus Chemnicensis Præfectus est) a multis annis cachectica, dolorem jam majorem, jam minorem prope scrobiculum cordis in sinistro latere sensit, cui accesserunt varia symptomata & maxime vomitus pertinacissimus post pastum. Cessit tandem fatis, postquam nonnisi per quatuor dies decubuerat Anno 1713. mense Februario; & quoniam ipsa vivens voluerat, ut post mortem

tem secaretur, saltem ut intensissimorum dolorum causa patefieret, mihi, in absentia Medici ordinarii Dn. D. Süssenbachii, sectionis cura commissa fuit. Invenimus abdomen pure & aqua repletum cum insigni fœtore. Pus erat spissum, glutinosum, ex albo & luteo hinc inde virescens, partim intestinorum canali arcte adhærens, partim cum intermixta materia alba, ceracea vel sebacea aquæ innatans. Heterogenea hæcce corpora igni admota liquescebant instar ceræ, & ut opinabar, mastichis grana erant ægræ a Medico pro medicina ordinata, quæ in ventriculo soluta postmodum coagulum tale iterum subierunt. Fons puris & materiæ hujus heterogeneæ in ipso orificio superiori ventriculi deprehensus est, ubi foramen nucis myristicæ magnitudinem excedens, in cavitatem ventriculi & œsophagi hiabat, quorum uterque pure plenus fuit. Huic foramini aliud ex opposito in eodem œsophagi fine visum fuit, pariter puri exitum præbens. Utrumque horum foraminum circa limbum valde tumidum, nigrescens & sphacelatum se exhibuit. Vlcus autem, antequam perforavit viscus, sat amplum fuisse, collegimus, quia tum œsophagus valde dilatatus, tum ventriculus cum stomacho tantum depressus erat, ut pylorus locum illo superiorem teneret. Vasa sanguifera circa nervos stomachales, circa plexus mesentericos, circa plexus minores in pelvi, inprimis in sinistro latere turgebant, membranæ lividæ erant & tumidæ: propterea haud dubie pes sinister & totum latus sinistrum, quasi paralytica facta; ab ægra vix moveri potuerunt. Testes sive ovaria inflammata & ex parte cum utero pauliſper ulcerata fuerunt, ita, ut per tubas fallopianas utero compresso pus exiret, atque via ex tubis in uterum, & ex utero in tubas valde patula esset. Renes solito flaccidiores erant, Pancreas tenuissimum, glandulæ mesaraicæ parvissimæ. Vesica urinaria ne guttam quidem urinæ continebat, quamvis ægra multis ante mortem diebus nihil urinæ reddiderit; Forsan quia post perforationem stomachi plurimus potus in cavitatem abdominis effluxit, & reliquus per corpus prorsus emaciatum facile transpiravit, Renes bene constituti: bilis solito spissior: Li-

quor

quor Pericardii copiosissimus & sanguinolentus. Neutiquam tamen colorem illum rubicundum per incautam manum in dissectione adeptus est; id quod studiosissime fuit prohibitum. Neque illum e glandulis Malpighianis contraxit, utpote quæ pariter ac omnes glandulæ tenuissimæ & inprimis hæ in hoc cadavere prorsus invisibiles. Verum auricula cordis dextra tantum dilatata erat, ut dextrum cordis ventriculum non modo æquaret, sed magnitudine superaret. Per hujus membranam, accedente leniissima digiti compressione, transsudabat sanguineus ille pericardii liquor, id quod sine dubio eadem ratione in vivente corpore per impulsum sanguinis factum est, inprimis cum in articulo mortis, cessante jam motu auriculæ sinistræ & ventriculi sinistri, nihilominus ventriculus dexter; &, cessante etiam hujus motu, ultimo adhuc auricula dextra systolen & diastolen ordinario patiatur. Hunc novum liquoris pericardii fontem declaravi in Dissertatione de Circulo Sanguinis in corde & alibi. In ipsis cordis ventriculis parum substantiæ polyposæ carneæ deprehensum est.

OBSERVATIO CXXI.

DN. D. ADAMI CHRISTIANI THEBESII.

Florenus solidus innoxie deglutitus.

JOhannes Fridericus Steulman, textor in pago Straupiz prope Hirschbergam, vim robustus & sanus anno 24. ætatis, ante aliquot menses interdiu cum infante in lecto decumbit, atque aperto ore obdormiscit. Quo viso filiolus florenum in Gallia cusum, quem forte in manibus tenuit, patri in os profunde immisit. Ille vero ex improviso expergefactus, nesciens, quid sibi in gula hæreat, illud deglutire tentat. Cum vero sero nimis bolum incongruum deprehenderet, omnes nervos intendit, ut illum promoveat in ventriculum, tandemque non sine multo

labore & dolore in ſtomachum depreſſit. Senſit poſtmodum gravativum dolorem, qui tamen, adhibitis cataplasmatibus convenientibus, ſenſim remiſit, atque poſt acidorum multorum eſum, ex conſilio noſtro adhibitorum, nihil amplius conqueſtus eſt, nunquam tamen florenum vel ſuperius vel inferius reddidit.

SCHOLION.

Infelicior fuit puer 6. annorum itidem hic Hirſchbergæ, qui ante duos annos, & quod excurrit, globulum nuce juglande paulo minorem in ore detentum forte deglutit. Antequam autem globulus œſophagum perlabitur, errorem agnoſcens tuſſiendo reddere tentat, atque ſic illum in aſperam arteriam derivat. Quo caſu infelici phthiſin ſibi accerſivit, & omni oleo & opera fruſtra impenſis, tandem interiit. Poſt mortem diſſectus, pulmones pure repletos ſimul cum eodem globulo in aſpera arteria retento & arcte concluſo habuit. Quale infortunium & ille puer paſſus eſt, cujus hiſtoriam aliquando ex ore Cl. Bohnii Prof. prim. Lipſ. Patroni atque Præceptoris noſtri æternum venerandi, hauſi, qui nummulum æneum forte deglutierat, atque vomitu perpetuo afflictus tandem perierat. Cum vero poſt mortem a Cl. Bohnio cultro Anatomico ſubjiceretur, nummulum in pyloro hæſiſſe, illumque operculi inſtar arcte occluſiſſe deprehenſum eſt.

OBSERVATIO CXXII.

Dn. D. ADAMI CHRISTIANI THEBESII.

Dissectio Hæmoptici & Asthmatici.

TIro artis Chirurgicæ apud Hierōn. Hoffmann Schulzium, Chirurgum Hirschbergensem degens, floridæ & vegetæ ætatis hæmoptysi & difficultate anhelitus tamen diu afflictus est. Is febre tandem mortuus, in dissectione pulmones totos pituita crassa cineritia, pure intermisto repletos, eosque, quod plerumque in hisce subjectis observavi, qua utrumque lobum pleuræ & thoraci adnatos nobis exhibuit. Polypi cordis non deerant, iterum in fissuris foveisque thalamorum radicati.

OBSERVATIO CXXIII.

Dn. D. ADAMI CHRISTIANI THEBESII.

Dissectio Melancholici, lethargo tandem mortui, miram genitalium conformationem habentis.

VIr quadraginta circiter annos natus N. G. in suburbio Hirschbergensi habitans, robustus & sanus, nisi quod a multis annis homo sui capitis & melancholicus fuerit. Cum deinde melancholia indies augeretur, tumorem circa hypochondria sensit, & accedente febre in lethargum incidit. Tandem uxor & consanguinei medicinam a nobis petierunt, sed cum morti proximus esset, atque statim exspiraret, sectio cadaveris facta est. Inveni una cum Chirurgo Kœhlero in abdomine inter alia hepar & lienem una cum glandulis mesentericis & pancreate valde tumentia & hinc inde scirrhosa. Inprimis vero membrum genita-

nitale singulare quid habuit. Nulla enim hic glans aderat, sed præputium pugni instar tumefactum & lividum, reliquusque penis aridus & minutus usque ad scrotum fuit. In scroto testiculus unus mollis, conquassatus, magnus & lividus; alter testiculus valde parvus & vix nucis avellanæ magnitudinem æquans, supra penem intra cutem & pinguedinem abdominis non tantum retractus erat, sed plane concretus, & non nisi violenta manu & sectione scroto restitui potuit. Conjugium sterile semper fuit, & contestata est uxor, quod maritus nunquam coitum moliri aut voluerit aut potuerit. Orta est hæc prava membri genitalis conformatio, cum puer equo infeliciter veheretur, & partes hasce verecundas sibi prorsus conquassaret, nec ullum medicum auxilium admittere vellet.

OBSERVATIO CXXIV.

Dn. D. ADAMI CHRIST. THEBESII.

Curatio pueri Cachectici & Tabe consumti.

PAncratius Emmerich, Civis honestus Hirschbergensis, curationem filii vix duos annos nati, a me me efflagitavit, utpote qui, abdomine tumente, glandulis mesentericis obstructis & sub nucum forma in abdomine manui explorantis se manifestantibus &c. febre hectica diuturna adeo consumtus erat, ut animam agere videretur. Restitutus est ille per DEI gratiam pristinæ sanitati, & ex illo tempore per duos annos perfecte sanus vixit. Maxime autem apud hunc puerum, multosque alios hujusmodi ægros, pro scopo aperiendi & humores corrigendi conducere mihi visa est magnesia alba nitri & pulvis anticachecticus Ludovici, cum lapidibus cancrorum & crystallo præparatis mistus, atque dum hæc non suffecerunt, ad Mercurium diaphoreticum rite præparatum, quasi ad sacram anchoram, confugi.

(*Hirschberga Silef. Augustam Vind. d. 20. Sept. A. 1713. missæ*)

OBSER-

OBSERVATIO CXXV.

Dn. Lic. JOH. JACOBI DILLENII.

De

Plantis Novi Orbis, Veteris spontaneis & inquilinis factis.

TAlis est Lysimachia lutea Virginiana *Ger. Em.* lutea siliquosa Virginiana *Park.* Americana *Col.* lutea corniculata *C. Bauh.* a quo Pinac. Append. exacte descripta est. Qua de certa fidaque Amici botanophili relatione mihi constat, in sylva Francofurtana, & ad ripam Salæ in Thuringia, procul omnibus hortis copiose eam provenire. Huic jungimus plantam nondum satis bene descriptam, nec in Pinace adhuc recensitam, a *Jungermanno* Cat. Horti Alt. titulo Conyzæ thyrsoidis floribus minutis ramosæ propositam, quæ Canadensis passim existimatur, de qua pluribus in specimine Historiæ Plantarum Hassiæ egimus. Conyzellam ibi vocavimus, & peculiare genus ei concessimus, quoniam nec ad Conyzam, nec ad Erygerum vel Senecionem, cum Morisone & hujus assecla P. Ammano ulla ratione referri potest. Conyzæ cœruleæ acri *C. B.* suum destinaverat caput Rajus in Hist. Plant. p. 270. & hanc eidem sequentibus nominibus accensuerat: Conyza Canadensis annua, acris, alba, Linariæ foliis *Boccon.* Con. alba, acris, annua *Moris.* An Eupatorium cannabinum Americanum angustifolium *Park!* dubitans tamen nec peculiare genus constituens, in Meth. Em. omittens. Et sane cum Conyza cœrulea acri *C. B.* ob flores stellatim non radiatos, & barbulas marginales surrectas, ei magis convenit, quam cum quacunque alia Discoidea herba, diversa tamen omnino flosculorum structura est, qui in quatuor saltem lacinias exiles divisi sunt, quo non ab hac tantum, sed & omnibus in genere Discoideis & Corymbiferis differt. Provenit Conyzella hæc in arenosis Lani fluvii minor, solo vero pinguiore in ejusdem ripa major & elatior sponte

omnino apud nos, & circa Francofurtum quoque atque Darmstadium inter segetes, in vinetis atque silvis etiam copiose. Quin seminio utraque ortum debeat, nemo dubitabit, & de posteriore quidem, cum papposa semina fiant & minuta præterea sint, probabile est ventorum beneficio facile ex hortis, quibus illata primum fuerant, facile ea quaquaversum deferri potuisse; sed de priore cum semina ejus crassiora, nec contra Europæarum Lysimachiarum normam lanuginosa sint, res minus plana videtur, nisi concedas hortorum repurgamentis & quisquiliis projectam foras radices egisse, aut semina germinavisse, jactoque semel fundamento latius evagatam fuisse, & in locis tandem sibi appropriatis tanquam in natali solo constitisse. Quod ei omnino fuit in proclivi, cum regiones illæ, unde primum allata sunt semina, nostris non sint calidiores, immo Canada quam Germania polo arctico multo propius accedat, & itinerariorum fide, immani frigore peruratur. Potuere igitur mitius solum nacta vegetabilia facile comprehendere & ex seminibus repullulare, maxime si terra a natalis soli proprietate non multum differat. Hæc enim causa fuerit, quod non & aliæ Septentrionalis Novi Orbis plantæ, quorum numerus nostro tempore longe maximus factus est, locis silvestribus apud nos æque comprehenderint & inquilinæ factæ fuerint, cum iis non minus, ut opinor, quam præsentibus duabus sese propagere licuerit. Verum observabuntur forsan olim plures ab aliis, nos cum id a nemine hactenus factum fuerit, dignam existimavimus rem, quæ notaretur, licet usus modicus aut prope nullus inde resultet. Saltem id nemini concedatur, plantas has Europæas fuisse antequam America nota fuerit.

(Gissa Augustam Vind. d. 20. Septembr. A. 1713. missa.)

OBSER-

OBSERVATIO CXXVI.

Dn. D. MICHAELIS ERNESTI ETTMüLLERI.

De

Arsenico sine inflammatione necante.

JOhanna Clara Keiling die 20. Novembris Anni 1712. Lipsiæ filiolæ suæ, duorum circiter annorum furtiva venere conceptæ, catarrho suffocativo quandoque expositæ, alias sanæ, vesperi hora VIII. pulverem quendam & haustum cerevisiæ propinavit, postquam hæc aliquot horas ante placenta, passulis minoribus & amygdalis referta, fruita fuerat, ut eam vel interimeret, vel a catarrho suffocativo liberaret. Hora 1, noctu rejicit puella multa liquamina viscida. Mane surgens mater mortuam eam invenit in lecto, & 25. ejusdem terræ mandari curavit. Prætor de infanticidio monitus die 29. cadaver sectioni & inspectioni tradit Physico, qui dubius, num putredo, quam offensurum se credebat, humidæ anni tempestati & humo, an veneno propinato in acceptum sit referenda, ex officio cadaver aperit, sed hoc incorruptum, nec ullo tumore vel alia labe externe infectum reperit, nisi quod in dextro latere dorsi ad femora, inguina, & pudenda usque lividus & cœruleus tractus fuerit notatus. In abdomine intestina sine putredine & fœtore erant; ventriculus continebat liquamina multa una cum passulis minoribus, amygdalarum frustulis & pulvere albo, grosso modo pulverisato, qui prunis ardentibus injectus fumum edidit arsenicum spirantem. Et cum similis pulvis in matris ædibus præsto esset, de eo, quantum duo cultri cuspides capiunt, cani sex septimanarum cum aqua fuerunt exhibiti, post quam dosin sumtam plurimi vomitus & tertia hora post mors fuit secuta. Feli autem pulveris portio cum pinguedine subacta & cum aqua propinata post unam horam cum dimidia mortem induxit. Aperto canis cadavere stomachus circa pylorum externe maculam fuscam monstrabat, interne lac con-

grumatum, prope duodenum corrosio enormis, & ad magnam ventriculi & duodeni partem inflammatio conspiciebatur. In fele ventriculus, quoad fundum ad grossi magnitudinem inflammatus erat, & partem pulveris adhuc continebat.

SCHOLION.

Arsenicum fuisse, quod puellæ exhibitum est, circumstantiæ allatæ abunde docent; quod autem mirandum in hoc casu, est, quod nulla inflammatio nec ventriculi nec duodeni fuerit secuta. Usque adeo enim vis hujus veneni corrosiva & septica aperta est, ut vix citra inflammationem partem, quam attingit, relinquat; quod multi casus funesti eorum, qui ex incuria arsenicum deglutierunt, probant. Quinimo externe applicatum illud similem patrare phlegmonem, exempla testantur a Francisco Alphanio de peste, Massaria Lib. II. de peste, Deusingio de peste P. IV. sect. III. cap. 3. Verzascha observat. 66. Diemerbroeckio de peste hist. 44. & 99. & Hodger de peste Londinensi pag. 239. allegata eorum, quibus amuleta arsenicalia contactu suo pustulas nigras dolorificas in pectore, quasi cauterio potentiali inustas, imo mortem ipsam concitarunt. Sic Crato Epist. 168. ad Monavium ita scribit: vera tibi narro, ex gestatione arsenicalis sacculi adeo debilitatum & in pectore exulceratum fuisse N. N. ut cum magna indignatione sacculum abjecerit. Effectus vero si consideremus, quos arsenicum præter inflammationem patrare solet, observamus, eos non solum in solidarum partium mortificatione consistere, sed spiritus animales inde dispari & in motus inconcinnos abripi, humoresque turbari; sive devoratum venenum hoc, sive externe applicatum, sive vaporetenus fuerit admissum. Sic Sennertus Lib. VI. Prax. Part. V. cap. 2. pag. 231. puellam refert, quæ arsenicum in balneum itura assumsit, postea multum vomuit, & post multorum alexipharmacorum usum ad annum equidem 21. vixit, postea vero fœda scabie & tanta cachexia correpta fuit, ut frustra omnibus adhibitis auxiliis diem suum obierit. Amatus Lusitanus Cent. II. curat. 65. no-

tat

tat famulum, ab esu carnis gallinæ arsenico enectæ tabe correptum fuisse, & intra annum obiisse. Similiter decoctum arsenici in aqua simplici ad unciam unam cani infusum, mortem miserandam cum gravibus symptomatibus, ronchis, copiosis alvi & vesicæ dejectionibus, volutationibus violentis, oculorum contorsionibus intulisse, testatur B. Pater meus Disp. de Chirurg. Infusor. c. 1. §. 4. Puellam quandam, incaute devorato arsenico, toto die vomuisse, per triennium morbosam supervixisse, ac tabidam ex febre, cujus indolem nemo cognoscere poterat, tandem obiisse refert Wepferus de Cicutæ Aquaticæ Historia & noxis cap. 21. hist. 5. Sudores frigidos, tanquam symptoma hausti veneni arsenicalis, allegat Michaëlis in operibus suis pag. 588. immobilitatem vero circa omnes juncturas Petrus Aponensis. De Arsenici externe admoti vi sequentia habet Gulielmus Fabritius Hildanus Lib. de Gangræna & sphacelo cap. 5. Memini, dicit, cum vix granum arsenici, quantumvis aliorum mistione correctum, applicatum esset, ulceri tibiæ, subinde accidisse deliquia, syncopen, febrim, delirium, & inquietem. -- Sic, pergit, mihi retulit Dominus Janus Antonius Saracenus, Medicus Regius, Genevæ intra paucos dies sublatum robustissimum Helvetium, cui, cum tumore cancroso laboraret ad carpum, Chirurgus pulverem, qui recipiebat arsenici tantillum, adhibuerat. Et Amatus Lusitanus loc. alleg. refert, juvenem scabie laborantem unguento, cui arsenicum junctum fuit, fuisse usum, exindeque in insaniam devenisse, adeo ut catenis fuerit ligandus. Alium simili unguento usum mane mortuum fuisse repertum. Alii in ulcere cruris pro spongiosa & fœtida carne absumenda arsenicum fuit admotum, ex quo paucas ille post horas tantis convulsionibus, stupiditate manuum pedumque, sudore frigido, palpitatione, deliquio cordis & vomitionibus fuit correptus, ut, nisi in continenti Bezoardicis aciem intus forisque contra instruxissent, procul dubio periisset, referente Angelo Sala Ternar. Bezoard. cap. 27. Spiritus arsenici & vapores naribus haustos summe noxios & sæpe exitiales esse. Oporinus suo probat exemplo, dum a Paracelso adiram commoto jussus, ut nares alembico propius admoveret,

odoremque medicamenti exploraret, sulphure arsenicali exhalante spiritum vitalem sibi suppressum perhibet; vid. Balthasar Timæus in Cas. Med. lib. VII. pag. 327, Nec meliora fata Tackenius expertus est, qui, cum arsenicum aliquoties sublimasset, & tandem vas aperuisset, tam suavem, dulcem, ac gratam in os attraxit auram, quam cum admiratione nunquam antea expertus fuerat, sed post semihorulam stomachum dolentem, & contractum sensit, cum omnium membrorum convulsione & respiratione difficili, sanguinemque minxit, cum ardore intenso; postea subito colico dolore correptus, totusque paralyticus evasit per sesquihoræ spatium. vid. Hippocr. chym. cap. 24. Sennertus loc. cit. p. 237. dicit, pictorem quendam aperta capsula, in qua diu asservaverat Realgar, adducto infeliciter per nares ejus halitu, correptum fuisse vertigine, & deliquiis animi cum tumore totius faciei. Timæus loc. cit. Pharmacopœum quendam recenset a vaporibus & fumis venenatis arsenici incidisse in lipothymiam, exhibitis autem aquis cordialibus ad se rediisse quidem, sed de insigni præcordiorum angustia, spirandi difficultate, siti inextinguibili, linguæ, faucium & gulæ ariditate fuisse conquestum, corpus ac inprimis pedes hinc inde jactitasse, pedumque dolore vehementer, vigiliisque perpetuis tentatum fuisse, multaque alia symptomata passum, quin & lipothymiam frequenter infestasse.

Sed ut ad Casum nostrum redeamus, mortua est puella absque ulla inflammatione & gangræna. Causam hujus phœnomeni ut reddamus, repetendum erit, eam temperamenti fuisse phlegmatici, multaque liquamina viscida in ventriculo collegisse, qualia etiam noctu evomuit, unde crebrioribus catarrhis suffocativis fuit exposita. Deinde eam placentam, cum passulis & amygdalis dulcibus refertam, ante haustum venenum comedisse. Jam constat ex observationibus Wepfferi loc. alleg. Hist. 1. & Heinrici ab Heer observ. 16. arsenicum pleno ventriculo sumtum tantam stragem non edidisse, quam si a jejunis assumatur. Notum etiam est, talismodi generis placentas utplurimum len-

lentorem quendam contrahere, sie werden schlirffig / idque a pallulis, imprimis si calidæ & recentes dissecentur, atque amygdalas dulces oleositatem secum gerere, unde spicula arsenici muco illo & oleaginositate obvoluta ventriculi fibras erodere & corrumpere non potuerunt, sicut ex observationibus Wepfferi loc. cit. Hist. 2. 3. 4. lac, & Hist. 10. & 12. oleum amygdalarum dulcium arsenici spicula ita obtudit, ut gravius nocere nequierit; quemadmodum etiam infantes, qui lac sugunt, & lacteis pulmentis fruuntur, majorem auri fulminantis dosin impune sumunt, quam nonæque bene ferre possunt ablactati, & qui oleoso ejusmodi nutrimento non aluntur. Vellicare vero violentius & irritare ventriculum puellæ nostræ, eumque ad vomitum invitare, humores corrumpere & spiritus ad stases & motus spasmodicos concitare potuit arsenicum; sicut quotidiana experientia docet, emeticum intempestive datum lethales quandoque sequi motus convulsivos; ita ut infans hic suffocatione, vel syncope vel epilepsia mortuus esse videatur. De cœtero communis est sententia, mures assumto arsenico aquam anxie quærere, a morte sese liberaturos, eamque post Mercurialem de Venenis Lib. II. cap. 9. Sennertus loc. alleg. pag. 272. sed tepidam, hominibus commendat. Experimentum fecit in cane Sperlingius, uti hoc testatur in Disputat. sua de Arsenico; huic enim ℈ij. arsenici cum pane exhibuit, & post horam demum aquam dedit, qui licet erectus stare non potuerit, post tres tamen horas penitus restituebatur. Quemadmodum B. Pater meus in Disput. de parvis magnorum morborum initiis §. 47. cujusdam meminit, qui ex errore aquam fortem bibens, hausta mox desuper copiosa aqua, liber ab omnibus symptomatibus mansit. An igitur hausta cerevisiæ quam mater filiolæ post pulverem præbuit, veneni vim coërcere aliquatenus valuerit, aliis dirimendum relinquo.

(*Lipsiæ Augustam Vind. d. 5. Octob. A. 1713. missa*).

OBSER-

OBSERVATIO CXXVII.

Dn. D. IMMANVELIS WEISMANNI.

Tortura Oris spasmodico Apoplectica, ob senium valde periculosa, in integrum sublata.

Foemina nobilis, pene octogenaria; sterilis, primis matrimonii annis multoties in thermis ultra definitas horas balneans, fervidiorem sanguinem & calidam humorum diathesin, ac contumacem alvi constipationem sibi adscivit: mensibus ordine purgata fuit ad 50. annos; defuncto antetria lustra marito, in solitudine vixit, terrenis quidem omnibus opibus, sed insimul ventris supra modum tumidi ampliorisque ac in gravida mole sibi ipsi onusta, quæ increscere diu videbatur, una alvus fere omnino exsiccari voluit, tamen sine torminibus, vel aliis cachexiæ aut hydropiseos symptomatibus. Suasu medicorum conservam Spagyricam Disp. Aug. nobilem hydropicis, tympaniticis, hypochondriacis & apoplecticis medicinam, insigni quantitate & pretio devoravit, pruna item laxativa, pillulas F F. aliasque aloeticas, absque crebriori aut majori ventris stimulo; Etiam clysmatum myriadibus parum effectum, imo fistula intestino vix intrudi potuit. Tum inuri passa utrique brachio fonticulum, qui sanguinem ferum & pus largiter fudit. Biennio abhinc supra malleolum externum dextri pedis exorta lichenosa cutis asperitas, dolorosa & serum salsum substillans, quæ frictionibus ob pruritum irritata in herpetem degeneravit, cinguli instar 4. digitos lati pedem quasi hemicyclo cingentem, exterius saltem & in superficie urentem cutemque erodentem, qua squamosa decidente vel manu detracta, tenuis humor exsudavit. Inopinato claudebantur fonticuli, & pedis ichorosus fluor intra biduum quoque exacapi-

ruit, irruente una majori abdominis flatuoso-torminoso tensiva intumescentia, pectoris angustia veluti præcordia contorquente, capitis gravedine & turbulentia vertiginosa, oculorum obnubilatione atque violenta clausura, superciliorum tremore, sinistri lateris stupefactiva lassitudine & insensibilitate, maxime autem labiorum spasmodica tractione contorsioneque horrida, quamvis indolente. Hem inde quantum clamoris, miseriæ & anxietatis? una quantum amoris & desiderii in medicum, qui ægre morituræ spasmum ocyssime tollat, ac fortiorem apoplexiam declinet? Data diaphoretico-nervina, acrem ulceris lympham jam in glandulas iterum resorptam nervisque ex aliqua parte affrictam, novo fluore extrapellendi ac temperandi unaque tensiones spasmodicas relaxandi; data analeptica, antispasmodica & antapoplectica specifica ac pretiosa: immissa fonticulis suppressum ichorem alias revocare potentia varia, ulceri siccato superimposita Emplastra renovativa, rubefacientia, vesicantia &c. aspersum etiam alumen &c. illita cervici, vertici, nuchæ, temporibus ac pulsibus balsama & linimenta balsamica, ac caput & contorta facies cucuphis munita. Dubitabatur inter amicos, an convalitura sit, ob ætatis gradum & symptomata periculosa: tamen continuatis convenientibus remediis intra decendium quamoptime D. G. restituta, nec minimum tam horridæ contorsionis facieique inde miseræ deformatæ vestigium relictum fuit.

OBSERVATIO CXXVIII.

Dn. D. IMMANVELIS WEISMANNI.

Septimus annus, primus Climactericus, Variolosæ funestus.

Filia nobilis, elegantis sed tenerioris a nativitate texturæ, corpore quidem bene crevit: achores capitis quinto demum anno eruperunt, mox resiccati sunt, non sine metu relicti ex eorum citiori subsidentia levioris asthmatis & radicati mali circa pectus. Facie semper inde rubuit, frigida magis appetiit, sitiit tussivitque. Venter mollis, depressus, nec tensus aut dolens. Intra semestre icterum, diarrhœam serosam, & dysenteriam t. t. epidemiam passa est, & aliquoties postea febricitavit, incerto typo, forsan non incerto signo latentis & in actu eruptionis stantis febris lentæ tabificæ, qua post aliquot inde septimanas primum, tum intra annum & dimidium ter correpta, Dei tamen benedictione, evasit, reservata alii fatali morbo, *Variolis*, quas dudum anxii parentes intense optarunt, fore sperantes, ut transmigrata illa Scylla Charybdin evitatura esset. Distulit autem Natura variolas in septimum ætatis annum, ominosa & funesta retardatione, quas ob epidemium t. t. statum eo certius erupturas, difficilis, frequens & copiosa liquaminis pituitoso-bilioſi dejectio prodidit, æstus quoque insequens inæqualis & horrores multi intermixti, apparente licet nec ullo alio consueto Variolarum signo. Cum grassantes in aliis multis variolæ mali moris essent, dubia prognosis data, & tamen ex arte præscripta blande diaphoretica, analeptica, & fervorem M. S. prius jam miasmate hectico febrili infectæ moderate restinguentia. Quarto & quinto diebus copiosæ in facie, manibus & corpore anteriori maculæ, sensim in papulas ichore suo repletas decenti altitudine elevatæ: æqualis cor-

corporis calor, pulsus naturalis visus, libera spiratio, linguæ & faucium integritas, variolarum legitima maturatio, & quæ talia in varioloſis non suspecta signa habentur, felicem morbi tum statum, tum eventum prædicere videbantur. Sed, quæ optime se habere, & jam evasura putabatur, subito aphonia, ästhmate, & primum solius dexteræ, tum sinistræ etiam manus convulsione, denique universalibus convulsionibus impetita, circa finem diei decimi & quarti inter meliora sperantium parentum lachrymas expiravit, *primo hoc suo Climacterico* ad lethum judicato reliquis vitæ sanitatisque periculis maturius erepta. Quam mortiferam Variolarum catastrophen facilius in filia Illustri itidem septenni eventuram credidissem, quæ aliquot a computata invasione diebus, cum excludi debuissent variolæ, apparente ne unica vel macula, intensissime æstuavit, continuo deliravit veluti phrenetica, manibusque & capite sæviter convulsa, & ob inflammatoriam faucium constrictionem linguæque rigiditatem fari amplius non potens fuit, a Generosis Parentibus fato relicta. Præscripta selectiora alexipharmaca, expulsiva, cephalica, & in decenti dosi bezoardica & cinnabarina, distinctis vicibus exhibendo sudoremque blandum continuum eliciendo: Brachiis vesicatoria, faucibus & linguæ linctus & gargarismus: Noctu emulsio cardiaco-antispasmodica cum tantillo laud. opiat. &c. quibus variolarum expulsio in tantum & ita celeriter cessit, ut altero die circa meridiem maculis plena priorem faciem multum immutaverit, illico remittente, acutiori prius, febre, cessantibus deliriis ac convulsionibus, & insecuta præter opinionem, absoluto morbi decursu, lætissima valetudine.

)o(

OBSERVATIO CXXIX.

Dn. D. IMMANVELIS WEISMANNI.

Ischuria conjuratione primum feliciter curata, post decendium lethalis.

MVlier nonagenaria plurimis viduitatis ſuæ annis torminibus hyſtericis urinæque cum ardore tum ſtillicidio afflicta & pro calculoſa habita fuit. Nuper urina ſemel & ſimul plene ſuppreſſa, cum doloroſiſſima ventris inflatione ejusque ac totius hypogaſtrii atrociter lancinantibus doloribus, ut abdomen & veſicam disrumpi debere, continuo exclamaverit. Vocatus illico Chirurgus, cathetere nec calculum tangere aut removere, nec urinæ guttam elicere potuit. Etiam Clinicæ variis remediolis, cataplaſmatibus, operculis, unguentis &c. ciere urinam & delinire tenſiones ventris tentarunt, ſed ſine effectu, & ob doloris ferociam proxima convulſionibus muliere. Interim ad proximam domum mendicans Vetula, auditis tum ægræ tum adſtantium clamoribus, an aliquis ibidem adeo periculoſe aut tam dolorifice ægrotet! quæſivit, atque obtenta reſponſione, quod Senex fœmina ex aliquot dierum repreſſione urinæ intenſiſſimos dolores patiatur, & a nemine auxilium ipſi præſtari poſſit, ſubridens regeſſit, de expertiſſimo ſuo remedio intra pauca momenta urinæ fluxum certo certius revocaturam eſſe. Quæ anus ceu angelus lucis, vere autem obſequioſa Diaboli ſerva & ſaga pharmacevtria, protinus ad lectum admiſſa, citam ſanitatem non tam iterum iterumque promiſit, ſed etiam ſequenti Proceſſu reparavit, quem *Illuſtri Curioſorum Ordini* avthentixῶς communicare operæ pretium duxi. Quippe *Candelam integram ſebaceam accendit, de qua oblique inverſa aliquot guttulas ſævi in tres angulos quadratæ menſæ deſtillavit, ægram ter nomine ſuo compellavit, & Flatus Veſicæ, quos hanc obturare & conſtringere ajebat,*

alta voce & quasi iracunda conjuravit, ut Patientis carnem, medullam, sanguinem & ossa quantocyus deserant, nec amplius crucient, in Nomine SS. Trinitatis &c. postea *sævum iribus mensæ extremitatibus agglutinatum abradere, in massulam congerere, & vaginæ uteri intrudere jussit &c.* quo facto in puncto hæc exclamavit, **O! wie habt ihr mir so bald geholffen? wie ist mir wieder so wohl?** Denique ut retenta urina fluat, *sussit cataplasma ex favo, vino albo veteri, Oleo lini, Spiritu Vini & butyro recenti, coctione & mixtione conflatum, ac triplicato linteo inferiori ventri & pudendo, repetitis vicibus, calefaciendum ac superimponendum: Et crebriorem usum tum Syrupi de Althæa, tum Julepi ex Aq. menth.* ℔j. *Syrup. rubr. Id. fragar. & Violar. ana* q. l. Croci 3ß. *qui per cochlearia sedulo sumatur:* Erumpente hinc insuetæ multitudinis urina, *ruffa,* turbida, olente, liberata quidem visa fuit, sed recidivante post X. dies ischuria, irritis omnibus, misere fato suo defuncta est, melius quippe non merita. *Quis autem sanæ mentis anilibus ejusmodi sermonibus & actibus assentiatur, qui nulla ratione consistunt, sed aperte vanitatis & damnatæ superstitionis a Christianis viris exsibilantur. Illi enim, qui seducunt per precationes & machinamenta inimici, suis precationibus miscent nomen Christi, vel sacras figuras appingunt, ut lateat ipsa seductio. Fit vero hoc occulto DEI judicio, ut cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi & decipiendi, pro meritis voluntatum suarum, illudentibus eos & decipientibus prævaricatoribus angelis; quibus illusionibus evenit, ut multum observantibus secundum observationes suas eveniant, quibus implicati curiosiores fiant, & sese magis magisque inserant multiplicibus laqueis pernitiosissimi erroris. Omnes igitur artes hujusmodi vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum & Dæmonum quasi pacta, infidelis & dolosæ amicitiæ constitutæ, Christiano penitus sunt repudiandæ ac fugiendæ.* D. Augustin. d. Doctrin. Christ. l. 2. c. 23.

OBSERVATIO CXXX.

Dn. D. IMMANVELIS WEISMANNI.

Melancholia Satanica a Concubitu diabolico.

QVinquagenaria mulier, olim & adhuc plethorica & salax, decimo sexto jam anno sano & quadrato sponso conjugata, per quinquennium nullam prolem suscepit. Paulo post viduata aliquandiu mensibus fluere defiit, aliquot inde annis fluore albo, potius gonorrhœa, afflicta, & molesto totius, inprimis genetalium tanto pruritu, ut ad sanguinem usque scalpere illa debuerit. Ob stimulos liquoris genitalis, juventutem, sanguinis copiosi spirituascentiam & toties exoptatam prolem nondum genitam, partim ipsa propriis libidinosæ carnis tentationibus, partim aliorum sui loci cum virorum tum juvenum lenociniis irretita, quæsivit & admisit omnes, quos lascivіæ suæ ignem in sinu impudentissimi pudoris extinguere posse, arbitrabatur. Nunquam tamen concepit vitiosissima meretrix, in brutali Veneris suæ incendio, nec delassata, nec exsatiata. Consuevit, multis annis, pro pane lucrando, varias reculas peregre portare, & plerumque sola cum sola per umbrosas valles & sylvas ambulare, sociata & oblectata lascivis cogitationibus, quas ipso actu rursus compleri non tam optavit, quam obtinuit, siquidem, prout fatebatur, ex fruticeto ipsi obveniens vir facie, barba, forma & habitu obscurus, præmissis blanditiis osculisque, postea vi & violenta projectione coitum cumipsa agitavit, licet sine omni voluptate, quæ major illi & voluptuosior esse debuisset, viduæ juvenculæ, ac thori voluptates indulgentius appetenti. Abiens hinc mulier, quaquaversum venit, omnibus, qui illius mentis actionumque proterviam noverant, subtristis & summe melancholica visa fuit. Domum reversa menses, quibus iterum aliquandiu repurgabatur, expectavit, qui emanserunt; jam se gravidam esse suspicans

cans & perpetrati ſui ſceleris conſcia, mente & corpore nullibi quievit, ſed currendo & recurrendo, gemendo, lachrimando &c. vehementer conſcientia ſua angi conteſtata fuit. Anxioſa hinc & velut præ anguſtia pectoris ſuffocari ſi vellet, ſine conſueto pulſationis ſigno, nec præmiſſa ſalutatione in muſeum meum irrupit, & querula ſic me allocuta fuit: **Ach Herr** Doctor, **meynt ihr wohl/ es ſey mir noch zu helffen? Glaubet ihr/ daß ich könne ſeelig werden? kan ich wohl das Nachtmahl würdig empfangen? Ach ſagt mirs doch! ꝛc. ꝛc.** Ob torvitatem fœminæ, & oblatas deſperabundas quæſtiones primum vox faucibus mihi hæſit cutisque exhorruit; ſuaſi autem, ut Theologos noſtrates vel pagi ſui parochum accederet, eisque confiteretur, ſi quid mali feciſſet, quod conſcientiam torqueat: ſi eorum precationes & conſilia in ſui ſanitatem non cedant, medicinam quoque corporis ſubſtitui debere. Verum, antequam urbem noſtram egreſſa fuit, laqueo ſe ſuſpendere tentavit, hincque armatis viris comitata in natalem locum ibi cuſtodienda deducta fuit. Binis abhinc diebus in cuſtodia ille ipſe, ejusdem faciei & reliqui habitus homo comparuit, cui antehac congreſſum maritalem volens nolens conceſſerat. Aſpectu illius territa expalluit & toto corpore tremuit. Ille vero ſi profari cœpit: *Petulca Pallaca! jam me times & horres, quæ Deum nuper non timuiſti: Hactenus multoties omni tuo ſenſu monſtraſti, nihil potius tibi eſſe, quam ut laſcivia tua compreſſione adulterali compleatur. Hoc tibi nuper a me ipſo factum eſt, eo loco, quem noſti; &, quia optationes tuæ melius quid non meruerunt, ſcias nunc, me eſſe Diabolum, qui in forma hominis tecum coivit, cujus externam deformitatem abhorrere debuiſſes, ſi homo Chriſtianus fuiſſes. Modo meæ potentiæ relictaes; ſubſcribe ergo tuum nomen tuo ſanguine, in fidem noſtri connubii, quod ſi non feceris, in mille fruſta dilaceraberis* &c. Regeſſit, *ſe ſcribere nec velle, nec poſſe, nec obligari, ſuum nomen, atramento,* minus *ſanguine ſuo, cum ita ſtolida eſſe nolit, ut dolente ſciſſura carnem ſuam vulneret: ſubinde, ſe nec baptisma, nec SS. Trinitatem, nec parentes ſuos dejuraſſe, adeo-*

que

que omni ejus voluntati non subjectam esse: Confessa fuit, *ex libidine & rea scortationem se admisisse, sed nesciam, ut diabolo succubuerit: se nondum mancipatam esse Satanæ, velle se precari Deum pro remissione tanti peccati,* allegando dictum illud Biblicum, diabolum potentissime refugum, **das Blut JEsu Christi werde sie noch wohl in Gnaden rein machen/ von allen ihren schweren Sünden** &c. ex quo adulter Satanas illico evanuit, relicto execrabili fœtore, & animo lethaliter linquente adultera, quæ usque huc tanquam melancholico- maniaca non solum vinculis & compedibus captiva detinetur, sed varia inconcinna de seipsa eloquitur, *se sagam esse jam per totidem annos, se generasse diabolum cum diabolo, se esse infanticidam, se per incantationes multa pecora & multos homines cum fascinasse, tum occidisse, Satanam sæpius in carcere obvenire jam juvenem jam husarum, jam canem nigrum, molossum, & coitum diversimode concelebrare: Perinde sibi esse, an capite plectatur, ad rogum damnetur, vel per carnificem virgis cædatur: libere se omnia confiteri & pati velle, quæ merita sit, supplicia divina & humana.* Commissa hinc curæ Pastoris sui, quæ quantæ virtutis futura sit? expectandum. An Coitus Satanicus revera, & ipso aut vero, non imaginario actu, peragatur inter Satanam & fœminam hominem? & an exinde omnis succuba diaboli saga & venefica sit? ego non judico, sed provoco ad *E. N. C. D. 2. A. 9. O. 7.* Excell. DD. Ledelii. An quoque vafra hæc vel ejusmodi alia mulier pro *Saga*, an melius pro *Hypochondriaca* vel *Hysterica*, vel *Melancholica* habenda sit? cujuslibet propriæ decidendi ac credendi voluntati relinquitur. *Christiani medici est, Dubia semper in meliorem partem interpretari.*

OBSER-

OBSERVATIO CXXXI.

Dn. D. IMMANVELIS WEISMANNI.

Cephalæa Hypochondriaca, Chronica, imprægnatione sublata, & lac ex utraque mamma per 20. graviditatis septimanas largiter effluens.

TRiginta annorum uxor, sanguinea & rosea, indulgentia Parentum, antequam Viro jungebatur, libertati vivendi assueta, non pauca nec levia diætæ peccata commisit. Hecticæ tandem proxima. Patri tum febre continua maligna decumbenti, continue assidebat, eadem paulo post correpta & sceleti in formam emaciata, ut eo deformior esset junco pene gracilior, quo longior & magis procera corpore. Viro sociata tribus annis non prolifica fuit, semper valetudinaria, & quoad faciem tamen nunquam non florida, ita ut sæpius dixerit, se pomo Sodomitico similem esse, quod extus elegantissime rubeat, intus vero pulverem & cinerem contineat, occultæ putredinis corruptionisque fomitem. Acidulis & thermis crebrius usa, sine sanitatis ullo commodo. Quarto conjugii anno vegetæ & longæ, ut videtur, sanitatis puellum peperit, quem ultra 10. septimanas non lactavit, ob atrocem cephalæam & majorem corporis maciem, verita, ne phthisica mori debeat, vel sanitatem mentis quoque deperdat, ex intensissimo jam totius jam medii saltem capitis, cum in occipite tum in fronte ferocientis dolore, quem aliorsum consulti medici *solis Cephalicis & anodynis* tam *externis*, quam *internis*, delinire & tollere quæsiverunt, sed frustraneo tot nummorum pretio. Et sic inter dolores eosdem quadriennium transactum, & tota fere officina consolandi capitis causa consumpta. Consultus ego, examinatis veris istius cephalalgiæ tum causis, tum modo; magis cephalæam *hypochondriaco-hystericam consensua-*

lem, quam *Essentialem*, adeoque non tam sola *cephalica*, quæcunque sint, & quam pretiosa, sed magis *deobstruentia*, *aperientia uterina*, *martialia*, ♀*rea*, *&c.* cephalicis decenti modulo remixta, aliquot mensibus cum regimine optimæ diætæ usurpanda esse judicavi, quod felicissime factum fuit, quippe sensim dolor capitis remisit, menses prius non adeo parce fluentes largius cum euphoria manarunt, internus æstus tam continuus quam phlogistos supra spem mitigatus fuit, & præter opinionem, cum id maritus & parentes minimum crederent, gravida fuit filiolo satis vivido, quem nudius tertius peperit, ex omni parte doloribus curisque suis sublevata. Ab eo autem momento, quo fœtum vivere & moveri in utero sensit, mammæ supra consuetam tantum productæ imprægnationis magnitudinem intumuerunt, duriusculæ & lacte turgidæ factæ, quod non solum pressis papillis, sed etiam sponte ad leviſſimam pectoralis constrictionem ita largum & quamoptime præparatum emanavit, ut gemellis sufficisset pro nutritione: quæ lactis superabundantia ad partum usque semper increvit, & post eundem ita aucta fuit, ut quæsiverint ex medico mater puerperæ & obstetrix, *annon omnis sanguis in lac convertatur, & illa extanta lactis ubertate omni sanguine destituatur & contabescat? ac infans quoque ex crebriori, quam lactis copia urgeret, & copiosiori lactatione ad cachexiam aut præmaturam mortem disponatur?* Quibus responsum fuit, quantum illos consolari potuit, præter alia, partim *ex Hippocrate* §. 5. a. 52. partim ex *Franc. Mauriæu* l. 1. c. 14. partim etiam testimonii gratia *Excell. D. D. Scharffii* ejusdem Commatis Historia enarrata ex E.N.C. D. 2. A. 2.

O. 99.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXII.

DN. D. IMMANVELIS WEISMANNI.

Epilepsiæ inveteratæ & Erysipelatis Chronici Spasmodici, sola Venæsectione certis anni diebus & corporis partibus instituta, Curatio.

VEre quidem, quamvis ignominiose contra medicorum dignitatem, Paracelsus scripsit de Occult. philos. *Medicus non omnia, quæ posse & scire debet, in academiis discere & cognoscere potest, sed opus est, ut interdum vetulæ adeantur, quæ sæpe plus cognitionis habeant, quam academiæ, &c.* Quam multa quippe exempla testantur, anum medicastram in curatione hujus vel illius magni morbi, quandoque, non semper, feliciorem, non autem concesserо, doctiorem aut magis expertam esse aut habitam fuisse, quam summos Regum Principumque Archiatros. *Epilepsia* judicatur secundum Hippocratem s. 5. a. 7. post pubertatem radicata, permanens, incurabilis. Et quæ huic morbo, uti satis familiari, ita etiam horrido, non opponuntur remedia domestica, exotica, heroica, pretiosissima, medicorumque scientia expertissima? frustra tamen. Sic & *Erysipelas*, quo frequentius multos corripit, & ad maximam corporis miseriam nonnunquam disponit, eo levior morbus & vix medicina dignus habetur: plerumque autem eo commoriuntur, si radicatum sit, & sine fructu medicorum consilia sat multa non raro adhibentur. Sed *Vetula* quædam utrique huic pessimo morbo citam, levem & felicem opem præstitit, cui aliquot medici & pharmacopolia non suffecere. Nempe, *filia* 36. annorum adhuc cœlebs, partim tenera prima ætate sæpe & multum convulsa fuit, ut parentes nullam vitæ spem habuerint, partim etiam ultra decem jam annos, ex totali mensium suppressione, qualibet lunæ mutatione, maxi-

maxime vero ante vel sub Novi-aut Plenilunium, subito Epilepsia prostrata, & per quadrantem horæ toto suo corpore misere contorta fuit, inducta paulatim totidem paroxysmis oblivione, mentis ac partium fere singularum stupiditate & aliquali atrophia. Incassum a medicis, pharmacopœis, rasoribus, carnificibus, medicastris aliis &c. omnia usurpata. *Et Vir consularis quadragenarius*, quoties in Sole vel ex Vino aut præcipiti ira incaluit, etiam citra has occasiones, primum asthmate & pressione pectoris, tum cephalalgia cum æstu frontis solius, levi postea horrore, tandem etiam æstu tanto ac sudore correptus fuit, ut acutissimam febrem judicasset, morbi consueti & habitualis non præscius, cum deliriis, tendinum subsultationibus, manuumque ac brachiorum, sæpius pedum quoque, spasmis. Quicquid consultum fuit e vulgaribus & specificis, malum plus in-quam decrevit. Interrogata anus, famosa medicastra, utrique curam spopondit, & *Solam Venæsectionem* suasit, tum temporis ratis diebus commode & tempestive instituendam. Scilicet *Illi Epileptic*æ, ipso Paschatis Festo, eodem horæ momentulo, quo in Ecclesia sacer ille hymnus, **Christ ist erstanden/ &c.** cantari cœpit, in vicinis ad templum ædibus, a duobus Chirurgis simul quælibet atriusque Brachii Mediana ad ℥vj. secta fuit magnum deliquium passa virgine. *Huic* vero primo mensis Maji die paulo ante Solis exortum, e saphæna dextri pedis, & mediana sinistri Vnciæ octo emissæ sunt, quod altero quoque anno & eodem die repetere, & cujuslibet sanguinem protinus post sectionem torrenti injicere jussit. Nec Epilepsia inde, nec Erysipelas, hactenus per fenestre, recurrit, magna ægrorum consolatione, qui lætabundi tantarum suarum ægritudinum tam levem & minime sumptuosam Curationem mihi narrarunt, scire simul expetentes, *an sectio Venarum per se, vel certis diebus horisque, aut largiori quantitate facta tantæ virtutis esse possit?* vel, *an eorum morbi* veluti *transplantati, ac cum flumine aliorsum translati? aut per magiam atque conjurationem ad tempus saltem repulsi fuerint?* Quod, suspenso tenui meo judicio, aliis prudentioribus

offer-

offerre, non indignum fore credidi. Optimum sic medicamentum, nullo medicamento uti, vel, quod opportune datur aut applicatur, & omnis, vel gravissimorum morborum, curationis cardo vertitur in inventione medicinæ ejusque tempestiva administratione, quod præcipuum medentium judicium & vera medendi methodus est, quæ non ex libris addiscitur, sed per experientiam & prudentiam practicam acquiritur. Verissime hinc Excell. D. D. Stahlius. *Nemo nisi præceps & inconsideratus, a venæsectionibus temere expectare in animum admiserit, ut non solum solæ per se, sed etiam immediate & velut* ἀπὸ μηχανῆς *miracula faciant, & patientes toto atque universo suo malo simul & semel ereptos veluti in sanitatem præcipites agant, sed sufficere certe debet, & expetitur profecto omnibus votis a practico scientiæ & conscientiæ compote quolibet, ut saltem, quantum ab ipsis scienter ac prudenter expectari potest, & alia remedia justo ordine usurpata, & Venæsectiones suo loco, tempore ac ordine debite administratæ, vere & sine vanarum pollicitationum fuco atque mendacio præstent. &c.* Dissertat. de V. S. in ped. aliisque corporis regionibus.

(*Vraco-Augustam Vindel. d. 8. Octobr. A. 1713. missæ*)

OBSERVATIO CXXXIII.

Dn. D. RVDOLPHI JACOBI CAMERARII.

Fons Soterius.

QVi longe modo lateque inclarescit Fons soterius, novus non tam sui ortu quam usu medico, prope Zaisenhausen in finibus Würtembergiæ ad Palatinatum, in Kraichgow, magno ab æstate in autumnum anni 1713. hominum confluxu frequentatus, & miro famæ favore celebratus, cum apud nos quoque describeretur a famosis suis qualitatibus, maxime quod male oleret, excitavit Vicinos nostros, sui hactenus thesauri fere ignaros, & occasionem dedit cogitandi, quin sperandi meliora, de scaturigine quadam in campo diu nota quidem, sed neglecta, imo fœtore suo infami. Scilicet Reutlingæ, quæ vicina Tubingæ claret Imperialis Civitas, in prato ipsius, bono quasi omine, Physici ordinarii, Dn. D. Elwert, scaturiens fons modo novum in medicina nomen usu non saltem externo, sed & interno acquirit, nec minora priore videtur promittere. Primum scribant experti: alterum ego per phænomena quædam mihi notum publico proponam; quæ cum suis, quorum interest, siquidem ita videbitur, conferre poterunt. Potiora igitur paucis modo sunt sequentia:

Subesse solo, cum foderetur fons, deprehensus est multus lapis fissilis, qui ferro ignito insperfus, præterquam, quod salientes quasdam particulas ostendit, fumum præbuit odoris diffusi, non ingratum. Inventa fuit etiam a venæ inquisitoribus in diffractis saxis pauca pinguedo mineralis, ceræ vel balsami consistentia, suaveolens.

Hinc aqua scaturiens ex larga vena subtepida, quæ per plures ibi hyemes non fuerit observata congelari, ex levi albedine livescens, in vitreo vase transmissa, cineracei quid pulviscu-

li de-

posu-

poſuit; de cætero pura, nec per ſe ultra turbari, minus facile putreſcere, ſolita.

Hujus aquæ odor ſive fœtor gravis eſt; qualis forte accenſi pulveris; aut raſi lyncurii; ſed fugax, ipſam in vaſe patulo ſtantem ſenſim deſtituens.

Sapor ipſi nullus, præter odorem illum, qui ex infirmo forte bibentis ſtomacho etiam eructabundus ſentitur: Acidulam ſalſamve guſtus ipſam non deprehendit.

Argentum immiſſum cito variis coloribus tingitur: Nitida ſcobs terri ſingulari modo cito denigratur: Injecta Gallæ fruſtula non ita.

Sulphur ibi ſponte ſublimatum aliterve concretum non colligitur: Salini adhuc inde nihil excoquitur.

Fama fert, profuiſſe aquæ balneum in affectibus externis variis, ut cutis fœditatibus, ulceribus, artuum impotentiis, oculorum nubibus, unguibusve, &c. Plures ſucceſſus, & inprimis quam potum aquæ fœtidæ bene, quod mireris, ad imitationem prioris, largum ferre poterunt diverſi ægri, dies docebit.

(*Tubinga Auguſtam Vind. d. 9. Nov. A. 1713. miſſa.*)

Flores tulit hyems, ſcilicet ſulphuris. Etenim pulvis, a lingno, quod lambunt aquæ, fontis ad oſtium abraſus, naturam ſuam ſulphuream flamma, cum prunis inſpergeretur, concepta clare demonſtravit. &c.

(*Idem in literis d. 30. April. A. 1714.*)

OBSER-

OBSERVATIO CXXXIV.

Dn. D. JOHANNIS MVRALTI.

Historia Nævi materni.

BEninia Ritzin, Huldrici Ritzen ex pago Buchwyl, prope Weinfelden uxor mœstissima ante duos abhinc menses in Nosocomium nostrum infantem fœmellam nævo materno stupendo signatam attulit; Oris hiatus utrinque ad aures usque fissus & apertus, cruento colore prostabat, & Leonis rictum propemodum mentiebatur; accidit id inde, quod maritus uxoris ante sesquiannum in obsidione Wylensi, dum contra hostem pugnaret, gladio perierat: Alius quidam ense maxilla inferiore truncatus & sanguine conspurcatus juxta sylvam jacuerat, quem rumore allato, gravida duorum mensium perterrita, pro marito, sed falso oculis intensis conspexerat. Puella hæc ab initio latere sinistro Operanti Chirurgo Dn. Freytagio commissa fuit; infans sectionem instar labii leporini sustinuit non absque dolore, trajectis acubus, cruentatisque marginibus sat feliciter curata fuit; at quia magna sanguinis vis operatione hac deperdita fuerat, infans debilitatus alterius lateris incisionem ægre sustinuit, neque acus carni infixi manebant, conglutinatio non fieri poterat: Exspectandæ nunc vires, antequam ulterius quid tentari possit. Qua ratione autem nævus hic productus fuerit, merito quæritur.

Vnitatis hocce monstrum ab imaginatione matris fortiore labiis inductum est; terrore namque gravida mulier percussi viri, subtiliore spirituum turbine ab ordine plastico avocato, teneroEmbryonis corpusculo, mente quassatam Ideam inussit, & nævum hunc adfricavit. Terroris enim cæterarumque animi passionum Idea in informibus, & incoloratis, ad cerebri tabulam delineantur.

(*Tiguro Augustam Vind d. 20. Nov. A. 1713. missa.*)

OBSER-

Obsery. CXXXIV

Obsery: CXXXV.

OBSERVATIO CXXXV.

DN. D. DAVIDIS CHRISTIANI VALTHERI,

De

Hermaphrodito notatu digno.

ÆTate reddimur prudentiores. Veritatem hujus proverbii experta est Anna illa e Præfectura Wunsiedel, quæ anno 21. ætatis suæ errorem parentum, propter sexum natura nunc indicatum, magna cum admiratione intelligebat. Obstetrix enim ab initio illam pro Puella agnovit. Paucis vero abhinc diebus videbant Parentes, infantem sic se non habere, ac aliæ puellæ solent, scilicet, quoad partes genitales. Credebant tamen Annam nostram laborare hernia quadam, quam nemini patefacere audebant. Cum autem Anna falsitatem sexus persentisceret, mutabat vestes, mores atque labores. Quo facto Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus Christianus Ernestus, Marchio Brutho-Brandenburgicus &c. p. m. Archiatro suo, Venerando meo Dn. Parenti, D. Davidi Valthero, Practico hodierno tempore apud Zwickavienses famigeratissimo, demandavit inspectionem, quam cum Nobil. Dn. Beato D. Augustino Heinrico Faschio Facult. Med. Profess. Publ. Jenensi celeberrimo, Archiatroque Ducali Saxonico t. t. meritissimo obsequenter in se suscepit. In illa sequentes, uti propria verba Attestati Medici sonant, annotarunt circumstantias:

Demnach der Durchlauchtigste Fürst und Herr / Herr Christian Ernst; Marggraf zu Brandenburg ꝛc. ꝛc. ꝛc. Unser gnädigster Fürst und Herr uns gnädigst anbefohlen / einen Hermaphroditen / von Kroitzschen Reith aus dem Amte Wunsiedel gebürtig / in Augenschein zu nehmen. So hat derselbe sich nebst seinem alten Vatter bey uns heute dato eingefunden und auf vielfältige Befragnüsse nachfolgendes gemeldet:

Daß er allbereit über 21. Jahr/ besage ihres Kirchen-Buches/ alt sey/ in seiner Heil. Tauffe zwar vor ein Mägdlein von der Ammen-Frau angegeben/ und mit ihrer Tauff-Bathin Nahmen/ Anna benennet worden. Wenig Tage hernach hatten die Eltern bey ihme vermercket/ daß er einen Knaben ähnlicher geworden; jedannoch aber niemanden etwas hiervon gemeldet/ sondern es vor ein Schädlein (oder Bruch) gehalten/ und also ergehen lassen/ biß sich die Natur bey ihme nun je mehr und mehr geeignet/ da er sich denn geschämet ferner Weibs-Kleider zu tragen; dannenhero am vergangenen Martini männlichen Habit angeleget. Sonst ist dieser Mensch nicht allzu kleiner Statur, sanguineo Cholericus, ad iracundiam pronus, hurtig und geschickt/ hat an aller männlichen Arbeit Freude und Lust von Jugend auf gehabt/ und auch noch/ wie er denn seines Vatters Joch Ochsen nicht allein wartet/ sondern zugleich mit Fahren und Ackern alle Arbeit darmit verrichtet; Ingleichen Grasgemeyhet/ und alle Knecht-Arbeit gethan/ und solche noch viel lieber jetzo thue/ da er je mehr u. mehr zu dergleichen/ auch andern männlichen Verrichtungen sich geschickter und hurtiger befindet; Er belaufft seines Vatters Forst und Gräntz-Hölzer/ fänget an mit Büchsen und Schiesen umzugehen/ hat grosse Lust zum Pferden und reiten/ auch in den Krieg zu gehen Courage genug/ und scheuet seinen Mann nicht/ gestalt er denn einen Dratzieher/ so mit ihm schertzen wollen/ in seinem Weiber-Kittel tapffer abgeschmieret habe. Es vergriffe sich/ wie er und sein Vatter meldet/ nicht leicht einer an ihm/ wäre in der Schencke zum Bier mit gewesen/ und daselbst offt als ein Kerl mit denen Mägden getantzet/ er aber niemals als eine Magd sich zum Tantze führen lassen.

Anlangend dessen Leib/ ist solcher wohl gestalt zu sehen/ exceptis genitalibus: Facies satis læta; lanugo pilosa in labiis tenella & mollis adhuc; vox sonora, satis virilis, inter claram & raucam ambigens, Statura corporis mediocris, & quoad cætera sana.

Mam-

Mammæ, so vor 3. oder 4. Jahren zu wachsen angefangen/ jetzo aber nicht gröſſer wurden/ rotundæ mediocres, turgentes, invicem ſe ſororiantes, papillis exiguis ornatæ. Nulli in pectore pili. Notabilis autem & vere in duplo criſpulis luxurians cincinnulis in pube viſitur ad umbilicum excurrens piloſa progenies (ſo vor ohngefähr 6. oder 7. Jahr hervor zu kommen er angemercket) ſub qua ex inguinali regione teſticuli duo (utriusque unus) turgidi & ſat grandes prodiere, ovi gallinacei magnitudinem fere æquantes, quorum uterque peculiari ſcroto cutaceo, parum quidem corrugato, pilis tamen hinc inde ornato, amictus protuberabat, ex quo quisque iterum levi opera in inguina trudi permittebat. Vaſa ſpermatica proceſſu peritonæi inguinali incluſa accurate tangebantur; non alia, quam in viris naturaliter obſervantur. Medium inter hos ad pubis os occupavit penis prominens, craſſitie digiti minoris, exiguus tamen & curtus, pollicis priorem articulum referens, cujus præputium aliquantiſper protenſum glandem, non perforatam, fere obtegit omnem. Curta quidem hujus eſt ſupellectilis prominentia, quam clitoridem aut tentiginem diceremus, niſi vaſa ſpermatica & teſticuli, ut in maribus ſeſe haberent. Tendit autem hujus penis ſubſtantia nervoſa ad digiti minoris craſſitiem, usque ad oſſis pubis radices, ut integri longitudo ad digiti longitudinem accedere obſervata ſit. Hic pruritu venereo, qualem ſæpe ſentire conſtanter affirmat, tentatus, erigitur, virilitatem mentiens, longe major. Sub glande frenulum præſens in duas dividebatur alas, ſeu nymphas; ſub finem vero frenuli ſeptem hiatus, duo ſatis patentes, ſtylique apicem excipientes, non autem transitum permittentes, & quinque exigui, ſimiliter exiguum oſtendentes hiatum, non ſine admiratione obſervavimus; ex quibus albicantem illam materiam, qualem interdum, præcipue poſt libidinis oeſtrum animadvertit, ſpermaticam forte penetraſſe conjecimus. Reclinato ad latus teſticulo utroque, labia in conſpectum venere vulvæ, initium a præputii lateribus ſumentis & deſinentis, ſub teſticulis in ſcrotorum coalitum, ut illa a teſticulis dictis abſcondita deprehen-

sa fuerint. Monticuli veneris in hisce labiis vix observabiles; nulli in his pili; alæ exiles & productionum myrtiformium exiguæ portiones. Foramen rotundum sub corpore penis, non procul a radice hujus, conspicibile, ex quo meatus, brevis quidem ducebat urinarius; unde erecto corpore stans satis prompte, masculi adinstar, protrudere urinam conatur. Os uteri externum constrictum, nerveum, satis tamen molles hujus vicinæ partes; id tamen propter exquisitum sensum digito nec penetrare potuimus, nec voluimus. Stylum autem argenteum admisit ad digiti fere longitudinem præsentis vaginæ uteri certum indium; ex qua tamen nunquam stillasse menses serio testatur.

Aus diesen erzehlten wahren Umständen erhellet zwar klar / daß dieser Mensch ein Hermaphrodite sey. Zu welchem Geschlechte aber seine Natur mehr inclinire / solches werden nachfolgende Anmerckungen zeigen.

Das Gesichte und die Sprache dißmal nicht attendiret / finden sich dennoch weibliches Geschlechts zu seyn:

(1.)

Die wohl-formirten Brüste.

(2.)

Die unter denen Testiculis verborgene weibliche Geburt mit ihren labiis, nymphis, productionibus myrtiformibus, orificio uteri externo.

(3.)

Penis ille curtus, imperforatus, non pro pene virili habendus, sed tentigo, mulieribus libidinem faciens, virgam solum virilem mentiens.

Auf männlicher Seite aber finden sich gleichfalls nachdenckliche Signa.

(1.)

Pili capitis, so niemal verschnitten / auch nie länger geworden / als sie jetzt sind / etwas flammlicht.

(2.)

Einige Anzeigung zum Barth.

(3.) Pe-

(3.)

Penis, quamvis curtus & imperforatus in glande, non pro tentigine ſimpliciter habendus videtur; ſiquidem ſub frenuli finem obſervata hiantia corpuſcula loco perforationis eſſe poſſunt, ad ſeminis emiſſionem, qualem poſt libidinem factam ipſe ſenſit.

(4.)

Teſticulorum duorum ſat grandium, horumque vaſorum ſpermaticorum præſentia.

(5.)

Pruritus in Venerem & in ſequiorem ſexum amor & deſiderium.

(6.)

Menſium defectus totus, licet habeat genitalia muliebria externa. De internis hac vice judicare non valemus.

(7.)

Inclinatio naturalis ad omnes actiones viriles, propenſio & alacritas animi ad pugnam, bellum, equos.

Will man nun obberührte Signa genau erwegen / ſcheinet zwar / mehr dieſes Menſchen Natur ad potiorem ſexum zu inciniren / ad matrimonium aber ihm zu laſſen / nicht rathſam / damit nicht Anlaß gegeben werden möchte / zu andern libidinibus. Nichts deſtoweniger iſt zu muthmaſſen / daß er einem Weibs-Bilde männlich beywohnen würde / ob aber darauf eine imprægnation erfolgen müſſe / kan in re abſtruſa, ſo bloß hin nicht negiret / auch nicht allerdings affirmiret werden. Uhrkundlich mit eigener Hand geſchrieben / und von Uns Pflichtmäſſig ausgefertiget / ſo geſchehen / Bayreuth am 1. Februarii An. 1686.

Auguſtinus Henricus Faſchius D.
David Walther / D.
Fürſtl. Brandenburgiſcher Leib-Medicus daſelbſt.

Maneat itaque merito verum noſtrum ſupra allegatum proverbium: Ætate reddimur prudentiores. Anna enim jam audit Andreas, & Andreas, ratione ſcilicet officii, ſaltuarius.

OBSERVATIO CXXXVI.

Dn. D. DAVIDIS CHRISTIANI VALTHERI,

De

Calculo ſingulari per anum excluſo.

Corporis humani ventres Epidaurius heros
Tres fecit, totidem regna Galenus habet.
Singula ſed lapides generant: Semenque malorum
Et caput, & thorax, venter & imus habet.

CAntat Cl. Dn. Ludov. Chriſtianus Crellius, Poëta ingenioſiſſimus in Marmorea memoria ſua Seligmanniana, & quidem ſummo cum jure. Experientia enim tanquam omnium rerum optima magiſtra veritatem hujus dicti ſatis edocet, Ephemeridesque noſtræ Academiæ Cæſareæ Nat. Cur. innumeris illuſtrant Exemplis. Hiſce ſequentem adjungam obſervationem: Cum olim Chemnitii Praxin exercerem, Pellio quidam, cognomine Hoffmannus minor, Vir laborioſus, dolorem gravativum circa hypochondria ſentiebat, nec non ventriculi languorem, flatus, ructus, ſalivam ſalſam & acidam cum alvo adſtricta &c. Ordinabam medicamenta aperientia, abſorbentia, carminativa &c. ſed omnia absque ullo effectu. Cum autem adhiberem abſtergentia, ægerque die 24. Octobr. A. 1707. alvum dejicere vellet, dolore lancinante coactus, uxoris digitos in auxilium vocavit, iisdemque explorando & fruſtum materiæ duræ, ſpeciem lapidis, ſeu potius tartari, germanice Weinſtein/ præbentem, frangendo hoſtem moleſtiſſimum invenit, victor evaſit feliciſſimus.

Hic-

Hicce Casus per se quidem non est rarus, siquidem D. D. Tudecius Ann. IX. & X. Obs. 122. p. m. 294. seqq. D. D. Valentini Dec. II. Ann. II. Obs. 167 p. m. 379. D. D. Simon Schulzius Ann. II. Obs. 125. p. 127. D. D. Hertodt Ann. IV. & V. Obs. 99. p. 102. D. D. Lucas Schröckius Sen. D. D. Wolffstrigelius Dec. I. Ann. II. Obs. 89. p. 163. Faschius, Bartholinus, Mercurialis, Fernelius, Rufus, Brassavolus, Gesnerus, Rolfincius, Heurnius &c. similes annotarunt. Ast propter formam singularem externam hanc nostram historiam merito judico memoratu dignam. Rotundos enim hinc & inde invenimus calculos humanos per anum ejectos, tabulatos autem rarissime, imo nunquam.

(*Dresdæ Augustam Vind. d. 15. Decembr. A. 1713. missæ.*)

OBSERVATIO CXXXVII.

Dn. D. JOHANNIS ADAMI GENSELII.

De

Pilorum defluvio totius Corporis.

VIr 52. annorum temperamenti olim calidi & humidi, floridissimo Corporis habitu, capillisque præditus albicantibus in pago Comitatus Castriferrei Gor dicto, ob serum vero blandum, roscidum, paulatim successiva alteratione deficiens, caliditate, & siccitate in dies propter continuum piperatorum spiritusque Vini usum aucta, particulis sulphureis intensis, spiritibus Vitalibus nimiam Volatilitatem adeptis, sanguinique & sero *διαπρία* inducta, ira, vigiliis, nimia venere, sudoribus demum oppressoriis obstetricantibus temperamentum sibi cholericum, id est calidum & siccum, mira metamorphosi adscivit, corpusque reportavit emaciatum & capillos nigricantes, a copiosis fuliginibus exustis; tandem nullo alio præcedente morbo, totius Corporis amisit pilos. Cum Excellentissimus D. D. Laurentius Heiste-

sterus P. P. Altorf. in Ephemeridibus Anni 1712, p. 431. similis hominis Londini in Britannia a se visi pilis omnibus destituti mentionem feciſſet, causamque hujus phœnomeni curiosis rerum naturalium indagatoribus inquirendam l. c. reliquiſſet, opinionem meam ipsi circa illud scripsi; nimirum: defluvium hoc Capillorum attribuo calori præternaturali aucto & ob excessivum spiritus vini usum efferato, lympham in glandulis pororum subcutaneis miliaribus & vasis lymphaticis nimium rarefacienti ac fundenti, quæ rarefacta & expansa, cum majus, ob vim elasticam affectet spatium, tubulos seu poros cutis tam sphæricos, quam triangulares & cubicos, quibus radices pilosæ infixæ sunt (cuivis enim glandulæ & poro cutis suus adstat pilus quasi ejus tutor) tam internos, quam externos adeo dilatat, & papillas glandosas in cuticulam suos ductus evibrantes & effluvia in insensibili transpiratione extendit, ut pili prolabi cogantur, quod enim pori cutis præter naturam nimium dilatentur, caloreque amplientur, testantur arenulæ per eosdem quandoque excretæ (de quibus Bartholinus in hist. rar. anat. videatur:) imo Lindanus illos adeo patulos & ampliatos olim observavit in struma, ut granum hordei imponi, hinc æstivo quoque tempore ob calorem auctum cutis rarior, ejusque pori laxiores, quam hyberno, quo fit, ut animalium pelles æstate difficilius pilos quam hyeme contineant; in febribus acutis defluvium Capillorum, ob eandem rationem & ob absumptum alibile fomentum ordinarium, solenne est, sero nimirum tanquam nutrimento pilorum materiali, sanguini ceu formali incocto, & halituoso reddito, videtur id mechanice demonstrari posse in glabratione s. v. porcorum aliorumque animalium, ubi aqua fervida poros cutis laxando ac dilatando setas & pilos cum bulbulis radicitus excidere facit & exurit.

Altera Causa hujus defluvii pilorum est defectus particularum sanguinis oleosarum, & absumptio pinguedinis ac humidi radicalis, sive macies & siccitas corporis, sicuti enim pilorum in diversis corporis humani aliorumque animalium internis quoque partibus & membranis (v.g. corde, utero &c. teste Hippocrate, Galeno,

leno, Schenckio &c.) crescentium causa est abundantia lymphæ, & materiæ viscoso-adiposæ, seu pinguioris mucosæ, & unctuosæ (de quo vide Acta Erudit. Lipsi. A. 1683. p. 215.) ita vice versa defluvii pilorum in partibus externis causa est defectus lymphæ & substantiæ oleosæ, ceu materiæ alimentariæ ob glandulas exsiccatas; suliginosi quippe, crassi, terrei & glutinosi vapores, ex superflua humiditate inprimis in glandulis contenta oriundi, sunt pilorum causa materialis ex qua sive proxima, qua cessante, necessario quoque cessat effectus. Sic in terra nimis arida ob defectum humidi nihil cernimus generari, aut si generatur, non diu durat, hinc etiam animalia crustata pilis carent, & synciput sæpe in viris calvescit, cute ibidem ob obsentiam pinguedinis & humiditatis, siccitatemque concomitantem quasi testacea reddita. An autem pili omnes quadrati & secundum longitudinem cavi sint? & an, cum in demortuis quandoque crescere visi, diversa vita, peculiarique anima vegetante, cum reliquo corpore nihil communionis habente, juxta nonnullos prædiți sint? adhuc sub judice lis est, extraordinaria etenim rarissimeque contingentia hæc sunt (imo sæpius & ut plurimum fabulosa,) quæ non faciunt regulam, nec videtur probabile, sulphure alibili ex vitalitatis sphæra deturbato, pilos succrescere posse, nec experientia respondet in Corporibus balsamatis & aliis.

Ad hæc prædictus D. D. Heisterus respondit seq. Amplissime & Excellentissime Domine, Fautor Colende:

Rationes, quas in gratissimis Tuis ad me datis literis reddis de pilorum defluvio, cujus in Ephemeridibus A. 1712. mentionem feci, ut verum fatear, egregie mihi placuerunt, vixque alias esse magis verisimiles existimo, atque hac de re gratias Tibi ago maximas &c. &c. Quod de Caruncula scripsisti, optarem ut in sequentibus Ephemeridibus paulo accuratius describeres, observationesque tuas cum publico communicares.

(*Sopronio Augustam Vind. d. 30. Decemb. A. 1713. missa.*)

OBSERVATIO CXXXVIII.

Dn. D. GODOFREDI DAVIDIS MAYERI.

Pleuritis rariore Metaſtaſi in Parotides termi-nata.

CAuſæ, quæ ad plethoram & cacochymiam generandam faciunt, ſi unquam ad pleuritidem excitandam efficaces viſæ ſunt, ſuperiore profecto anno, ſolſtitiorum cumprimis tempore, ferocientes eas obſervavimus, ita quidem, ut citra ſexus & Ætatis reſpectum, aliorum epidemicorum Morborum more, malum hoc in plurimos impetum feciſſe, in quibus iam etiam, ob connexam malignitatis violentiam, lethalem ſtragem excitaſſe in confeſſo ſit. Morbum hunc Artis beneficio, multoties ſublatum, quinimo, criticis quandoque & ventilatoriis Naturæ medicatricis evacuationibus & metaſtaſibus, feliciter interdum diſſolutum bene recordor: Etenim exprimi quaſi humores morbificos in venas jugulares & carotidas, quæ ad caput procedunt & ſurculos faucibus, quibus glandula adjacet, largiuntur, celeberrimo Jonſtono in notis ad Coac. Hippocratis p. 347. forte non denegabimus: Ariſſimam tamen Metaſtaſin talem Sennertus Med. Pract. lib. 2. part. 2, cap. 16. appellat, quæ pro terminanda Pleuritide ad articulos & glandulas vel Parotides extendatur, eapropter non immerito adnotanda. Illam Menſe Martio experiebatur M. R. Xylopola, qui cum hæmorrhoidum fluxum ter ſuſtinuiſſet ſolennem, nunc autem eundem obſervaſſet interceptum, variis ob ejusdem defectum conſtrictionibus pectoris & cardialgicis afficiebatur non infrequenter. Tandem febre acuta continua, reſpirationis difficultate & dolore lateris & omoplattæ, ad jugulum & mammam excurrente, punctorio diſcruciatus, noctu ante diem decimam quartam ingenti faciei rubore, capitis gravitate & ſurditate cum ſtupo-

ſtupore extremorum ſe correptum ſentiebat: Inſequebatur aurium pruritus & ob appulſam ad easdem peccantem materiam, ſubiisdem glandularum diſtenſio, tumor, dolor & rubor. Interne uſus alexipharmacorum temperatorum, cum appropriatis, intermixto interdum tantillo ♁ri ♃iati & Cinnabari, continuatus: Externe applicata remedia, quæ calore ſuo reſtitantes humores ad motum incitare apta viſa, ex quibus cumprimis laude ſua non defraudandum Celeberrimi Wedelii ad Parotides Emplaſtrum, quod ex Emplaſtro Magnet. A. S. Diachyl. ♎ nuc. Moſchat. & camphora præparatur, & eximium profecto effectum tam in reſolvendo quam ſuppurando multoties præſtitit. Tandem maturitatis colluviei in tumore certiores, eundem ſcalpello externe aperiebamus, unde promanans ſanies dolorem lateris acutum, febrem omnem, reſpirationis difficultatem, tuſſisque vehementiam feliciſſime mitigabat ac ægrotantem exoptata ſalute denuo refocillabat.

Pari affectu delaſſatam vidi Suecici cujusdam Locumtenentis Domini M. G. Conjugem, cui in quintum menſem gravidæ, mox in principio præfati morbi, ob plenitudinem corporis inſignem, & vehementem ad partem affectam affluxum, viresque adhuc integras, in oppoſito latere venam aperire curavi: poſtea exantlatis nihilominus omnibus, quæ pleuritidi communiter adnectuntur, ſymptomatibus, quæ ipſi ultima fere minabantur, ſui medicatrix natura adeo favit, ut Parotides intumeſcere & poſt earundem internam maturationem per utrasque aures ſaniem per aliquot dies propullulare fecerit feliciſſime. Alias ex glandulis ſubalaribus Pleuritidem obſervavit D. Olaus Borrichius, ut Thomæ Bartholini Acta Hafnienſia Medica & Philoſophica Volum. II. Ann. 1673. obſerv. LXXXV. p. m. 205. teſtantur: Imo ſanguinem & pus ad alvum & veſicam perveniſſe, atque hac ratione Pleuritidis ſolutionem adornaſſe quandoque naturam, variis obſervationibus hinc & inde demonſtratur: Qua vero ratione e thorace materia tam prompte ad Parotides pervenire, & hinc evacuari tam feliciter potuerit, amplam ſpeculandi materiam ſuppeditaret, quo

eodem epiphonemate, de oriunda ex glandulis subalaribus Pleuritide observationi Excellentissimus Borrichius loco citato imposuit finem.

OBSERVATIO CXXXIX.

Dn. D. GODOFREDI DAVIDIS MAYERI.

Calculi symptomatum Metamorphosis infrequens.

Illustris Ægra temperamenti cholerico-melancholici, ætatis XLVIII, certior tandem reddita, doloris gravativi in regione vesicæ sensum, urinam partim aquæ fontanæ similem, partim sabulosam, confusam, graveolentem, crassam, purulentam, acerbum & gravem inter emittendum ardorem, mictionem crebram & guttatim factam, conatum & compressionem multam, certissimum præsentis Calculi vel calculosæ concretionis signum esse & veræ nephritidis phœnomena (quo malo antea ex multiplici morbi Metaschematismo illam divexari non equidem judicabant omnes:) præter adcitata & alia malo huic communia phœnomena, hæc insuper experiebatur complicata symptomata.

Morbo ægram infestante interdum ex consistente materia calculosa, ejusdemque fortasse asperitate, duritie & copia, propter ingentem sine dubio dolorem, a compressis, arrosis, extensis & contractis membranosis, nervosisque partibus, sibi non semper constat animo patiens: Voluntarias actiones non legitime exsequitur ac præter consuetudinem nunc parum, nunc multum, nunc ferocius & incondita tam diu eloquitur, usque dum adminiculante vel natura vel arte, peccantem materiam ex renibus per uretheres ad vesicam transmissam esse, ipsa referat, eo ipso confestim mentis compos redditur, cujus ope omnia quæ agit, aut loquitur, rationi tum consentanea esse, eaque omnia decore & consueto modo perfici adstantibus patet. Interdum pollex

pedis

pedis ſiniſtri, ad quod latus in inguine progreſſus calculoſæ materiæ frequentius obſervatur, tremore quaſi convellitur ſolus, citra omnem cruris ſtuporem ac reliquorum pedis digitorum conſenſum, voce tum temporis tremula & interrupta. Adhæc immanes borborygmi, viſcera ventriculumque quaſi ferientes, interdum compreſſisſimum pectus obſervatur, ut plerumque ſuffocationis metu ſe mox interituram putet. Sudor in paroxyſmo perpetuus, non per totum corpus, ſed manuum volas, quantitate adeo notabili ſe manifeſtans, ut per attactum objecta quævis impenſius madefieri ſe ſentiant, qui tamen remittente paroxyſmo non aliter, ac a ſole redeunte tenebræ, ſenſim diſpellitur. Paroxyſmus inſtar febris tertianæ duplicis, ſicque periodice impetum molitur. Quamdiu vires integræ, motus omni decubitu præſtat: Reſupina cubans, quieſcit commodior. Aliquoties circa plenilunii tempus urinam cruentam obſervavimus, quam periodum, pro Catameniorum repurgatione, antea Naturam ſibi ſolennem elegiſſe, ægra recordatur, quorum defectum, cum ætatis ratio illum ſibi depoſcat, circa vernale & autumnale æquinoctium, imminente cumprimis plenilunio, in pede celebrata Venæſectio, non obſtante alio contraindicante, ſupplebit.

Inter remedia lithontriptica in hoc & aliis quibusdam ſubjectis effectum omni laude majorem mihi præſtitiſſe Radicem Pareirabravæ, cumprimis in ſubſtantia exhibitam, ſancte teſtor: quod eximium medicamentum indefeſſæ curæ, multiplici experientiæ & commodatis conſiliis Dn. D. Mich. Frider. Lochneri, Ephemeridum Directoris, nos debere fatemur, ut elegantiſſimo ex ipſius ſchediasmate de Pareirabrava, Novo Americano Calculi remedio, videre licet.

OBSERVATIO CXL.

Dn. D. GODOFREDI DAVIDIS MAYERI.

Bulimia periodica ex Verme.

MVlieri ætatis XLI. Temperamenti itidem Cholerico-Melancholici, vilis cujusdam Operarii Uxori, ex melioris nutrimenti indigentia, multitudine comeſtorum acetariorum latrantem ventriculum lenire patriæ conſuetudinis erat. Faſtidio demum ferculi tacta, ad alia ingenti cupidine & appetentia ferebatur, quam, non continuo cibos appetendo, quaſi vix ſaturari potuerit, & primo nondum ſatis cocto, novum ſubinde appetierit, ſic ſcribente Sennerto Med. Pract. Lib. 3. part. 1. ſect. 2. cap. 4. ſed periodice, tertio omni die, hora quavis matutina ſexta, ſuſpiciendam exhibebat infeliciſſima, ut quamvis pro quadratorum hominum indole, quadruplo magis & amplius, ſanam illam cibum aſſumſiſſe præ debilioribus obſervaverim ſæpius, cum bajula ſit, & laboribus quotidie dedita: deſiderio tamen alimenta appetendi quondam naturali plane diſſimilem & morboſum, atque morbis gravioribus defunctorum appetitui aucto majorem affectum ſtata hora & die in illa animadverterim. Tortor hic crudeliſſimus animali hanc efficiebat conſimilem, a cujus nomine affectus etymon derivare volunt plurimi, corporis quidem mole & ventriculi capacitate non parem, immoderata tamen alimentorum quorumcunque quantitate implacabili ſtomacho ingeſta notabilem pauperculam.

Ægra paroxyſmi tempore ingenti laborabat eſurie, qua immoderate ad alimenta cumprimis ſolidiora urgebatur & nunquam ſatiabatur. Aſſumpta non revomuit, indigeſte tamen quandoque per alvum rejecit. Pro temperamenti indole iracundia movebatur ac mœrore animi ac triſtitia animum ſæpiſſime conturbabat. Virium proſtratione languebat, lividoque colore

lore facies ſuffundebatur: tremor quidam occupaverat artus, os amaricans & ſiccum, labia tremula, ſpiritus anheloſus & gravis, ventriculus inflatus, vertigo prævius ſubſecuturi animi deliquii nuncius, quod interdum motus ſpaſtici labiorum, oris & oculorum, interdum vehemens ſingultus & inanis vomendi conatus comitabatur, quibus accedebat partium externarum frigus, obſcuri pulſus, crebriores vigiliæ &c. Sic fames, effato Divi Senis libro de Veter. Med. c. 15. t. 10. magnam potentiam in natura hominis habet & ſanandi, & debilitandi, & occidendi. Curam duplici ratione inſtitui, ita quidem, ut partim in paroxyſmo ipſo, partim extra illum, ægræ conſulerem. In ipſo paroxyſmo auctor ſuaſorque fui, ut laboranti eodem odore analepticorum, omnium maxime vini generoſioris, adſtantes ſubveniant, cujus aliqualem portionem interdum animo deficienti infundere juſſi, a qua paulo poſt refocillatam vidimus, unde bonum id eſſe ſignum, ſuaſu Sennerti Med. Pr. L. 3. part. 1. ſect. 2. c. 4. p. m. 105. & vires non adeo proſtratas eſſe judicavi. Quinimo pinguefieri quibusdam credita, obeſæ die mitiori ob plethoræ præſentiam Venæſectionis neceſſitatem propinqui injunxere, quam in hoc ſubjecto omni ope evitare ſtudui, cavendo, ne cachecticum infelici eventu tractarem pro plethorico, ſic monente Celeberrimo Wedelio Diſputatione de Bulimo cap. 7. pag. 21. Potius cruditatum primarum viarum & quantitate & qualitate peccantium certior, ſalinis quibusdam alcalinis, præcipitantibus, abſorbentibus, anticachecticis &c. hoſtem aggreſſus ſum, irrito tamen omni conatu, quem adhibebam. Purgantia Medicamenta Clariſſimus Sylvius Prax. Med. lib. 1. c. 2. §. 26. p. m. 160. præſcribere non conſultum duxit & in fame aucta propterea non convenire ibidem edocuit, quoniam, ut ipſius verbis utar, nulla noverit purgantia, quæ humores acidos educant blande: irritari opinatur iisdem, non item, niſi cum ſummis terminibus & noxa majore quam fructu evacuari acidos in corpore humores &c. Securior tamen præmiſſorum præparantium & edulcantium, quorum Excellentiſſ. Wedelius loco citato pag. 22.

pro

pro explicanda in adducto loco Doctissimi Sylvii opinione, mentionem injicit, ægrotanti MPill. Cephal. hyster. c. ☉ essent. ℞r. acuatam, die mitiori porrigo: unde quidem exquisitus ventriculi dolor, summa tormina, tandem dejectiones acres, excoriantes, ultimato aliquot vomitus subsecuti, sub quibus cum materia acida, biliosa, fœtente, notabilis magnitudinis Lumbricus ejectus, qui longus & rotundus in extremitatibus acuminatus, durus ac subalbidus & nonnihil hirsutus erat, imaginem longioris lumbrici terrestris referens. Foras itaque depulso hoste, quem procul dubio Extractum Colocynth. & ☿ dulc. prout Massam pilular. Cephal. hyst. ingrediuntur, in fugam egere. Expectatus hactenus infelici huic Tragœdiæ finis datus est hic, quod ægra convaluerit & immoderatum cibos infarciendi desiderium naturali magis appetitui, eoque consueto transmutatum viderit indies, citra certæ cujusdam periodi observationem. Lumbricus hic an sola & unica Bulimi extiterit causa, anne simul rejecta per vomitum acidum & bilis pro concurrente annotari mereatur, non æque disputaverim. Etenim Vermem quidem alimentum in Ventriculo præparatum absumsisse & pungendo morsicandoque, appetentiam hanc præternaturalem exaltasse, vero simile videtur: acidum autem non minus ac bilem operam suam conferre, fibrasque ventriculi nerveas vellicando rodendoque, pro ea, qua pollent acredinis potentia, exagitare posse, cum Excellentissimo Ettmüllero b. m. non negaverim, qui Collegii Pract. lib. 1. sect. 1. c. 2. quod vermes soli appetentiam præternaturalem inducere possint, varia ratione dubitavit.

(Vratislavia Augustam Vind. d. 7. Mart. A. 1714. missæ.)

)o(

OBSERVATIO CXLI.

Dn. D. CHRISTIANI HEINRICI ERNDL.

Scirrho Pulmonis & Pericardii Hydrope extincti Anatome.

Die 30. Januar. A. C. 1714. offerebatur mihi ægrotans, triginta quasi annorum juvenis ex Equisonibus Regiis, qui præterita die 27. Januarii Bloniæ, quinque milliaria a Warsavia, cum in convehendo fœno occupatus esset, derepente insignem horrorem cum vomitu, maximoque dolore regionis Epigastricæ, qui illum incurvabat fere penitus, sequente æstu, tussi sicca, summaque inquietudine, passus fuerat. Erat igitur dies jam quarta, cum delato ad hospitium, quod Ujazdovii prope Warsaviam habebat, relatione a Chirurgo nostro facta, ipsi contra puncturas lateris & tussim siccam, qua de tunc maxime querebatur, pulveres resolventes ex Sperm. Ceti cum lap. & sanguine Hirc. & Diaph. Cinnab. Croc. & Sal. volat. C. C. ordinarem.

Die 31. Januarii ipso mane illum invisi, & cum maxime anxium, una cum Respiratione difficili, dolore pectoris, in specie dextri lateris, tussi continua sicca penitus, pulsuque frequenti invenirem, statim ipsi venam brachii sinistri secare jubeo, ordinata simul Essentia Fuliginis D. Meibomii, cum pulveribus resolventibus, alternatis vicibus propinanda.

Die 1. Februarii rediens & de statu præsenti patientis scisciтans, de continuante adhuc & jam ad quintum diem durante agrypnia & inquietudine summa querebatur, dolor ex latere dextro secesserat ad epigastricam regionem, quam totam fere occupabat secundum ipsum diaphragmatis tractum, tussis continuo molesta erat, difficulter jam & non nisi erecto corpore respirabat, genæ rubebant, pulsus frequens ac debilior, sitis urgebat: quapropter potionem Pector. off. cum præparatis & G. Am-

Ammoniaco Diacod. Mont, ordinavi, una cum ſpiritu ⊖ Ammon. aniſ. cum Eſſent. Pect. Meib. mixto; circa veſperam autem, propter aſthmaticam paſſionem ſumme moleſtam, & quia ad tertiam diem jam alvus obſtructa fuerat, clyſma emolliens carminat, cum ſapone Ven. acuatum, ipſi injiciebatur, ſequentibus tribus fere ſedibus naturalis conſiſtentiæ.

Die 2. Februarii mane adhuc tuſſiebat continuo, & parum flaveſcentis vel virideſcentis potius ſputi ejiciebat, per totam noctem nihil quieverat, non niſi erectus ſpirare poterat, pedes & manus nudas oſtendebat, tegumenta omnia ipſi erant moleſta, dolor eundem locum ac heri, gravativus maxime occupabat, genæ rubebant cum facie de cætero Hippocratica, pulſus erat celer ac debilis: repetita fuit potio Pectoral. cum Oxymell. Squill. & Cinnab. jam mixta: infuſum fl. Papav. Err. Bellidis cum Hordeo & Liquiritia pro potu; externe autem Unguent. d. Alth. Fern. c. Ol. ſtill. Aneth. Chamom. coer. & Cumini, offerebatur. Poſt meridiem invaſit ipſum leve delirium continuans usque ad veſperam: hora autem nona Veſpertina expiravit ſuffocatus die ſeptimo decubitus.

Hæc morbi brevis hiſtoria: Interim, quantum ab ipſo patiente & ſodalibus ejus cognoſcere potui, non ſolum antehac ſæpius ab equis calcitratus & male habitus fuit, ſed etiam jam a ſemeſtri fere ſemper tuſſicula cum inappetentia, languora, laboravit, ita, ut ad ſervitia conſueta nonnunquam incapax fere penitus fuerit.

Die 3. Februarii, opitulante Chirurgo noſtro, cadaver aperui, & hoc quidem, ſingulari illa curioſitate ductus, quam in rimandis pectoris affectibus, qui Medicis imponere non raro ſolent, ſemper habui. Antequam cultrum applicavimus, patefiebat contuſio in latere dextro ſub veris coſtis, ubi diaphragmatis expanſio: erat autem livida macula, imperialis magnitudine, cum cicatrice, vulneris antehac inflicti ſigno, quæ tamen in cute ſaltem terminabatur, nec ad interiora pectoris penetraverat, manifeſto indicio, ab equi ungula ferrata hoc olim fuiſſe factum. Diducto

cto ſterno, neque Pulmones neque Pericardium cum Corde, uti fieri alias ſolet, apparebant, ſed omnia hæc denſa membrana erant obducta, ita, ut pulmones cum Pericardio unum quaſi viſcus repræſentarent : præterea in utroque latere pulmones ad vertebras usque valida membranula pleuræ adnati erant: in ſiniſtro latere quidem levius, ita, ut facile abſcederet lobus pulmonum a pleura, adhibitis in ſubſidium ſaltem digitis, in dextro latere fortius, ubi & cum pleura & cum pericardio tam arcte cohærebat lobus, ut ſine cultro & diſciſſione ſeparari ab invicem nequaquam potuerint. Producta ſectione, & inciſa dicta illa ſub ſterno membrana, vel potius Pericardii capſula, exiliebat cum impetu aqua viridiuſcula ichoroſa, qua tota pericardii cavitas adeo erat repleta & extenſa, ut plus quam duas vel tres libras medicinales in ſe contineret, in fundo autem diaphragmati firmiſſime adnata erat, ita ut prædicto jam modo, Pulmones, Pericardium, Diaphragma in unum quaſi viſcus coaluiſſe viderentur. Cor ipſum cum auriculis flaccidum penitus & coloris naturalis ac conſueti expers, muria quaſi arroſum & exeſum erat, inciſis autem ventriculis, parum cruoris ſeroſi fundebat. Quod ad ipſam Pulmonis ſubſtantiam, in ſiniſtro quidem latere ſic ſatis illa naturalis erat coloris & conſiſtentiæ, in dextro autem non æque, utpote in quo, præter firmiſſimam cohæſionem cum pericardio ac diaphragmate totus lobus ſcirrhoſus erat, nec flatum per ramos arteriæ aſperæ admittebat, intus autem vomiculis ichore refertis ſcatebat. Diaphragma præterea, quod cum pulmonibus & pericardio cohæreret arctius, nihil fere inſoliti, ratione coloris & conſiſtentiæ monſtrabat.

Habes hic totam & fidelem morbi, & ſectionis cadaveris hujus hiſtoriam: Ex qua facile colligendum, laboraſſe defunctum ſcirrho Pulmonis & Hydrope Pericardii : qui poſtremus affectus quo rarior, eo dignior ut perſcrutetur, qua ratione in hoc ſubjecto gigni, & febrim acutam inflammatoriam producere potuerit.

Acutioribus autem liberum hac de re relinquendo judicium, ita sentio:

Ab equis sæpius & quidem præcipue in dicto latere dextro ultima vice calcitratus & læsus, primo quidem sanguinis grumos, ex his autem, quia neglectum fuit malum, successive indurationem scirrhosam Pulmonis contraxit: ex scirrhositate hac, lymphæ separatio impedita fuit, & quæ in hoc lobo fieri debuit, cognitis naturæ, ast erroneis viis, ad pericardium delata, ibi Hydatides formavit, quæ tandem, fortassis per motum corporis ineptum ac violentum inter labores consuetos, ruptæ, simul & semel serum suum ichorosum acre in cavitatem capsulæ cordis effuderunt, quo effuso, per consensum, statim vomitus cum ingenti regionis epigastricæ dolore, horrore febrili, tussi sicca &c. secuta: Febris autem lenta, qua diu jam, propter Pulmonis scirrhositatem & aliqualem exulcerationem laborasse existimo miserum, per ingentem illam alterationem, ruptura Hydatidum, in œconomia vitali factam, ita exacerbata fuit, ut in Acutam, Peripneumoniam simulantem, abiverit, quæ viribus jam exhaustis, & visceribus corruptis, medicum auxilium omne eludens, vitæ finem septimo, uti in Acutis solenne est, fecit.

(*Varsaviæ ad Exc. D. D. Godofr. Klaunigium missa d. 10. Martii. 1714.*

OBSERVATIO CXLII.

Dn. D. CHRISTIANI de HELWICH.

De

Polypis cordis, multorum ſymptomatum ad aliud morbi genus relatorum cauſis.

EXtiſpicio abditæ & in puteo Democriti quaſi demerſæ morborum cauſæ cultri anatomici miniſterio ac ope ſæpe poſt mortem demum eruuntur. Tanta enim tum in aliis rebus, tum in morbis internis internoſcendis & diſcernendis, potiſſimum vero in polyporum (ut jam de occultis anevrismatibus & varicibus nihil dicamus) diagnoſi circumfundimur, proh dolor, caligine & fortaſſis ſæpius quam nobis blandimur. Ex re & vero doctiſſimæ de polypo Patini epiſtolæ auctor in præfatione ad lectorem aſſerit: plures *de polypo interno ſcripſiſſe, ſed neminem fortaſſe, antequam anatome verum medicinæ lumen abditisſimam ejusdem exiſtentiam recluſerit, in ſubjectis ægris demonſtraſſe.* Profecto viri ab *evolutis jatricis monumentis jam ſenio confecti ac intra ægrorum & Cadaverum myriades aſſidue devoluti,* in aorta Patini polypum latere ignorabant; imo Patinus ipſe, quod mireris, *potius morbi obſcuritate quam rigore angebatur, & tædebat Medicum in Medico emporio ignoto ære, quo ſibi mortem coemeret, e vivis diſcedere, ut* iterum noſter auctor loquitur. Et qua quæſo arte in muliere ex *Cephalæa multorum annorum atrociſſima & invicta pereunti* Pechlinus potuiſſet detegere, *ſinus cerebri nigro, mucilaginoſo tenacique polypo obſideri,* (Confer. obſervat. Phyſico-Medicar. lib. 2. p. 204.) niſi culter anatomicus manifeſtaſſet polypum & nullam aliam fuiſſe cauſam immanis ac diuturni illius doloris. Et tametſi hac ratione cultri anatomici miniſterium non illis proſit, quos incognitum quidem, ſed crudele admodum ac miſerabile morbi genus, dum viverent, infeſtavit, & poſt multos dolores ac acerba

discrimina enecavit; utile tamen illud est Medicis ac aliis quoque sub morborum tyrannide gementibus, illis quidem fere semper, his vero tum demum, ubi acri mentis investigatione & ratiocinio a simili detectum malum sublevari potest. Est tamen, ubi & defunctis per anatomicam viscerum inspectionem suo modo consulitur, dum interdum labes famæ vivorum aspersa cuspidi cultelli anatomici eradi potest. Uxorem illam Mercatoris, cujus *affectum muliebrem mixtum observat. 143. incentur. 2. Ephemerid.* descripsi, rumor per orbem, incertum, quo auctore diffusus in classem tripudiosarum ac libidinantium mulierum retulerat; a quinque etiam Medicis symptomata a me in prælaudata observatione commemorata a furore uterino seu oestro venereo uno ore in consultatione fuisse derivata memini. Enim vero aperto post mortem cadavere patuit, polypum in utroque cordis thalamo, potissimum vero prægrandem illum in dextro ventriculo hospitantem præcipuum terrificorum symptomatum fuisse auctorem. Tametsi vero necessarium non sit fusiori calamo hosce polypos describere, cum Clarissimorum virorum, Tulpii, Bartholini, Malpighii, Pechlini &c. diligentia nobis hic otia fecerit, juvat tamen tribus addere verbis, quod polypi in hac muliere membranaceum ac durum arcte compressum corpus expresserint, cujus cortex exterior Patiniani polypi tegumento (*Confer. Decur. 3. Ephemerid. nostrarum Annum primum in appendice p. 117.*) similis, crassitie ac duritie cum corio certare potuisset. Hi certo polypi mihi omne dubium exemerunt, quod Clariss. Kerckringius in *observat. 63. p. 145.* dubitans, an *verus polypus ab ullo visus*, aliquid humani sit passus. Polypis hisce in nostra visis & examinatis, manibus palpare nobis videbamur causam interceptæ ac laboriosæ respirationis, (propemodum enim certi sumus, duros hosce polypos paulo majores respirationem reddere difficilem, nisi cor amplioribus dotatum sit ventriculis, quam imitationem merito addit celeberrimus noster præses *Decur. 2. Anno X. p. 341.*) spasmorum istorum horribilium, quorum fit in citata observatione mentio, præcipue vero etiam repentinæ mor-

mortis, qua Anno 1713. die 4. Januar. oppreſſa eſt; nam inopinato ſuffocata concidit, ſicuti polypus omnis ſubitaneo mortis periculo nunquam vacat. Nec Kirſtenium, quiteſte Segero in *epiſtol. 86. Cent. 2. Epiſt. Bartholini*, opuſculum de Polypis meditabatur, fallere autumo, dum aſſerit, quod omnes illi, *in quibus polypos obſervavit*, *catarrho ſuffocativo extincti ſint.* Et dum hæc ſcribo, præter ſpem in vivorum numero eſſe deſiit catarrho ſuffocativo extinctus Illuſtriſſ. Comes Oppersdorffius, in cujus corde poſt fatalem horam inſignis polypus eſt deprehenſus. Confer. *Malpigh. de polypo Cord. in operib. p. m. 315.* Ceſſante enim ac prohibita in cordis ventriculis circulatione ſanguinis, *idem in microcoſmo, quod in macrocoſmo (interpoſita inter lunam & ſolem terra) accidit & velut eclipſis quædam exiſtit, quam neceſſario mors ſerius ocius inſequitur*, ut cum doctiſſimo viro *Simone Pauli in quadripartito Botan. ex p. 81.* loquamur. Prius vero, quam repentina ſuccumbant morte, dici non poteſt, quantopere poſt inuſitatos animi corporisque motus, quibus latex vitalis majori impetu ad cordis thalamos propellitur, principium corporis noſtri vitale ad lipothymiam usque luctetur, ut remorantem in cordis cavitatibus ſanguinem extrudat, ac itum & reditum ejus conſervet ac tueatur. Profecto hæſitans ex errore convulſivos etiam motus adſciſcit in auxilium, ſicuti in hac noſtra contigit: laudatus vero Comes nec de dilatatione aut conſtrictione thoracis exquiſita, nec de ullo in præcordiis pondere conqueſtus eſſe fertur. Cæterum memores obſervationis notatu digniſſimæ Marci Aurelii Severini, quod iis, qui Venerea labe inquinati ſunt, ſæpe adoleſcere ſoleant polypi (adeo enim fœcunda malorum mater eſt Syphilis!) ſolicite inquiſitum fuit, an aliqua hujus labis in trunco exanimi nota deprehenderetur? At vero fatendum eſt, nos in nullum penitus ejus mali veſtigium incidiſſe: multo minus *ſquallida tabes*

Artus - miſeros obduxit & alte
Grandia turgebant fœdis abſceſſibus oſſa.

Duo

Duo vero sunt, quantum mihi quidem ejus genus vitæ perspectum, quæ generationi polypi ansam præbere potuerunt. Et initio quidem mœror panicus, quo aliquot ante mortem annis concussa fuit, cum ejus consalinus quispiam charum ei, nescio quibus de causis, caput, postquam hilari animo & vegeto corpore e lecto surrexisset, apoplexia corriperetur & acturum exspiraret; provide vero & solerter notavit Malpighius l. c. p. 316. *quod insignes polypos in præcordiis illorum, quos improvisus concussit timor, bis observarit.* Gravissime omnium in vitam peccavit secundo in hoc, quod, cum tuendæ sanitatis & prorogandæ vitæ causa thermas Hirschbergenses adiisset, aliquando ex iis egressa æstuans præ nimio calore corpus nimis temerarie frigidæ aquæ totum immerserit. Ab illo sane tempore nunquam amplius cum sanitate in gratiam redire potuit. Si Malpighianum generationis polypi, modum approbes; (quamvis & alium meminile-gisse in historia Regiæ scientiarum Academiæ) facile patet, quo pacto turbatis utroque in casu sanguinis fluor, & in ultimo etiam compages ejus non leviter dissoluta, præcipitatis fibrosis ac albis partibus strui potuerit ejusmodi corpus, quod polypum vocamus, ex pelliculis seu filamentis sanguine turgidis, mutuo sibi incumbentibus ac arcto & tenaci nexu coalescentibus, quæ in fasciculos collatæ membranas efformare, hæ vero sensim auctæ ac sibi invicem agglutinatæ in substantiam satis grandem accrescere aptæ natæ sunt. Hoc eo facilius fieri potuit in hac fœmina, quo magis sanguis ejus, ut in cruore ex vena educto aliquoties vidimus, fibris crassis, fluidoque minus obsequentibus abundabat. Nihilominus cum inficiari non liceat, defunctam de incendio muliebrium, dum viveret, conquestam fuisse, ac desiderium coëundi qua verbis qua gestibus aliisque indiciis interdum prodidisse, uterum lustrandum esse duximus. Et iste quidem a statu naturali penitus non recedebat, si quatuor excrescentias ejusdem cum utero, texturæ renum minutorum formam exacte referentes, excipias, duas dissecuimus & cavitatem, quæ tamen in uterum non hiabat, in iisdem admirati sumus. Hasce protu-

be-

berantias in dextero uteri latere circa fundi superficiem vertebris obversam, cui filamentis in fasciculum collectis tanquam pediculis annectebantur, invenimus. In eodem latere vesiculæ inclusæ membranæ, quas ovarium vocamus, versus superiora in saeculum protendebantur, qui, cum incideretur, materiæ nigricantis gelatinosæ unciam circiter dimidiam cum impetu ejaculabatur. Annon vero hæc materia ovula vicinasque partes compressit & sensum gravitatis ac ponderis produxit? Non multo itaque melior nostræ sors erat, quam virginis illius *furore uterino & mania* tanta correptæ, *ut catenis vinciri debuerit* apud *Blancardum in Anatomia practica observ. 99.* quæ & ipsa cum subito obiisset, aperto cadavere spectandum obtulit *Ovarium pugni magnitudinem æquans idque succi plenum.* Dolemus vero, quod renes attentioribus oculis non perreptaverimus, forte enim novo exemplo confirmari potuisset sententia Bartholini, quod salacioribus renes sint majores, quam Celeberrimus Lentilius nuper *in Centur. 2. Ephemerid. Academiæ nostræ* pag. 345. & seqq. operose adstruxit.

OBSERVATIO CXLIII.

Dn. D. CHRISTIANI de HELWICH.

De

Gonorrhæa inveterata, suppressionis urinæ & aliorum symptomatum causa.

VIr generosus quadragenta circiter annos natus, a primis pubertatis annis non tantum in Martis, sed & Veneris castris strenue militaverat. Unde quidem aliter fieri non potuit, quam ut multoties gonorrhœa virulenta etiam ea, quam a contorsione penis in obliquum, chordatam vocant, corriperetur. Et ab ista quidem sæpiuscule variis remediis variisque medendi methodis a diversis Medicis pariter ac Chirurgis utcunque liberatus fuerat.

Enim vero, quoniam vagos & impuros concubitus amatorios non vitavit, neque unquam ad accuratiores diætæ leges constanter se adstringi passus est, aliquoties pristina labe fuit contaminatus ac variis involutus est malis. Nam & in urinæ suppressionem multoties incidit, quæ primis annis catheteris ope aliquoties fuit sublata. Cum in causam detentionis urinæ inquireretur, & in urethra non solum post glandem versus vesicam tangentibus occurreret obstaculum durum & callosum, verum etiam in eodem urinæ canale ad radicem penis, deprehendi videretur corpus paulo durius; Illustrissimus Dominus Æger ac Medici crediderunt, carunculam seu excrescentiam post diuturnas ac sæpe recurrentes gonorrhæas causam esse ischuriæ, existimantes obvium esse, quomodo urinæ fluxus tali opposito aggere obstrui ac cohiberi possit. In eadem excrescentia, quam indubitato præsupponebant, etiam causam latere rati sunt, quod tenue admodum urinæ filum inter mejendum sæpe appareat, item, quod tenuis ille urinæ fluor minime rectus sit, sed obliquus ac in duos quasi radios divisus. Conversa hinc ad carunculam exstirpandam Medentium studia, & multa ad eam auferendam remedia sunt adhibita. Nobis, quibus traditio Chirurgorum & scholarum doctrina de carcunculis earumque effectu per multos annos fuit suspecta, illa hæret opinio, quod coarctatio & strictura urethræ & ægros ipsos ac Medicos frequenter fallat ac specie carunculæ illis illudat, ac proinde ægrum ab usu remediorum carharcticorum & irritantium, quæ vulgo commendantur, abstinere voluimus, cum nostræ se crederet curæ. Porro cum per longum temporis spatium liquamen colore modo flavo, modo viridi, indusia maculans antea exstillasset; ante biennium purulenta & saniosa materia, nares acri odore feriens, in maxima copia (nam dimidium matulæ sæpe implebat:) effluere cœpit. Ego, quitum temporis solus ei medicinam faciebam, istam materiam ex vesiculis seminalibus & glandulis prostatis exulceratis scaturire arbitratus, præscripta idonea victus ratione non tantum ad contagium virulentum & ad dyscrasiam massæ sanguineæ

ab

ab iſto inductam in cura reſpexi, ſed ulceris in proſtatis maximam habui rationem, non neglecto dolore, qui ſub finem mictionis crudelius, quam dum urina profluereet, excruciabat, & contra hæc mala evacuantibus, idoneis temperantibus, mundificantibus, balſamicis & conſolidantibus cum ſumma attentione certavi. Inter topica placuit abſtergens decoctum, quod per ſyphonem in penem injici curavi, & exſiccans ungventum, quod cereolo illitum circa noctem in penem fuit intruſum. Cum hæc per duos menſes ſtudioſe ac diligenter eſſent in uſum deducta, non adeo multum puris proſtatæ profundebant & læta ex integro ſanandi ulceris ſpes affulgebat. Enim vero ad exercitum revocatus omiſſis remediis in antiquum vivendi modum relapſus denuo gonorrhæam contraxit, quæ a variis tractata, a nemine vero ad hunc usque diem perſanata fuit. Rurſus ſub finem mictionis aliquem, licet non magnum, percipit dolorem, qui antea jam evanuerat, ac urina tenuiſſimo quaſi filo exit ac dimanat, quinimo aliquando ſupprimitur, cui, ubi liber exitus ei patet, quod antea factum, cum ad Catheteris opem confugit, magna putris materiæ & filamentorum copia miſta eſt. Ardore urinæ maximo excruciatur poſt coitum, quem a ferventis & putris ſeminalis liquaminis tranſitu derivat. Fundo matulæ adhæret ſumma tenacitate mucago albumini ovi non diſſimilis, quæ in filamenta, dum effunditur, diſcerpi videtur. Ex quibus facile intelligitur, in quam periculoſo ſtatu æger verſetur. Neque improbabile eſt, ulcera tam antiqua in veſiculis & proſtatis ab abuſu adſtringentium, quæ ab imperitis Medicis ſæpe vi quaſi extorſit, in callum concreviſſe ac obduraſſe, imo ſuſpicari licet, quod collum veſicæ in ſcirrhoſam duritiem occalluerit, niſi forte malis carcinodes ulcus ſupponere. Certe ab abuſu calidorum internorum remediorum vini ac aromaticorum & Catheteris irritamento ſerio eum revocare conatus ſum, quia hac ratione evenire facile poſſet, ut maligni moris ulcus excandeſcat & veſica inflammetur. Accedit, quod nec Catheteris miniſterium ei amplius utile ſit. Nam cum initio hujus anni die 23. Januar. poſt vini generoſioris,

floris ingurgitationem exitus urinæ omnis præcluderetur, frustra ad Catheteris opem properavit. Tanta certe erat urethræ coarctatio, ut Catheter intrudi nullatenus posset. Eximiam vero ei utilitatem præstabant enemata ut & Cataplasma ex Radice Alth. Pertrosel. ononid. Herb. Parietar. Malv. veron. flor. verbasc. sambuc. chamomill. sem lin. frenugræc. Bacc. juniper. &c. in lacte coctum & calide applicatum. Inter remedia interna utilitate plane eximia sese commendabat ♃ ♁ Xij terebinthin. cum decocto *emollient. contra calculum* Foresti & aquis appropriatis ac syrup. Alth. mistus ac sæpius per intervalla exhibitus.

OBSERVATIO CXLIV.

Dn. D. CHRISTIANI de HELWICH.

De

Febris Catarrhalis solutione paulo apud nos rariori.

DVm passim febres catarrhales majoribus aliæ, aliæ minoribus symptomatibus stipatæ præterlapsa hyeme apud nos grassarentur, & plebem præcipue opprimerent; matrona nobilissima propemodum quadragenaria, aulæ deliciis affluens, die 16. Mensis Februarii eadem graviſſime laborare cœpit. Horrore per dimidiam horam concussa in vehementem circa noctem incidit æstum gravissimumque capitis dolorem atque coryzam. Maxima vero tempestas ei incubuit die 20. ejusdem mensis, siquidem intolerabili Hemicrania sinistri lateris excarnificata, deliquiis fere continuis ac maxima pectoris oppressione & anxietatibus territa ultima sibi imminere credidit. Die 21. accessit insignis in eodem latere faciei tumor & totum corpus fuit conspersum maculis, quas Effere vulgo vocamus. Hisce apparentibus ferocia dolorum & pectoris angustiæ quodammodo mitescere videbantur. Vigesimus secundus dies ei illuxit multo felicior, quando ex nare sinistra primo viridis, deinde subrubra ac tandem ci-

cineritii coloris materia incredibili copia cum optatissimo symptomatum levamine prorupit. Vt videas, quam verum sit Hippocratis illud oraculum : *Capite dolenti & vehementer laboranti pus vel aqua vel sanguis per nares aut aures effluens, morbum solvit lib 6. Aphorism. X.* Vnde vero tam insignis quantitas ? An forte ex glandulis & tunicis narium ? nequaquam. Clarissimus Willisius in *descriptione nervorum & usus cap. 21. p. m 74. in Op.* respondet, *liquido constare, quod serosi humores cœcos nervorum & fibrarum meatus perreptent & per ipsos e loco in locum migrent. Quinimo*, inquit, *opinari licet, non tantum in humectandas nares laticem sufficientem hac via transudari, verum etiam si quando serosa colluvies in cerebri ventriculis congeritur, non raro superfluitates ejus, sive humorem excrementitium fibrarum ductu os cibrosum trajicere & foras amandari.* Celeberrimus Bohnius in doctissimo opere *de officio Medici* part. 1. cap. XVI. recte sentit, quod natura *viam per os cribrosum patulam magis reddat* ad *minimum, ubi morbificam excernere satagit materiam*, quod *ejusmodi historiæ innuant, quibus serum, cruorem extravasatum, pus similemve colluviem, quæ cephalicorum symptomatum causa conjuncta hactenus extiterant, per nares emuncta legimus.* Dixi hanc solutionem febris catarrhalis apud nos rariorem ; nam muco debitis remediis ex radice *Helenii, Imperator. pimpinell. a Carlin. &c. ac myrrh. & Cibus præparato & pilulis ex Gummatibus evacuato* fere per sudores ægri a febre hac liberantur, etiamsi nullo modo ad sudores cogantur.

(*Vratislavia Augustam Vind. d. 10. April. A. 1714. missa.*)

OBSERVATIO CXLV.

Dn. D. GODOFREDI KLAVNIG.

Hepatitide subito extincti Anatome.

MOrbos, qui Hepar aggrediuntur, si symptomata & eorum eventum attendas, inter se utplurimum toto cœlo differre, & diversam penitus induere faciem, si in hujus visceris parte convexa, aliam si in concava, vel in ipsa substantia sedem cruciatuum figant, ulteriori probatione non indiget. Notari tamen merebitur Hepatitis per quatuor dies latitans, uno vero impetu in tantam, ut ita loquar, flammam erumpens, quæ vix per 10. horas sæviens ægro vitæ finem subito attulit, inprimis cum Medicinæ forensis scriptores Hepatis læsiones simpliciter lethales pronuntiare ambigant. Degebat apud nos ante tres annos Vir sanguineo-cholericus, ætatis 45. circiter annorum, natione Batavus, Potentiss. Regis Polon. Augusti negotiis vacans, qui Bacchanaliorum tempore in pago dimidium milliare hinc distante, aëri se exponens inclementiori, Baccho strenue litaverat. Vratislaviam redux conquerebatur de totius corporis languore, æstu circa noctem ingravescente, levi subinde horrore, siti, somno inquieto, tussi, quam insequebatur spissioris phlegmatis exspuitio, & de reliquis symptomatibus, quæ me de Febre Catarrhali certiorem reddere poterant.

Quapropter in auxilium vocavi medicamenta tali Febri convenientia, scilicet diluentia, leniter diaphoretica cum diureticis & expectorationi inservientibus, a quibus etiam intra 12. dies convaluit, & se ex voto sanum deprædicavit. Finita hac cura prædicto Domino pro conservatione sanitatis, qua tum fruebatur integra, proprio motu arridebat Consilium famosæ Dominæ Fouquet, qua Duce ad confortandum pectus spiritum rorismarini, qui vulgo aqua reginæ Hungariæ audit, in largiori dosi

doſi ſæpius hauſit. Huic methodo ultra ſex ſeptimanas inſiſtens nocturno tempore 19. Martii inſperato Reſpirationem expertus fuit quodammodo difficiliorem, quam cruditatibus in primis viis latentibus adſcribens, laxante emendari poſſe erat perſuaſus. Juſſit itaque ſibi afferri potionem ex aqua laxativa Viennenſi cum ſpeciebus dia-Tartari Minſ. acuatam, cujus effectum mitiorem poſtmodum & mihi, & aliis laudavit; ſequenti die pariter me inſcio ad corroborandum ſtomachum, quem adhuc accuſabat, guttulas quasdam a nebulone Medicaſtro, quorum apud nos fertilis ſeges eſt, extra mœnia jus vitæ & necis impune exercente, acceptas, diſſuadente licet uxore, numero 40. aſſumſit, earumque uſum aliquoties repetiit. Ab eo tempore peſſime ſe habere cœpit, adeo quidem, ut 25. Martii tota nox ipſi maxime fuerit turbulenta, irruente calore intenſiſſimo, circa carpos manuum frigore & ſenſu dolorifico, quem comitabatur maxima in reſpirando difficultas, quandoque exſpuitio pituitoſæ materiæ ſanguine intermixtæ, dolor urens circa ſcrobiculum cordis verſus hypochondrium dextrum, & Præcordiorum anxietas. His in anguſtiis conſtitutus meum imploravit auxilium, ad quod præſtandum horis matutinis eum accesſi, & placide dormientem inveni, quapropter ſomnum turbare inconſultum ducens, poſt duodecimam me rediturum promiſi. Cum ſtato tempore illum inviſerem, vix verbis mihi exprimere valebat miſerias præterita nocte toleratas, & ſe modo quaſi de morte reſuſcitatum proclamabat, ceſſantibus nimirum allegatis ſymptomatibus & pulſu etiam magis naturaliter ſe exhibente, ut igitur ad conſervandam per bronchia excretionem unice medicamentum ex expectorantibus a me peteret. Sed ecce! quam lubrica mortalium ſpes! Ejusdem enim diei hora tertia revertebatur fatalis paroxyſmus ſtipatus omnibus ſupra memoratis ſymptomatibus, quæ compeſcere Venæſectione vel medicamentis non erat Medici, cum vomitu ſtatim rejicerentur omnia, quæ ipſi exhibebantur. Appropinquabat itaque vitæ finis, qui Dominum

ægrum

ægrum, aucta suffocatione, hora prima nocturna 26. Martii e medio sustulit. Subitaneus hic casus agnatos, inprimis mæstissimam Viduam novem liberorum matrem, de genuina mortis causa sollicitam reddebat, ad quam indagandam facultas mihi concedebatur aperiendi cadaver. Hoc aperto observavi in Thorace pulmonis lobos nigricantibus punctis, procul dubio ab intercepto sanguinis motu, undiquaque notatos; in abdomine vero pylorus seu dextrum stomachi orificium tam interne quam externe conspiciendam dabat maculam fuscam seu nigricantem, quæ Imperialis magnitudinem excedebat, qualis etiam colore similis, sed magnitudine tribus vicibus major, & duritie notabilis in ea Hepatis parte, quæ pylorum respicit & attingit, apparebat. Reliquæ partes sanis erant simillimæ. Quæ inflammationis hujus fuerit causa, inquerere nolo, sufficit, quod ab inflammato Hepate & pyloro nervorum strictura & dolor intensissimus a dolore spasmodico vicinarum partium, inprimis diaphragmatis & pulmonum contractio & constrictio, ab hac in pulmonum vasis sanguinis stasis, & in eorum cellulis præclusus aëri ingressus, hinc tandem suffocatio &

Mors, salvo aliorum judicio,
optimo jure deduci
possit.

OBSER-

Caffe

OBSERVATIO CXLVI.

Dn. D. GODOFREDI KLAVNIG,

De

Cardialgiæ Recidivis, Medicamentorum Variationem exigentibus.

ETiamsi Cardialgia, quam meliori jure Passionem ventriculi colicam nominarem, quotidie ferme obvia sit, attamen ejus sollicita & exquisitior cura nostris in Ephemeridibus locum tuebitur, cum sæpius Medicos adeo fatiget, ut & hic ipsis, uti in Proverbio loquimur, aquam sæpius hærere fateantur. Expertus hactenus fui affectus hujus atrocitatem in viro ætatis 38. temperamenti sanguineo- cholerici, qui spatio trium annorum plures recidivas, quarum nonnullæ per aliquot menses quotidie sævierunt, passus, mox in hoc, mox in alio medicamento salutis anchoram invenit, quorum varietatem & reliqua circa hunc morbum observata hic candide communicare operæ pretium duco. Multifaria Experientia jam didicerat, se huic hosti oportere victas dare manus, postquam cibos assumserat nimis avide, imprimis eos, qui viscidioris texturæ flatibus ansam dant, pingues & lacticinia, aut delectatus fuerat potu vini dulcioris, quorum in classem pertinent Canariense, Languedocicum Muscat de Frontignan dictum &c. Quapropter Tragœdiam, quam similes excessus in ejus stomacho ludebant, non immerito, ut credo, adscribere solitus fuit tono relaxato tunicæ fibrosæ ventriculi, quæ scilicet a flatibus nimium extensa robur suum amittit, quo ad promovendam perfectam alimentorum digestionem indiget. Hac postmodum labefactata, quid mirum, si semidigesta moles, crudum & pituitosum chaos, stomachum dolorifice flatibus turgescentem sistat, adeo, ut & vicinæ partes sensu dolorifico afficiantur, inprimis sinistrum ejus orificium, quod per nervos proprios a sexto pare originem ducentes mali propaginem longe lateque

diffundit & diaphragma, respirationis organa, ac ipsum cor in consortium trahit? Non equidem excludo dyscrasiam liquoris, qui e stomachi glandulis sub fermenti nomine secernitur, ut & bilis ac inprimis succi pancreatici, persuasus cum Illustriss. nostro Herophilo in ejus consilio Miscellaneorum Excellentiss. Lentilii Parti II. p. 428. inserto, quod horum vitiosorum tumorum ad concoctionem facientium fermentatio & hic symbolum suum addat, crederem saltem, meo in ægro hanc dyscrasiam ab atonia fibrarum stomachi originem habuisse. Succi pancreatici & bilis vitium non obscure apparuisse videtur; cum æger paroxysmi mitigationem non solum a ructibus, sed magis a situ corporis, quoties jacendo, etiam extra lectum, dextro lateri incumberet, experiretur, manifesto indicio, quod comprimendo dextrum hypochondrium tali situ promoverit dictorum humorum effluxum, & fermentationi obicem posuerit. Superfluum judico in Cardialgiæ historiam & symptomata excurrere, postquam ejus pathemata, dolore scrobiculum cordis & totam ejus peripheriam, imo ipsum scapularum interstitium occupante gravativo ac distensivo acutissimo, ad animi deliquium usque se manifestantia, lippis, ut dicimus, atque tonsoribus nota sunt; annotare potius lubet varia remedia, quæ quælibet recidiva sibi quasi propria vindicavit. Cum hic morbus prima vice irrueret, ordinaria methodo vomitorium & Carminativa opposui, sed nihil exoptati effeci, usque dum ad D. Becheri pilulas ex extractis balsamicis, aperitivis & tonum corroborantibus compositis confugerem, quæ repetitæ aliquot vicibus hostem ejecerunt. Finitis his induciis post aliquot menses Cardialgiam recurrentem felici tandem successu abegi saleacidularum Egrensium, cujus ℥vj. in ℥iij. aquæ font. ferventis solutæ ter in usum vocatæ virtute salium innata corroborando fibras, corrigendo phlegma viscidum, succum pancreaticum, bilem, laxando, atque dirigendo motum peristalticum versus inferiora, flatibus viam monstrando utramque absolverunt paginam. Verum subsequens recidiva etiam hæc salia laude sua privabat, ut, alio destitutus auxilio, præmisso laxante rha-

rhabarbarino corticem Peruvianum extra paroxyſmum duabus horis poſt paſtum quotidie revertentem, adhibere coactus fuerim, qui etiam, robur reſtituendo fibris, ægrum ſanum & ferme per ſemeſtre ſpatium ſalvum ac incolumem præſtitit. Nova hujus Tragœdiæ ſcena auſcultabat cortici caccerillæ præ chinæ chinæ Cortice, tanto cum applauſu, ut ille hac vice victoriam reportaret. Cum iterum recurreret, nec cortices frenum injicere valebant, ſed variis fruſtra tentatis in Infuſo herbæ millefolii inveni, quod quæſivi, cui majores adhuc debeo grates, quod aliquoties redeuntisin orbem morbi deſiderata fuerit panacæa. Ne vero millefolium nimis extollam, ultima admonet recidiva, qua æger meus autumnali tempore præteriti anni ſatis atrociter laborabat. Diu, fateor, inſiſtebam veſtigiis præteritis, & Millefolium varia ſub forma exhibui, nullo tamen cum ſucceſſu, ut tandem dolore victus duro nodo durum cuneum, morbo ingrato ingratum Medicamentum opponere mecum conſtituerem, Decoctum intellige Centaurii minoris, quod ab illo tempore apud ægrum meum jure meritoque tam curative, quam præſervative primas tenuit. Hujus Decocti quotidie e lecto ſurgens quatuor vaſcula, quæ Taſſes vocantur, hodie adhuc haurit, nec de alio medicamento cogitat a Cardialgia, DEO ſint laudes! ad hodiernum usque diem liber. Maneat itaque Medicis, qui ſemper una chorda oberrare amant, & uni evporiſto hypochondriaca quaſi contumacia pertinaciter inſiſtunt, alta mente repoſtum, quod in Medicina practica Medicamentorum variatio ſæpius, niſi primum, certe non ultimum occuper locum.

(*Vratislaviæ Auguſtam Vind d. 16. April. A. 1714. miſſa*)

)o(

OBSERVATIO CXLVII.

DN. D. GERARDI ARNOLDI de VINCQVEDES.

De

Fonte minerali Tungrensi.

CVm primo supra millesimum septingentesimum a nativitate Christi anno, Magistratus oppidi Tungrensis Principatus Leodiensis fontem quendam mineralem dicto oppido vicini ibidemque salientem (cujus meminit Plinius l. 31. hist. nat. cap. 2. his verbis: *Tungri civitas Galliæ fontem habet insignem, plurimis bullis salientem, ferruginei saporis, quod ipsum non nisi in fine potus intelligitur: purgat hic corpora, tertianas febres discutit, calculorumque vitia. Eadem aqua igne admoto turbida fit, ad postremum rubescit:*) ab hominum memoria varios eosque pro incurabilibus habitos morbos vidisset curatos ex potatione dictæ aquæ mineralis, rogatusque eo intuitu a plebe tam nobili quam ignobili circumjacentium locorum, ut metallurgis medicinæ peritis iisque experientissimis committeret explorandas prædictæ aquæ mineralis qualitates medicinales; publicarum infirmitatum sublevandarum ergo; qua de re habita matura deliberatione, conclusum fuit, desiderio huic satisfacere, cui fini convocati & invitati fuere omnes, quotquot erant medicinæ peritissimi eidem oppido vicini, vicinarumque urbium utpote Leodiensis, Mosætrajectensis, Namurcensis, Hujensis, imo ipsa Facultas Universitatis Lovaniensis medica, magno cum populi longe lateque concursu, idque sub finem mensis Maji anni supra memorati; quo tempore cum Reverendissimum meum negotiorum ergo Regem Galliarum adeuntem comitarer, ut ejusdem sanitati vacillanti invigilarem, me præsentem cum prædictis Collegis, ad explorandas dicti fontis mineralis qualitates sistere nequiveram, tandem vero e Gallia redux Tungros veni, vidi quid me absente concluſum fuerit, nempe unanimi consensu, aquam istam,

rin-

ringentibus quidem osoribus, aperitivam, diureticam & laxativam promulgatam, idque multiplici experientia comprobatum fuisse, & nonnunquam per vomitum saburram in ventriculo stabulantem expulisse.

Ego vero curiositate motus, ejus aquæ non exiguam quantitatem analysi chymicæ subjeci, & inter alia consecutus fui sedimentum quoddam terrestre pauxilla quantitate mineræ Martis, atque sale alcalino locupletatum, eoque nomine acidum oberrans & œconomiæ humanæ nocivum contemperans, imbibens & infringens, in hunc modum: ℞. sedimenti mineræ ʒij. divid. in doses num. iij. mane, a meridie, & vesperi cum hausto sat liberali dictæ aquæ, die autem sequenti exhibendo dosim de massa pilularum, cujus descriptio hæc est: ℞. turbith gummosi ʒiß. mechiocan. ʒij. fol. sennæ orient. ʒiiß. sem. anis. ʒiij. infund. vini adust. ℔vj. ponantur in digestione arenæ per iij. ☌. hinc calide exprimendo, colatura evaporetur igne lento in consistentiam pilul. addendo sub finem sedimenti nostri mineralis part. i. ad extracti part. ji. cujus dosis est a ℈ij, ad ℈iij. addendo cuique dosi Mercur. dulc. gr. vj. vel viij. unde formentur pilulæ num. v. vel vj. obvolvendæ pulvere rad. ireos flor. Conferunt plurimum in asthmate ab humore crasso organa respirationis obsidente, tussi, tabe, phthisi, empiemate, ubi evacuatione opus, uti multiplici experientia compertum habeo. Aliam Pilularum compositionem subjungam; ℞. sedimenti miner. supradicti ʒiij. gum. gutt. ʒvj. mercur. dulc. ℈iiij. cum s. q. mell. f. massa, de qua a ʒß. ad ʒj. imo ℈iiij. in robustissimis exhibendo, feliciſſimo cum eventu hydropicorum aquæ, omnisque superflua serositas, acidum infringendo, tumores œdematosos resolvendo, vermesque enecando, educuntur. Tincturam insuper in usu habeo sequentem: ℞. Sedimenti miner. ʒij. vitrioli Mart. cum sp. nitr. præp. ʒj. quibus invicem mixtis superfund. sp. vin. tartaris. ʒX. ponantur vase clauso in calore leni, postque sufficientem in arena digestionem reponantur usui; dosis a ʒß. ad ʒj. bis terve in die, cum aqua minerali aut alio vehiculo adpropriato; liberat massam sanguine-

am ab aciditate viscosa, præcipitat, perque urinam educit materiam sabulosam renes & ureteres obsidentem, colicæ nephriticæ succurrit, coagulatam materiam resolvit.

Conf. Andr. Baccius de Thermis libr. 6. cap. 3. p. 355.

OBSERVATIO CXLVIII.

Dn. D. GERARDI ARNOLDI de VINCQVEDES.

De *Ictero curato.*

COmitis cujusdam generosi filiola decennis, eaque icterica, post varia a variis Medicis præscripta & exhibita remedia convalescere nescia, a generoso Domino Patre meæ curæ fuit commissa, cui itaque sequens adhibui remedium: lucium nempe piscem vivum per medium dissectum exenteratumque scrobiculo cordis applicare & alligare jubeo, ibidemque relinquendo per diem naturalem, post cujus decursum, cum piscis removeretur, cubiculum fœtore intolerabili replebatur, cum ægræ alleviatione & coloris in facie, oculis, imo unguibus diminutione; subsequis vero diebus ter in die Tincturam hanc sumserat: ℞. Stercor. anser. ℥iß. quam nitide fieri potest collecti leniterque siccati, spir. vini tartarisati ℥iiij. simul indantur matratio obturato, committendo arenæ calidæ per 24. horas; hinc filtra & usui conserva; de qua sumsit pro dosi ℥j. cum aqua chelidon. aut alio aliquo appropriato vehiculo, quo mediante in integrum restituta fuit; id quod non vice simplici in aliis subjectis ad votum succesſit, præmissis præmittendis; adultorum autem dosis facile ad ℥ij. & ultra ascendit.

OBSER-

OBSERVATIO CXLIX.

Dn. D. GERARDI ARNOLDI de VINCQVEDES.

De

Pica insolita in prole.

CAusa antecedens & remota hujus oppido rari casus, ni fallor, quærenda in matre gestationis tempore pica laborante, cujus causa materialis & efficiens in depravato ventriculi fermento quod lateat, noto notius est, unde a matre in prolem cum lacte sub specie sanguinis vitium traductum fuit. Dicta proles cum annum circiter attigisset, avide unguibus abradere cœpit parietem calce obductum, eamque devorando summo cum appetitu, in tantum ut cum a ploratu sisti nequiret, parietemque monstraret mater, protinus exhilararetur, particulas ejusdem detrahendo & devorando, non sine sanitatis detrimento; cui obviam eundo curationem auspicatus sum fermentum ventriculi acidum luxurians tollendo, corrigendo & corroborando, nec non exhibendo matri sequentia, scil. tart. emet. gr. vij. sal. volat. urin. gr. v. conserv. absinth. ℥j. F. Bol. a quo laudabiliter evacuavit, sub finem mater uberibus prolem admovit, sicque pariter infans fuit purgatus; diebus autem sequentibus sumsit mater mane & vesperi dosin mixturæ sequentis: ℞. Essent. menth. melis. aa ℥ij. tinct. succin. vol. ℥j. syr. cort. citr. ℥iß. aq. rosmar. ℥iij. M. sumsit cochleatim, quaque vice admovendo uberibus prolem, quæ sic insolito appetitui valedixit.

(*Missa ex S. Huberto Augustam Vind. .. Mart. A. 1714.*)

OBSER-

OBSERVATIO CL.

Dn. D. JOHANNIS JACOBI DILLENII,

De

Cahve Arabico & Germano Europæo.

CAhve equidem, quod nuper quidam leguminosum, alii volvulaceum esse, alii, a S. Dale sine αὐτόπτῃ nominatione persuasi, prægrandem Tiliæ instar arborem, flores pentapetalos, fructus baccis Lauri similes habentem censent, vulgatam a Pr. Alpino ortam sententiam sequentes, pro arbuscula habemus tantisper, donec de ejus genesi curiosi & versati cujusdam Botanici inquisitione certius nobis constiterit. Equidem porro licet Buncho *Avicennæ* & Bunca *Rhasis*, qui seculo post natum Salvatorem nostrum nono vixit, ex Alpini & Veslingii, Arabicum idioma priore intimius callentis, sententia, cum Cahve satis conveniat, immo idem sit, auscultandum tamen potius summo in hisce interpreti, G. A. Velschio, qui Tract. de Vena Med. Cap. XII. Ebnsinam diversum quid, quod idem sit cum Nascaphtho *Dioscoridis*, designasse, ex Ebn Beitharo & Ebn Maarufi, auctoribus Arabibus, probatum dedit; & licet demum calidæ (simplicioris tamen) potum Antiquis familiarem & idcirco cauponas publicas extitisse docti viri plures (nempe Lipsius contra Hadr. Turnebum, & Freinshemius ad J. Kueferum, itemque Ant. Persius, qui adversarium habuit Petrum Paulum Fusconem Tr. Ital. de Potu Cal. & Fr.) docuerint, & jus suum nigrum etiam Spartani (an vero satis speciose huc a nonnemine relatum? cum, ut Pollux L. VI. docet, id αἱματία, seu igne coctus sanguis fuerit, & ideo a Cicerone in Tuscul. Quæst. pulmentum Laconum vocetur; quo quidem nomine cum acidis jusculis nostris sanguine atratis satis convenit, si non idem fuerit) habuerint, res tamen omnis prorsus indubia nondum est, nec rationes & monumenta quævis undevis conquisita fructus hujus notitiam, non dico apud Antiquio-

tiquiores, sed nec apud Turcas, immo nec apud Ægyptios & fere etiam Arabes ultra duo secula indubitatam, quoad usum saltem, reddunt. Nunc ejus usus potatioque notissima latissimeque patet, ut thermopolia eo fine per omnem Europam & maximam Asiæ partem constructa passim cernas, & ampla cum hoc fructu mercimonia instituantur, non modicis sane reditibus, e vectigalibus & tributis talibus tabernis impositis, aeraria publica locupletantibus. Tentavimus varia & experimenta multa fecimus, an non ad similitudinem (in opinione tamen verius, quam sensus veritate & judicio) Theæ Germanizantis hic Europæ ex inquilino tostum parari posset, ei, quod ex Arabicis Cahve arboris seminibus fit, si non idem, simile tantum. Pisa tum huic usui penitus inepta comperimus; phaseoli ponderosum & egregii simul coloris pulverem dabant, sed penitus adversum & nauseabundi saporis non minus, quam odoris: inter frumentacea hordeum adversi quid spirabat: avenam ob maciem & paleositatem mox abjecimus: triticum minus bene torreri se patiebatur, nec sapor ejus nobis placebat: secale vero expectationi nostræ plene planeque respondebat. Confecimus inde, intermixta ad oleositatem conciliandam sufficiente amygdalarum quantitate, (qui ex solis iis parare vellet, non pulverem, sed per tusionem pulpam mollem oleosam acquireret) & animadversis, quæ in omni Cahve tostione requiruntur, circumstantiis, justoque (quo sal jam semialcalinum cum oleosis particulis recte jungatur) tostionis puncto, Cahve Europæum, quod tenuiter pulverisatum & rite percoctum (eget vero aliquantum longiore præ vulgari coctione, & ad minimum quinquies vel sexies in spumam attolli debet) potum præbuit exotico plane similem, immo eundem prorsus tum sapore, tum odore, tum extra omnem dubitationem viribus etiam. Hoc nostrum Cahve sæpius hujus rei gnaris juxta & ignaris apposui, nec ii differentiam aliquam animadvertere potuerunt. Tandem, tum quod præ aliis leguminosis dulces essent, & ideo a vermibus crebro perforentur, tum occasione ob-

servationis 90. Dec. III. A. V. & VI. Eph. Germ. (nostra enim experimenta certo ante feceramus, quam in hunc locum incideremus) fabas quoque experti sumus, sed ne quid dissimulemus, potus earum, licet saporis odorisque judicio exoticum Cahve exactissime simularet, ob affinem phaseolis naturam ventriculum gravabat & ei negotium aliquantisper faciebat, cui alias & cephalalgiæ inde ortæ tum Arabicum, tum nostrum frumentaceum Cahve subvenit; id tamen fabaceo pulveri tribui debet, quod præ frumentaceo magis ponderosus & densus (adeoque minoris molis) & jucundioris coloris in substantia sit; verum licet frumentaceum eo respectu tum fabaceo, tum Arabico inferius sit, decoctum tamen ejus vero seu Arabico similius i. e. salubrius est, nec aliqualis levitas pulveris decocti præstantiæ officere potest. Mayz, quod non ineptum putamus, quantum huic fini conducat, nondum experiendo didicimus. Quod eorum causa, qui inquilinorum amore ducuntur & rei familiari student, lubens communicare volui. De viribus modoque operandi multa dici possent, quæ, quoniam observationis necessitatem non habent, consulto omittuntur.

(*Gissa Augustam Vind. d. 25. Apr. A. 1714. missa*)

OBSER-

OBSERVATIO CLI.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De

Variis observatis in Boum contagio.

ANnis 1713. & 1714. in nostro Ferrariensi Ducatu Lues contagiosa Boum adeo exarsit, ut ultimum istorum animalium excidium minaretur; maximum erat damnum, maximus erat timor, ne ab hac animalium specie in alias animalium & hominum species transiret; memores illius Titi Livii in lib. 41. nempe *Consulibus eo difficilior erat, quod pestilentia, quæ priore anno in Boves ingruerat, eo verterat in hominum morbos &c.* Correpti enim boves cibum respuebant, aures subito collapsæ procidebant, pili erigebantur, tremor pene universalis aderat, oculi lachrimabant, per nares multa lymphæ copia exibat, alvus solvebatur, & in aliquibus pustulæ sub cute prodibant, ita ut crederent aliqui, variolis boves ipsos affici, tandemque brevi septem dierum spatio, magno cum cruciatu, ut ex mugitu apparebat, moriebantur. Hanc esse febrem malignam contagiosam, semper sum arbitratus, quia uno affecto, statim cæteri afficiebantur, & uno mortuo, fere omnes peribant. Et non tantum esse malignam, sed ardentem, manifestum esse ait Clariss. D. Nigrisolus noster, quia patiuntur Boves affecti intensum calorem, exhalando a naribus & ore halitum similem igni; ut fatentur mulo-medici, qui manum immissam sustinere haud potuere: præterquam, quod Boves affecti semper potarent, nunquam ad satietatem; causa igitur istius febris immediata est motus fermentativus præternaturalis humorum, ortus a particulis salino-acribus arsenicalibus, quæ in massam sanguinis derivatæ ipsius compagem alterant primo, inde solvunt; unde oritur Febris maligna, contagiosa, a dissolutione, & per consequens mortalissima, vel curatu difficillima. In horum cadaverum sectione, viscera re-

reperta sunt sana, præterquam, quod in aliquibus Omasum vidi pene sphacelatum. Nonnulli Rustici Boum mortuorum ex hac contagione carnes comederunt absque nocumento; Aliqui ex medicis credidere, particulas illas salino acres arsenicales cum aëre permixtas ingredi corpus horum Animalium; Alii ex pravo alimento derivatas putarunt; Multi ex humida, ac pluviosa tempestate ortas esse dixere; nonnullis placuit corporum cælestium influxum de hac pestilentia accusare. Ego autem puto, ex inundationibus, & intemperiebus elapsis, terram male fuisse dispositam, ac ut ita dicam ægrotantem, unde ex ea vapores maligni arsenicales elevati, in bovesque introducti febrem hanc pessimam excitarunt, quod suis temporibus etiam evenisse scribit Ammian. Marcellinus his verbis; *affirmant alii terrarum halitu densiore crassatum aëra emittendis corporum spiraminibus resistentem, necare nonnullos, qua causa animalia præter homines, cætera, jugiter prona Homero auctore, & experimentis deinceps multis cum tales incessunt labes, ante novimus interire.* (histor. lib. 19. §. 3.) Multa fuere experta remedia, omnia vero incassum. Antimonium crudum cum nitro ac sulphure exhibebant aliqui; Theriacam, ol. contra Pestem nostrum, contraiervam, absynthium, & terram sigillatam, multi Farinam hordei, Camphoram, spiritum vini, Scordium, C. C. & similia pluries repetita, Venæsectio etiam & setacea, frustranea fuere. Ego semper judicavi inutilia fore multa, & exotica experiri remedia, unde Seneca ait, *medicinam paucarum herbarum scientiam* esse: suadebam igitur usum graminis, sonchi, Cichor. Card. Sancti, & Scorzoneræ in decoctis exhibendis. Quæri posset, cur istæ particulæ salsæ & acres arsenicales solum sint Bovinæ speciei infensæ, & cur hæc pestis solum per contactum talia inficiat animalia? cui responderet Hippocrates: *differre corpus a corpore, naturam a natura, nutrimentum a nutrimento.* Vnde Lucretius cecinit:

Pro-

Propter dissimilem naturam, dissimilesque
Texturas inter se, primasque figuras.

Vtinam interim tale flagellum se sistat, ac nocendi finem imponat, ne perveniat

- - - - ad miseros damno graviore Colonos
Pestis, & in nostra dominetur mœnibus urbis.

OBSERVATIO CLII.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI,
De
Strabismo ex terrore.

ADolescentula annorum ætatis 14. cum mense Augusto An. 1713. rure esset, & sola penes arborem decumberet, vidit per herbas adrepentem anguem sibi vicinum, unde tanto terrore est correpta, ut senserit

Metu riguisse capillos,
Et gelidum subito frigore pectus erat,

ut verbis utar Poëtæ. Subito sic terrore perfusa, surgere volebat, non tamen, uti nec clamare poterat, sicque obstupuit, steteruntque comæ, vox faucibus hæsit. Ex hoc autem valido terrore strabismo fuit affecta in utroque oculo, convulsione nempe musculorum oculos moventium, quæ adhuc perdurat. Confer. exempla Amentiæ & Epilepsiæ ex terrore in Eph. nostr. Dec. 3. Ann. 9. obs. 57. & 67.

OBSERVATIO CLIII.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De

Vsu aquæ Villensis cum cibo.

AQuæ Villensis usum cum cibo nuper in erudita Lectione descripsit, ac publici juris fecit Clariss. D. Matth. Regali, Quæ mihi circa hoc observare contigit, candide proferam. Calculosus quidam Hetruscus a pluribus annis doloribus nephriticis vexabatur, qui sæpe usque ad orci fauces illum urgebant; tandem a vino prorsus abstinuit, atque pro potu per mensem aquam Villensem cum cibis potavit, & hoc remedio per duos annos immunis a nephritide evasit. Atque Sacerdotem etiam vidi quadragenarium, qui usu aquæ hujus cum cibo se liberavit a frequenti urinæ suppressione, quod remedii genus a quodam monacho Cistercienſi, olim Medicinæ Doctore se didicisse mihi retulit.

SCHOLIVM.

IN villa quadam amœnissima, a civitate Luca in Hetruria sedecim milliaribus distante, nobilem hanc aquam medicatam produci, atque in multas longinquas partes (Romam, Neapolin, Lugdunum) deferri, Andr. Baccius in opere de thermis, lib. 6. cap. 3. scribit, interque aquas ferratas eam collocat, cui tamen aluminosi quid admixtum sit; aquam ipsam claram, modice calidam, odore inculpabili, ac sapore ferratæ aquæ, & styptico esse, interque alias aperiendi virtutem obtinere insignem, & calculosis utilem esse recenset.

OBSER-

OBSERVATIO CLIV.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De

Dolore capitis periodico in narium hæmorrhagiam terminante.

VIduam Ferrarienſem, 33. annor. mariti mortem lachrymis acriter proſequentem, & quam præ dolore menſtrua defecerant, novi; quæ in plenilunio quovis menſe dolore capitis ſævo afficitur, qui tamen ſuperveniente narium hæmorrhagia ad plures uncias, iterum ceſſat. Similiter A. 1709. Juvenem Centenſem obſervavi, qui quovis menſe cephalæa cum vomitu lymphaticæ materiæ tentabatur, fruſtra multis propterea adhibitis medicamentis; qui tamen dolor ſuperveniente ſanguinis fluxu per nares evaneſcebat; & aliquando tam largiter effuſus eſt cruor, ut fere ad mortem redactus fuerit juvenis, fluxu tandem ope pilularum Helvetii ex alumine & ſanguine draconis conflatarum ſuppreſſo.

(*Ferraria Auguſtam Vind. d. 4. Aug. A. 1714. miſſæ*)

OBSERVATIO CLV.

Dn. D. SIGISMVNDI SCHMIEDERI.

Pyra florentia, & Roſæ duplices triplicesque.

IN medio Junii *Ann. M DCC XIII.* in prædio quodam *Cygnenſi*, quod vulgo *Ziroldenſe* dicitur, das Ziroldiſche Vorwerg/ Pyrus ſylveſtris, tanta fructuum copia abundans, ut ad iſtorum maturitatem, ramorum ruptura metueretur, omnes ſuos ad ingentem traduxit admirationem ſpectatores, ideo, quod omnes ejus ac ſinguli, etiam, quod præſertim notatu dignum, marcidi at-

atque ab insectis exesi fructus, pereleganter perfecteque in summitate iterum florere inciperent, adeo ut panno niveo obducta quasi videretur arbor. In *Eph. N. C. Obs. 239. p. 347. Dec. I. A. VI. & VII.* similis recensetur observatio, qua autem, nostra paulo adhuc notabilior videtur, quod etiam pyra flaccida ad defluvium prona, nec non ab insectis corrosa, flores emiserint perfectos. Adjungam his pyris florentibus adhuc aliam observationem parilem, quam in sua eleganti atque erudita *Maslographia, 1711. Bregæ* edita, Dominus *Leonhardus David Hermannus. p. m. 243.* adducit, ita se habentem. Rarer sind die blühenden Birnen / die *Tab. IV. Fig. 9.* gezeichnet sind/ und ich selbsten blühen sehen/ und zwar zu Schottau/ in Trebinzischen/ auf denen wilden Feld-Birn-Bäumen im Felde/ diese hatten schon längst verblühet/ und halb-reiffe Früchte/ auf der Frucht aber / oben am Gribisch (auf der Schnuppe) auf den Birnen stunden vier weisse Blättel/ wie sie sonsten zu blühen pflegen. Item in der Nähe zu Maulschütz / hat man 1708. Birnen gefunden/ welche oben/ wie die Quitten/ grosse ausgewachsene grüne Blätter gehabt. His pyris, folia & flores emittentibus, adhuc addere liceat, oblongum & monstrosum pyrum, in Horto Principis *Stutgardiæ 1644.* observatum, quod faciem humanam, oculis & naso præditum, retulit, cujus in summitate (Schnupfer) octo folia coronæ ad instar posita, conspecta fuerunt, e quorum medio duæ iterum frontes una cum floribus egressæ fuerunt, vid. *Eph. N. C. Dec. II. A. VI. Obs. 127. p. 264.* Sed nos in præsenti, circa hæc pyra curiosa non erimus solliciti; hinc ad nostra iterum veniemus, quantumque possibile videbimus, quænam causa nostris in pyris rursum produxerit flores. Multi multas hujus observationis causas adducere voluerunt, & quidem nonnulli naturales, nonnulli præternaturales. His autem rejectis & missis, non immerito iis suffragarmur, qui ex causa naturali, inprimis ex hujus anni nimia humiditate, flores hos novos deducere voluerunt. Notandum enim est, quod (1) ver dicti anni, admodum frigidum & inclemens, æstas vero, & ex parte autumnus, valde fuerint pluviosi, adeo, ut

haud

haud leve inde quoque frumenta passa fuerint damnum. Tempore enim isto, quo arbores florere incipiunt, grave & insolitum frigus, incrementum & productionem florum, non tantum retardavit, sed quoque permultas arborum gemmas corrupit, quem defectum humiditas copiosa, & huic nostræ & aliis arboribus, atque fructibus copiosus accedens succus nutritius, solum pingue, & interdum æstus solaris per aliquot dies concurrens, qui istum fortiter per arborum tubulos propulit, restaurarunt, novosque hos flores rursum produxerunt, & quidem probabiliter in his pyris, quod ista adhuc in juventute sua quasi constituta, multum succi nutritii adhuc opus habuerint, sicque aptiores quam arboris frondes, quæ flores copiosos vere jam emiserant, & duritiem ad novos flores emittendos ineptam, jam nactæ erant, ad horum novam productionem extiterint. Confirmant me hac in sententia multæ adhuc aliæ arbores & frutices, imprimis rosæ & pruni sylvestres (die Schlee-Dornen) quæ ultimæ adeo copiose mense Julii floruerunt, ut vestem suam nonnihil ex atro læte & grate virentem, copiosissime quasi argento distinctam exhiberent, elegansque sic omnibus ederent spectaculum. Imo, permulti in Botanicis non adeo versati, virentes atque simul eleganter florentes frutices hosce sibi oblatos, pro ignotis & peculiaribus habuerunt, quod inde autem eveniebat, quoniam pruni sylvestres secundum consuetas naturæ leges, flores suos primum, postmodum autem istis dejectis, folia proferant, quas autem nemo simul ita florere & virere viderat, nec quisquam hujus rei recordari poterat. In prunis sylvestribus autem hoc notabile erat, quod istæ tantum, quæ vernali tempore nondum floruerant, jam demum flores protruderent, illæ vero, quæ flores vere produxerant, nullos jam exhiberent. Ex quibus non obscure patet, nostram sententiam non adeo esse improbabilem. Num vero ista opinio, qua quis, secundum *Nehemiæ Grevv & Malpighii* hypothesin, qua futuri fœtus ideam, seu rudimenta & delineationem in semine & plantis jam delitescere statuitur, credit: ab abun-

dantia ſucci nutritii noſtræ arboris, fructuum novam floris ideam excitatam, & ad arboris fœtum una cum eo nunc fuiſſe delatam; ſuo heic gaudeat fundamento, alii hac in re perſpicaciores judicent. Quod ad ſignificationem, quam quidam ſuperſtitioſi vel calamitoſam vel bonam inde exſculpere voluerunt, attinet, non eſt ut verba de iſta faciamus, cum nullo fundamento niratur, experientiaque poſtmodum & alio tempore docuerit, nec lethiferam, nec ullam aliam calamitoſam tempeſtatem, pyra hæc florentia fuiſſe inſecutam. Roſas duplices & triplices quod concernit, bina iſtarum exemplaria, eodem Anno menſe Auguſti, Cygneæ, in horto quodam obſervata fuerunt, (Conferantur etiam obſ. 55. & 94. Eph. N. C. Dec. I. A. IV.) Eadem fere ratio de harum proventu dari poteſt, hinc quoque non diutius huic immorabimur materiæ. Petimus interim peramanter, ut, ſi quis ſolidiores & probabiliores de his hactenus dictis habeat rationes, eas in medium ut proferat, ſic enim & ego & alii ipſi majorem in modum erimus devincti, habebimusque, de quo nobis imposterum impenſe gratulari poterimus.

OBSERVATIO CLVI.

Dn. D. SIGISMVNDI SCHMIEDERI.

De

Stupenda & deteſtanda Puellæ cujusdam Salacitate.

PVella nondum trium annorum ſpatium emenſa, in terram & pavimentum ſæpius ſe pronam non tantum conjiciens, ſed & ſtans, ſedens, ſellis, earumque partibus imprimis acutis innitens, totum corpus movet & agitat, ad modum viri cum uxore conſuescentis. Parentes hoc videntes, non ſtatim, quid ſibi hæ filiolæ agitationes velint, intelligunt, habent autem pro geſticulationibus infantis luſoriis, mox tamen non ſine gravi animi commotione, filiolæ cupiditatem pravam percipiunt. Quo igi-

tur

tur huic malo in tempore remedium inveniant, ſedulo operam dant, ut pravam hanc deleant conſuetudinem. Hinc cum multis modis, blandis nunc verbis, eam nunc dehortando, nunc increpando, nunc caſtigando & in pudorem eam conjiciendo, corrigere, affectumque peſſimum eradicare laborant, verum irrito ſemper ſucceſſu. Adoleſcente enim filia, malum quoque adoleſcebat, & quidem adeo, ut, quam ſæpiſſime, menſæ accumbens, in aliorum conſortio vivens, in templo ſedens gratumque objectum videns, non ſine parentum mœrore & pudore, ex improviſo, geſticulationes haſce obſcœnas & laſcivas, cum notabili ex genitalibus tunc temporis liquoris ſtillantis copia, inciperet, aliaque adultior facta, ad veſanam libidinem exercendam explendamque media atque inſtrumenta quæreret. Ad parentum amicorumque quæſita, quidnam tempore hoc paroxyſmi ♀rei cogitaret &c. vel nihil reſpondet, vel dum effari quædam incipit, media in voce reſiſtit & vox faucibus hæret, quaſi jam muta ſit facta. Aliis interdum ſponte ſua refert, incredibili ſe perfundi voluptate illo tempore, adeo, ut fere & viſus & auditus ipſi quaſi effugere viderentur. Ob continuas equidem parentum increpationes & comminationes, aliquo modo ab hoc malo in iſtorum præſentia, præſertim cum ambo in eam intenti eſſent, non tamen ſine faciei & nativi coloris mutatione, deſiſtere viſa eſt; ceterum autem ſolitudinem anxie quæſivit, ibique cupiditatibus hiſce pravis & inſatiabilibus ita indulſit, ut ſæpiſſime maxime defatigata ſomnoque correpta fuerit inventa. Cum itaque nullo modo inſanæ libidinis ſtimulus extingui & eradicari potuerit, in auxilium Medicus fuit vocatus, ſed irrito quoque ſemper ſucceſſu. Tandem operam navarunt parentes & cognati, ut filia decimum ſextum nunc ingreſſa annum, cuidam elocaretur, num forte conjugium hanc libidinem ſit extincturum. Contrahitur cum quodam (forte ſimplici) matrimonium, virum patitur, concipit & gravida fit, remanente nihilominus antiquo veſanæ libidinis affectu, & perpetuo absque ulla ſatietate cum viro congrediendi (maxima licet cum utrorumque virium proſtratione) deſiderio, ut de iſta com-

commode idem dici queat, quod *Juvenal. Satyr.* 6. de Messalina scribit:

Et lassata (viris) viro, nondum satiata recessit.

Tandem primipara, partu difficili extincta fuit, inque ejus pudendis Clitoris, κλειδορὶς, *Hesychio* ὀισρὸς, ἀφροδισιῶν πύρωσις, ἔγκαυσις dicta, insigni magnitudine prædita fuit inventa, & tanta quidem, ut fere virum fuerit mentita *prodigiosa Venus.* Notabile est, quod tempore vernali ad festum usque Joh. Baptistæ, maxima hæc fuerit salacitas, & quod hoc tempore omnium cum nausea Hircum oluerit, urinamque serum lactis imo faciem lactis exhibentem, emiserit, Casum hunc bona mihi fide non tandum mulier honestæ conditionis jam vidua, & demortuæ hujus noverca detexit, sed & alii simul mihi retulerunt: Parentes ejus adeo fuisse salaces, ut irruente in eos Paroxysmo venereo, in horto, horreo, hypocausto, verbo: iisdem in locis, ubi tunc temporis steterint vel sederint, statim congressum celebraverint, Vnde satis clare patet, salacitatem hanc stupendam fuisse hæreditariam. Si Theologice jam hunc considerare vellemus casum, amplissimum heic exspatiandi haberemus campum, quem laborem vero, cum jam tempus nobis haud supperat, Theologis relinquemus.

OBSER-

OBSERVATIO CLVII.

Dn. D. SIGISMVNDI SCHMIEDERI.

De

Filamentis meteoricis, tempore vernali & autumnali volitantibus, vulgo divæ Virginis, Germ. Jungfer-Garn / Sommer.

QVid per Filamenta hæc Beat. Virginis, quæ rectius meteorica vocantur, intelligatur, absque ullo inutili verborum circuitu, nunc videbimus. Ad nomen igitur quod attinet, meteoron hoc, filorum ideo gerit nomen, quod per aëra nunc copiosius, nunc parcius volans, istorum faciem referat, Beatæ Virginis vero cognomine cur condecorata fuerint, unicuique non statim constat. Sed liber Germanicus in celeberrima *Bibliotheca Jenensi*, pervetustus, titulo carens, ac a blattis & tineis valde perforatus, casu me id aliquando edocuit, ubi inter alia inveni, ideo Beatæ Virginis cognomen huic meteoro fuisse impositum, weil es Reliquien von dem Tuche der Jungfer Mariä wären/ so sie in ihren Grabe umgehabt hätte. Denn nachdem sie von den Todten auferstanden/ und gen Himmel gefahren/ hätte sie solches/ wie Elias seinen Mantel/ in der Lufft fallen lassen/ welches wegen der grossen Höhe/ die Winde ergriffen/ und in unzählig kleine Fäden zerrissen hätten/ welche nun heut zu Tage in perpetuam ejus atque sanctam memoriam, des Jahres zweymal in der Welt herum flögen/ und sich sehen liesen. Sed valeat hæc traditio. Nos rectius fila hæc meteorica vocamus, cum ex vaporibus & exhalationibus, e terræ sinu egredientibus in sublimi generentur, atque ex isto in terram iterum descendant. Germani vocant ista, den Sommer/ dubio procul, quod, vere, ὅτι ἐγγὺς ἐστὶ τὸ θέρος & autumno, quando iterum ἡ θερμὴ ἐλαχὺς γίνεται, conspiciantur, hinc vulgus ait: Der Sommer kömmt wieder / nun wird es wie-

wieder warm werden/ it. Der Sommer ziehet weg/ nun wird es kalt werden. Appellantur etiam Jungfer-Garn/ aut a traditione superius adducta, aut, quod vero similius mihi videtur, a teneritate, nitore, wegen der Zärtlichkeit und Reinlichkeit. Omne enim id, quod incorruptum, purum, subtile & adhuc intactum est, *Virginis* nomine insignitur. Sic *Cic. in Oratore, c. 19.* Charta Virginea, Terra Virginea, zartes und unbeflecktes/ reines Papier/ zarte und noch ungebrauchte Erde/ die noch nicht umgegraben/ darein noch nichts gesäet worden ist. Sic *Plinius Virga saliva*, nüchterner Speichel. *Grut. in oper. Inscript. p. 1139. n. 12.* Inscriptionem affert, ubi eodem sensu adhibitam legimus *Virginis* vocem, quæ ita se habet: *M. Aurel. Domitianus vivus emit & comparavit locum VIRGINEM.* i. e. locum ab alio nondum possessum. Græci eodem modo loquuntur, sic *Philoni Byzantino* γῆ παρθένιος, est terra intacta, nondum fossa, cujus divitiæ adhuc sunt intactæ. Sed hæc hac occasione ὡς ἐν παρόδῳ. Ad quod meteororum genus nostra pertineant filamenta, in præsenti non multum morabor, lippis enim atque tonsoribus notum est, ista non ad emphatica, sed hypostatica pertinere, cum non tantum videri, sed etiam manibus tractari & palpari queant. Sic quoque non longus in eo ero, quod anxie multi disquirunt, num sint meteoron aëreum, aut terreum, aut aqueum; si ad eorum, ex qua generantur, materiam attendere velimus, primario ad terreorum referri videtur classem, ut ex infra dicendis plenius constabit. Quod ad tempus attinet, quo conspectui nostro sese exhibent, istud, ut omnes inter constat, sunt ver & autumnus, nec tamen quævis istorum dies, nobis ista sistunt, sed nebulosi, mox autem sereni, & amœni ac quieti, minime vero turbulenti & ventosi. Vnde vero istorum proveniat materia, paucis jam monitum fuit, nempe ex terra. Hinc neutiquam iis assensum præbere possumus, qui ab astris eam deducunt, eorumque excrementum vocant, quod subtile venenum astrale ein Astralisches

Gifft/

Gifft/ ſecum gerat, cum experientia doceat, pecudes in copioſa horum filorum volitatione, ab iis una cum gramine deglutitis, interire. Licet nunc ultimum hoc aſſertum non negaverim, primum tamen, ut credam, adduci non poſſum, cum nondum ſit evictum, ſyderum effluvia globi noſtri terraquei athmoſphæram ingredi, *partim*, ob immenſum ſpatium ea inter atque noſtram terram interjectum, quod & *Cicero L. 11. de divinat. p. m. 1228. edit. Schrevel.* cognovit, quando dixit: *Quæ poteſt contagio ex infinito pene intervallo pertinere vel ad lunam, vel potius ad terram? partim* etiam, ob canonis Phyſici perpetuam veritatem: omnia gravia tendere & relabi verſus ſuum centrum. Cum autem omnia effluvia cujuscunque ſint generis, ſive ſint cœleſtia ſive terreſtria, & quam ſubtiliſſima etiam concipiantur, gravitate quadam polleant, (non datur enim leve corpus, niſi reſpectu alterius) corpora ſua habeant pro centris, & ad iſta iterum tendant, neceſſe eſt, alias extra centrum caderent, quod vero non fit, nec fieri poteſt, uti unumquemque Phyſicæ & Matheſeos doctrinæ peritum, latere non poteſt. Poſſent æque bene ad ſidera noſtræ telluris effluvia ferri, ſi iſtorum exhalationes ad terram noſtram deportarentur, ſed cum prius fieri non queat, poſterius quoque fieri nequit, rationem reddit *Caſp. Schottus in Technica curioſa L. IV. C. III. p. m. 225. 226.* dicens: *Si forte violenter aſcenderint effluvia, relabentur tamen deorſum* (1.) *quia centrum omnium ſublunarium* (*ad quæ etiam pertinent exhalationes terreſtres*) *eſt centrum terræ, centrum autem exhalationum Lunarium luna, & reliquorum planetarum ipſorum corpora,* (2) *quia æther a Lunæ concavo ſurſum eſt leviſſimus, nec aptus ut exhalationes terreſtres ſuſtentet, ideoque hoc vel non aſcendunt eo usque, vel ſi violenter illuc fuere detruſæ, pondere & inclinatione naturali relabuntur ac deorſum verſus terram, tanquam ſuum centrum, iterum tendunt.* vid. plur. in diſſ. mea *de Aſtrol. Judiciaria p. 60. ſeqq.* Alii, quos inter etiam eſt Dn. *Lic Garmannus* in *Eph. N. C. Dec. 1. A. 11. Obſerv. 120. p. m. 278.* horum filamentorum ortum ab araneis deducunt, ſed admo-

modum infirmis argumentis, obſervatur enim ſæpius tanta filorum copia, ut, ſi etiam integrum ſenſibilis cujusdam Horizontis ſpatium araneis hiſce textoribus repletum eſſet, tamen ad tantam eorum copiam texendam haud ſufficerent. Et licet nobis objiciatur, ſæpius in hiſce filamentis inveniri araneas, inde tamen probari non poteſt, quod ideo quoque eorum ſint textores, cum quilibet perfacile videat, multis modis araneas, muſcas, aliaque inſecta, ut ſæpius videmus, hiſce implicari poſſe filamentis. Præterea adhuc aliæ ſubſunt rationes, opinionem hanc infringentes. Majori enim (1.) in copia ſuperius quam inferius inveniuntur, (2) non a terra aſcendunt, ſed ex aëre deſcendunt, (3) Aranearum filamentis hæc longe tenuiora ac puriora obſervantur, (4) non niſi cœlo ſudo & nebulis, præcipue denſis diſcuſſis, oboriuntur, cum bombyces & araneæ non minus diebus turbidis texant. (5) Horis matutinis non facile, ſed circa meridiem & horis pomeridianis copioſe conſpectui noſtro ſeſe exhibent. (6) non perdurant usque alteram in diem, quod aranearum, erucarum & bombycum fila contra faciunt. (7) A vento vehementiori flante aranearum telæ de ſuo non facile moventur loco, hæc vero hinc inde volitant, nullo etiam vento ſpirante. (8) Tandem in longitudinem triplo plus ſe extendunt filamenta noſtra quam aranearum. Has nunc ob rationes neceſſe eſt, aliunde ut conquiramus eorum ortum, quem dubio ſine, ut ſupra jam monitum fuit, ex terra & quidem minerali, fœcunda omnium fere meteororum matre, habent. Conſtat enim, noſtra fila magis ex materia minerali, quam terreſtri, proxime ad florum *Zinci* faciem accedente, eſſe compoſita. Quando enim hoc metallum, cum debita *Nitri* quantitate crucibulo injicitur & accenditur, brevi poſt in laboratorio non pauca ejusmodi filorum & floccorum apparet quantitas. Quanquam vero nobis objici queat, magnam ignis ad productionem florum *Zinci* vim requiri, cum tamen in terra talis non unquam obſervetur, facile tamen reſpondemus, quod particulæ hæ non ex tam ſolido concreto, quale *Bismuthum* eſt, egrediantur, ſed in terra atque mineris diſperſæ la-

lateant, ad quarum expulsionem moderatus tantum calor sufficit. Accedit porro ut credam, filamenta ex hac constare materia, quod semper in locis montosis, & ubi metalli fodinæ reperiuntur, copiosius quam in locis planioribus, inveniantur, & volitare observentur. Imo nocumentum, quod inde pecudes ab iis una cum gramine devoratis sentiunt, argumenti loco nobis etiam esse potest, cum flores *Zinci* nonnihil *Arsenici* sibi habeant admixtum. Interim non asseram, quod tantum ex hac composita sint materia, sed credo, quod & una cum aliis particulis viscidis in aëre a sole exiccatis sint maritata. Modum & locum generationis quod concernit, credibile est ex circumstantiis hactenus adductis, & rationi sanæ consentaneum, particulas has ex terra una cum humoribus non a vi ignis cujusdam subterranei, ut quidam somniant, sed partim ab aëre & calore solari, qui in terram se insinuarunt, partim a motu fermentativo, quem varii generis particulæ in terræ sinu concurrentes excitant, expelli & in auram evehi, ubi vaporibus humidis a sole dissipatis, reliqua materia a leniori aura agitata, in ejusmodi concrescit filamenta, & postmodum ex alto descendens, in oculos nostros incurrit. Quod vero nec æstivo tempore, nec hiemali, ut supra dictum fuit, conspiciantur, inde est, quod a nimio radiorum solarium æstu, in suo e terra egressu una cum vaporibus humidis hæc materia statim dissipetur, resolvatur, & exuratur, hieme vero, isti vel parcus, vel nullus concedatur egressus, &, si etiam ipsi concedatur, ob caloris tamen debiti defectum, materia hæc sufficienter ita exsiccari & præparari nequeat. Ut tempestatem ut plurimum tunc temporis turbidam, ad ejusmodi filorum generationem ineptam, taceam. *Prius* autem satis clare, quando generationis eorum tempus appropinquat, inde videmus, quod, remittente jam calore solari, notabiliter autem eo adhuc terram premente, *primum* sub tenuissimarum aranearum texturarum forma, in agris & pratis sub conspectum veniant, & tamdiu in eadem compareant, donec commodo & apto generationis tempore nunc advento, sub paulo solidiori consistentia & filamento-

rum forma, per aêrem volitare incipiant. *Posterius*, per seliquet, hinc non diutius isti inhærebimus, sed discursui nostro nunc finem imponemus.

OBSERVATIO CLVIII.

Dn. D. GERARDI ARNOLDI de VINCQVEDES.

Cura gravium in faucibus ulcerum.

PRopter transspirationem capitis impeditam catarrhos oriri, consequenter tonsillas utplurimum & uvulas inflammari, cum tumore, rubore & deglutiendi difficultate, a sanguinis & lymphæ circulatione præpedita, in confesso est; unde tandem fermentatione socia accessuque aëris peregrini ibidem locorum pus generatur, aptum natum pro sui acrimonia disrumpere non solum vasa lymphatica, verum etiam sanguinea iisdem vicina, neque adeo facile consolidationem admittentia ratione aëris inspirandi, præterquam quod lympha sanguisque illas partes præterluendo absorbeat continuo aliquantulum illius materiæ acris ulcerosæ, sicque integram œconomiam animalem pervertat, sitq; in causa, quo minus partes affectæ refici queant, hinc mente volvendo & revolvendo sæpe sæpius deveni in notitiam cujusdam compositi, quo malum hoc corrigatur, præveniatur, nec non in integrum consolidetur, methodoque subsequenti laudabiliter, idque iteratis vicibus pendente praxi effectum consecutus fui. Præ cæteris circa juvenem sedecim annorum circiter, cui res erat angusta domi, & per catarrhum neglectum uvula in totum uti & tonsillæ maximam partem erant absumptæ, eousque ut loquela ferme privaretur, alimentumque non nisi liquidum, idque satis paucum deglutiendi esset libertas, cætera per os & nares ejicere coactus, ita & satis cessisset brevi, nisi opitluatum fuisset ei, id quod methodo sequenti aggressus fui: Rec. mechioœanæ grosso

mo-

modo contusæ ʒiſs. infundendo 24. horis in vini albi meracioris ʒiiiſs. hinc fortiter exprimendo, adde Syr. rosar. comp. ʒiſs. M. sumatque jejuno ventriculo; unde alvum deposuit cum euphoria. Die sequenti & per integrum octiduum hausit decocti subsequentis ad ʒiiij idque quater de die: ℞. rasuræ ligni guajaci ʒiij. salsæparill. ʒiiij. putamin. nucum jugland. ficc. & subtilissime pulverisator. ʒvj. antimon. crud. pulveris. & in nodulo ligati ʒiiij. glycyr. rasæ ʒij. coq. simul in aq. cæleſt. ℔xxxxv. ad remanentiam tertiæ partis in olla nova vitreata igne leni, deinde colando servetur pro usu dicto. Remanentiæ vero affunde denuo parilem aquæ quantitatem, coque ut supra; quo secundo decocto usus fuit pro potu ordinario. Vtrumque vero ubi opus erat reiterandum. Singulo autem octiduo eundem purgavi potione prædicta, iisque medicamentis usus fuit per sex septimanas, sicque integre convaluit. Eodem etiam tempore exulare feci omne symposium cerevisiarium atque vinosum, salsa & salsomuriatica, acida & acria quævis, pariterque usum panis secalini ob acidam qua gaudet qualitatem; econtra juscula juniorum animantium, maxime vero eorundem extremitates ejus pastui annumerare non inconsultum duxi, quæ ne quidem ad satietatem concessi; quibus rite observatis, optatus curationis scopus impetratus fuit. Pannifex quidam quintum supra quadragesimum annum nactus, eodem quo supra affectu tactus, post varia incassum per Medicos & medicastros administrata remedia, tandem opem nostram imploravit, cui præter decoctum in superiori casu memoratum, majorique quantitate sumendum, porrexi singulo octiduo pilulas spadanas num. VII. pondere ʒiiij. Postquam vero morbum superasse videbatur, contigit ipsum incidere in comma somnolentum; unde per enemata appropriata injecta, medicamina varia tum aperitiva tum sudorifica, eaque volatilia hic hostis oppugnatus & expugnatus fuit, remanente nihilominus aliquantulo ulceris tonsillarum, cujus in totum subjugandi ergo decoctum reiterari jussi, cum binis indies pulveribus, mane & vesperi cum eodem decocto sumendis, nempe ℞. cretæ ʒiij. lapid-

cancr. ʒß. coral. rub. præp. ʒij. antim. diaphor. corn. cervi phil. præp. aa ʒiß. M. f. pulvis in dos. num. XVI. dividendus. Post quorum usum utrique vitæ insidiatori valedixit, observato tamen legitimo vitæ regimine.

(*St. Hubert. August. Vind. d. 21. Octobr. A. 1714. missa*)

OBSERVATIO CLIX.

Dn. D. CONRADI BARTHOLDI BEHRENS,
De
Gemellis.

Occasione duorum gemellorum apud nos in vicinia degentium, similitudine corporis & vultus adeo exacta, ut non nisi a gnarissimis discerni queant, ac sanitate utriusque jam ad vigesimum, quem modo habent, annum integra, nisi quod altero interdum male se habente, alter quoque conqueratur, de materia hac paulo prolixius agere institui.

Accidit vero generatio gemellorum, si vel in cella una ovum fœcundatum geminatum hæreat, seu duplex in ovo concretus a natura orbiculus reperiatur, uti *Illust. Dn. Præses Schröckius Schol. ad Helvvigii obs. p. 39.* statuit, haud secus ac in gallinarum ovis duplex vitellus existit. Vel quoque duo pluraque ovula uno congressu fœcundentur, quod *Waldschmidius Oper. Tom. 2. p. 295.* vult, uti bruta marem vel semel admittentia frequentissime gemellos pariunt. Hinc quoque trigeminorum fœtuum partus succedit juxta *Elsholzium in Miscellan. Nostr. Dec. 1. Ann. 6. Obs. 198.* ac *Drelincourtium tr. de concept. periocha 19.* Imo quatuor uno partu editorum, magnitudine tamen solito minori, nec diu vivacium, ex observatione *Helvvigii num. 144. Hagedornii, centur. 3. histor. 8. Schröckii Senioris Misc. Dec. 2. Ann. 2. obs. 9. Franckenavii Misc.*

Dec.

Dec. 2. Ann. 3. Obſ. 201. Lovvii Miſc. Dec. 3. Ann. 5. Obſ. 157. Et quinque infantum experientia *Clauderi, Miſc. Dec. 2. Ann. 4. obſ. 151. Lanzoni Miſc. Dec. 2. Ann. 9. obſ. 50. & Dec. 3. ann. 4. obſ. 76.* & *Schvvalleri Miſcell. Dec. 3. Ann. 2. obſ. 175.* Plura partuum numeroſorum exempla congeſſerunt *Jonſtonus Thaumatogr. pag. 539. Schenckius l. 4. obſ. p. 141. Frankenavius Addit. ad Zacchiam l. 1. p. 77.* & *obſervationes Hiſtoricæ Hamburgenſes anni 1705. p. 104.* quæ tamen ordinariis naturæ legibus contrariari videntur, atque vel ad imaginationem matris gravidæ vel ad cauſas ſupernaturales referenda. Hujus generis famoſus ille partus Comitiſſæ Hollandicæ eſt, cujus veritatem in *Miſcell. Dec. 3. Ann. 7. obſ. 216.* aſſerui.

Dixi duo plurave ovula uno congreſſu fœcundata gemellos reddere, quod ſi tamen plures eademque nocte reiteratos congreſſus, aut uno congreſſu ſemen bis ejaculatum cum *Zacchia conſil. 66.* hic advocemus, uti efficaciam hujus hiſtoria gemellorum a vacca editorum apud *Bierlingium Theſaur. pract. p. 906.* probat, dubium non eſt, ovula diverſis vicibus fœcundata gemellos producere.

Etiam a parte matris organicam partium ejusdem uterinarum conformationem interdum concurrere, inde patet, quod mulieribus quibusdam gemellos pluries parere conſuetum ſit, quod exemplis apud *Hagedornium cent. 3. obſ. 7.* & *Franckenavium add. ad Zacch. l. 1. p. 77.* probatum eſt.

Connaſcentia gemellorum a colliſione eorundem in utero non eſt, ut *Ill. Præſes noſter Schol. ad Helvvig. p. 40.* docet, cum tam vehemens & violenta colliſio absque præſenti vitæ diſpendio poſſibilis non ſit, ſed potius ex amniis gemellorum diſruptis, aut a principio forte non bene diſtinctis, uti *Dimerbrockius Anat. p. 198.* obſervat, lacteo ſcilicet humore effuſo, adeoque fœtibus blande ſibi mutuo approximantibus, & propter viſciditatem, qua ordinario pollent, in continuitatem ejusmodi concreſcentibus, quam *Excellentiſſimus Ettmüllerus junior in Novis Liter.*

Hamb. ann. 708. p. 31. hic addit. Historiam fratrum Colloretorum, sub pectore connatorum cum icone genuino, aliaque ejus generis sistunt *Helvvichius* in *obs.* & *Illustris Præses in Scholiis p. 44.*

Gemellorum gestationem ullo signo colligi posse vix probabile quibusdam est, si quis tamen signa ejusmodi per syndromen & artificiose congerat, ad imitationem *Pachequi* in *Riverii observ. communic. p. 343.* omnino certi quippiam concludi posse arbitror. Alias tumor abdominis, quem quidam hic arguunt, aliquando major est in simplici fœtu, ut *Hartmannus in Misc. Nostr. Dec. 3. Ann. 9. obs. 102.* sectione deprehendit, a flatibus, aquis abundantibus, vel mola grandiori, quam in gemellis aut fœtu etiam tergemino apud *Riedlinum Lin. ann. 3. p. 569.* Motuum quoque diversitas, qualem colliforium in utero sensit Rebecca, *Genes. XXV. v. 22.* non raro ex uno embryone tanta est, ut quispiam gemellos utero claudi juraret. Et in his ipsis motus interdum longe tardius, quam unquam antea percipitur, & non raro ultimis mensibus adeo exilis observatus est, quia gemellis arctius inter se connexis, locus pro motu deficit, ut pro simplici fœtu vix sufficiens videatur, *Bartholin. tract. de Insol. part. viis p. 208. Riedlinus Lin. Ann. 3. p. 665. & Ann. 6. p. 873. Pachequus obs. 45.* Nec gemellos indicat linea externa medium abdomen dividens. *Bartholinus cent. IV. Ep. 31.* nec tibiæ pedesque ultimis mensibus inflati, idque cum motu fœtus exili, cum tibiarum inflatio in unius etiam fœtus gestatione existat. Nec forte fluor albus gravidas infestans, *Ettmüller. Tom. II. Op. p. 1035.* Nec forte etiam varices utrumque pedem occupantes cum tumore utriusque non exiguo, *Riedlinus Lin. Ann. 3. p. 666.* ut proin accurato in his distinguendis & coaptandis judicio opus fuerit.

Singuli gemelli suum chorion amniumque habent, & in hoc distinctum humorem lacteum. An vero singuli quoque placentam suam uterinam habeant, non eadem apud Autores opinio est, & tamen omnes autopsia nituntur. Affirmativam tenent

Graaf.

Graaffius de mulier. Organ. p. 291. Kirn Miſcell. Noſtr. Dec. 1. Ann. 1. obſ. 39. Harderus Miſcell. Dec. 2. Ann. 2. obſ. 185. Pechlinus. obſ. p. 79. Lovvius Miſc. Dec. 3. Ann. 5. obſ. 157. quibus & exemplum haud ita pridem apud nos in gemellorum partu ſuffragabatur. Contrarium vero obſervarunt *Riedlinus Lin. Ann. 1. p. 442. & Ann. 3. p. 666. Beslerus hiſtor. part. trigemin. p. 23. Bartholinus cent. 3. Ep. 62. Schröckius Senior Miſc. Noſtr. Dec. 1. Ann. 9. obſ. 162. & Dec. 2. Ann. 2. obſ. 9. Moricæus de morb. grav. p. 269. & Zacchias conſult. 66.* qui non ſolum in gemellis, ſed etiam in tribus quatuorve fœtibus uno partu editis unam placentam deprehenderunt. Niſi igitur, quod *Rommelius in Miſc. Dec. 3. Ann. 7. obſ. 45.* ſuppeditat, naturæ hic quendam luſum agnoſcamus, neceſſe eſt cuilibet gemello, ſive ſint unius ſive diverſi ſexus, modo non diverſo congreſſu concepti fuerint, propria placenta aſſignetur, quæ ſi gemellis naſcentibus nihilominus una appareat, non per genuinam partium continuationem, ſed per quandam contiguitatem & mutuam adnaſcentiam talis eſt. *Warthonus adenograph. p. 238.* Nam lineæ ſeu notæ conſpicuæ, quarum mentionem citatorum autorum obſervationes pro placentæ unitate faciunt, utramque partem placentæ diſterminantes, ita eas dividunt, ut unius medietas uni funiculo umbilicali, & alterius alteri interdum evidenter ſit appropriata. Facile autem in initio concreſcere potuerunt. Perinde igitur erit, ſive gemellis duas placentas, ſive unam hoc modo diviſam aſſignes, quamvis iis ex ovo uno, duplici tamen vitello conſtante ortis una placenta recte tribuatur.

Ex gemellis autem alter non ſemper moritur, ſed interdum uterque quamvis diſparis ſexus, ſecus ac *Ariſtoteles l. 4. Gener. anim. c. 6.* arbitratur, ad longum tempus incolumis vivit, & modo alteruter modo uterque fœcundus eſt. *Zacchias conſult. 76. Bierlingius Theſ. pract. p. 907.* Plane mirabilis eſt animorum in iisdem & corporis ſimilitudo, dum non ſolum vix diſcerni invicem queant, quod ſub initium de noſtris quoque gemellis innui, iisdemque morbis ſubjiciantur, *Riedlinus Lin. Ann. 6. p. 1074.*

ſed

sed & in duabus sororibus conjugialis harmonia ejusmodi exstiterit; ut altera sororis sponso externis licitisque amatoriis ceremoniis pari semper modo obviam iverit. *Clauderus Miscell. Nostr. Dec. 2. Ann. 7. obs. 175. Act. Lipsi. ann. 699. p. 328. Riedlinus Lin. ann. 6. p. 1074.* Gemellos capillivoros cum maxima animorum & faciei similitudine sistit *Wurffbeinius*, heu quondam Noster, *Miscell. Dec. 3. Ann. 5. obs. 307.* Quod vero *Borellus cent. 2. obs. p. 189.* ceu singulare quippiam de duabus gemellis adducit, quæ uno eodemque die, virisque eandem artem professis conjugio junctæ fuerint, singulare non est, & ex accidenti contingere potuit.

(*Hildesheimio Augustam Vind. d. 22. Octobr. A. 1714. missa.*)

OBSERVATIO CLX.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII VOLKAMERI,

De

Caryophyllo spicam frumenti referente.

CAryophyllus Hortensis apud Botanaphilos Διὸς ἄνθος vocatur:

Jove *natus flos, & proles*, Jove *digna parente.*

Quamvis valde dubitem, an Græcis Romanisve fuerit cognitus. Chorum tamen certe inter coronarios ducit flores. In officinis nostris Pharmacevticis flores Tunicæ dicuntur, cujus rationem suppeditavit Coulejus Anglorum Gloria Poëtarum, Caryophyllum loquentem introducens, ejusque extollens colorum varietates odorisque fragrantiam;

- - - - Indutum semper eadem
Pauperis est incedere veste.

Ipsa

Obser: CLX.

Fig. I.



ad Appendic: p: 133

Fig: II.

Ipſa mihi ternis Tunicis *vel forte* quaternis
Nec Roſa dives habebitur unquam.
Dicenda eſt opulenta Anemone, opulentaque Tulipa eſt
Et ſeſe utraque veſtit honeſte:
Sed mea vel tales opulentia vincit utrasque,
Et Cræſus *vocor ipſe* colorum.
Nec mihi dulcis odor, tanquam bona fama, recuſat
Tantorum comes eſſe bonorum.

Cognominum, quibus Caryophyllorum varietas inſignitur, catalogum facile quis apud illos obtinebit, qui culturæ florum horum incumbunt, cum jam ad Hortulanos noſtros arvales devenerint Caryophyllorum deliciæ. Hæc tamen, quam hic exhibeo ſpecies, illorum adhuc ſe ſubduxit manibus impuris, rariſſimis certe accenſenda. Obtinuit hanc Germania noſtra e Chriſtianiſſimi Regis Horto, pretio equidem ſtupendo luctuoſoque. Cum enim Gallici militis violentia extortas e Ducatu Würtenbergenſi bellicas exactiones regiis Galliarum Monarchæ gazis inferre cogeret; Vir generis ſplendore, munerum dignitate & meritorum magnitudine perilluſtris, a Sereniſſimo Principe illuc ad deductionem hujus coactionis argentariæ (ut a Svetonio olim vocabatur) miſſus, rariorem hanc Caryophyllorum ſpeciem munificentia Regia, Germaniæ noſtræ intulit, hocque flore rariſſimo me, apud quem memorem ſtat gratia facti, benevole beavit.

Differt autem quoad foliaceam ſubſtantiam parum ab aliis Caryophyllis, calycis tamen cylindracei oblongi lævis quinquefidi loco ſpicæ apparent frumenti analogæ, e quarum ſummitatibus, non tamen omnibus, calix demum erumpit caryophylli flore gravidus, triplici colorum vernans varietate, fragrantiſſimi inſuper odoris, ut hinc Poëtæ illud in ſpicatum iſtum Caryophyllum optime quadret:

- nunc nomen aromatis calentis
Flos quondam Jovis, obtinens & omnis
Dives copia ſuaveolentis Anni,
Cunctarumque potens amœnitatum.

(*Noriberga Auguſtam Vind. d. 19. Octobr. A. 1714. miſſa.*)

OBSERVATIO CLXI.

Dn. D. SIGISMVNDI SCHMIEDERI.

Calculus ingens a muliere excluſus.

MVlier ruſtica, in Pago Borniz prope Oſſitium 36. ni fallor annorum, ſanguinei & laxioris habitus, veſicæ Calculo vexabatur, adeo magno, ut non tantum graviſſima inde paterentur ſymptomata, ſed etiam mors inſtare videretur. En autem! cum omnes quoad eventum mali, ancipites eſſent, ægraque nunc in Charontis cymba ſtare, ejusque ſolutionem expectare adpareret momentaneam, præter omnem ſpem atque opinionem, magna cum vi, Calculus inſignis (cujus figuram delineatam, una cum magnitudine naturali & pondere adjecto, heic ſiſtere L. B. volui) protrudebatur, **nicht anders/ als wenn er geſchnellet würde/** cujus poſt excluſionem, ægra vires iterum colligere incipiebat, tandemque priſtinæ ſanitati, cum Deo, remediis congruis adhibitis, iterum reſtituebatur. Ex hac obſervatione liquet, facilius ſexum ſequiorem, ob viarum brevitatem excernere poſſe calculos, quam potiorem.

OBSERVATIO CLXII.

Dn. D. HIERONYMI LAVBII.

Paracenteſis abdominis ſæpe reiterata.

A. 1713. ſub finem menſis Aprilis imploravit opem meam muliercula, Tumorem abdominis prægrandem monſtrans hydropicum, ac paracenteſin deſiderans, quam Lubecæ & Altonaviæ quinquies triennii ſpatio ſibi cum aliquali levamine adminiſtratam retulit, ſimulque vivum adhuc & vegetum puerulum quinquennem monſtravit, quem præſente jam iſto tumore ſe concepiſſe ac peperiſſe aſſeruit. Reliquum illius corpus erat emaciatum, vires tamen, pro ratione mali non adeo fractæ. Dolor abdominis ac dorſi, a pondere aquarum usque & usque ad crepaturam usque abdominis accreſcentium auctus, maturationem petitæ paracenteſeos ſuaſerunt, qua prima vice hic loci inſtituta ultra 42. libræ aquæ effluxerunt cum levamine, ut in publicum rurſus prodire valuerit, non longe poſt autem, denuo augmentum capiente tumore, paracenteſi rurſus opus habuit, qua 10. menſium ſpatio, 16. diſtinctis vicibus inſtituta, ultra 720. libras vel 360. menſuras noſtrates Aquæ purulentæ ac ſub finem morbi fœtidæ eduximus, ſpatio temporis a paracenteſi una ad alteram ab initio 4. vel 5. poſtea vix 2. hebdomadum interjecto, ſingulis vicibus plerunque 40. nonnunquam 50. libris ſeri effluentibus. Notabile aliquando fuit, punctura (quam in dextro latere inſtituere ſoliti eramus) in latere ſiniſtro facta, ultra 3. libras puris albi fœtidi absque aqua profluxiſſe, eodemque tempore latere dextro pertuſo aquæ circiter 38. libras, ſecutas fuiſſe. Ob pauperiem diæta illius erat mala, cibus conſuetus panis cum ſale, potus aqua cruda.

Vltimis 3. ſeptimanis lectum ſemper tenere coacta ob vires proſtratas, donec miſeram vitam, menſe Martio A. 1714. cum

morte diu desiderata commutaret, octiduo ante mortem adhuc 30. libris aquæ fuscæ graveolentis paracentesi eductis.

Sequenti die a morte cadaver examinaturus, remotis integumentis abdominis valde extenuatis & distentis, reperi e regione ventriculi, hepatis & renis dextri 6 distinctos tumores vel abscessus, quorum maximus circa ventriculum palmæ magnitudinem æquabat, reliquis paulo minoribus: aquæ fœditissimæ adhuc plusquam 20. libræ effluebant. Mirabar initio una cum adstantibus, cur neque intestina neq; reliqua ventris viscera in conspectum venirent, re autem accuratius examinata apparuit, non in ipsam abdominis cavitatem cultrum nostrum adhuc penetrasse, sed Abscessus memoratos & aquam in duplicatura peritonei valde incrassati saltem hærere, isto enim a musculis abdominis & infra jacentibus visceribus levi opera separato, quæsita omnia in conspectum prodibant, sed valde tenuia, parva, compressa, in primis renes, qui vix juglandis magnitudinem habebant. Uterus adeo erat contractus, ut tota sua mole Nucem moschatam majorem vix excederet, & in cavum suum vix pisum recipere potuisset: vagina vero satis ampla erat, ut 3. digitos facile admitteret. Ovaria & tubas Fallopianas præ parvitate vix videre licuit. Saccus vero iste peritonei connexionem suam firmissimam habuit circa fundum uteri & intestinum rectum, ubi forfice resecari debuit, alibi vel solis digitis separabilis.

Majores tumores in vita adhuc semper post effluxum aquæ sentiri potuerunt: incisi & illi ac examinati post mortem nil nisi cavitates pure crasso spissoque refertas monstrabant.

(*Hafnia Augustam Vind. d. 20. Octobr. A. 1714. missa.*)

OBSERVATIO CLXIII.

Dn. D. ADAMI BRENDELII.

De

Bufone inter dormiendum a molitore deglutito, & per alvum reddito.

MOlitor quidam annos XXXVII. natus, post largam cerevisiæ ingurgitationem sub corylo in horto recubans, somno indulget, & inter dormiendum magnam ingestorum copiam eructat, ita tamen ut somnum per horas aliquot, diducto ore, protrahat. Accidit autem, ut bufo, (an a materia, vomitione rejecta, allectus,) adrepat, & semet in os diductum clam insinuet, ac per œsophagum, deglutitione a molitore inscio adiutus, & protrusus, in ventriculum descendat. Experrectus e somno, dolorem in ventriculo, rosioni similem, percipit, cujus rei causam crapulæ tribuit, & ad illum leniendum ovis frixis, iisque acidis, velcitur. Consopitur quodammodo dolor, sed post non ita multo recrudescit, & gravissime laborantem, vacuefacto præsertim a cibis ventriculo, affligit, ut jejunus sæpe in periculum defectionis animi incurrat. Hoc rerum statu constitutus, opem, auxiliumque a me poscit, & tentatis frustra variis, ac iis ferme innumerabilibus remediorum generibus, tandem potionem ex mercurio vivo, bene a sordibus repurgato, summit. absinth. cent. min. tanaceti & pulpa colocynthid. omnibus leniter in aqua cochis confici, de qua mane, & vesperi, justam dosin cum magnis ventriculi doloribus, & leipothymia, per duos dies hausit, tertio symptomata conquiescunt, circa vesperam vero profusissima alvi dejectio, qua bufo mortuus, & obesus, evacuatur, cum acri & fœtente colluvie; ut nares feriret pariter, atque læderet, consequitur. Sedatam dejectionem excretio alvi cruenta cum maximis ventris torminibus excipit, qua per adhibita remedia coërcita,

ægrotans per diem unum & alterum bene se habet, quarto febri, cum insigni æstu, & magnis deliriis, conjuncta, corripitur, ut parum abfuerit, quin mortem illi intulerit. Hac quoque consopita, totum corpus flavo colore intenso, qualem icterici habere solent, inficitur, quem tamdiu, quamdiu vixit, retinuit, ita tamen recreatus est, ut suas quodammodo operationes obire inceperit. Protrahit vitam per unum, & dimidium annum, quo tempore fæces semper chylosas excrevit, ut illum ictero laborare credidisses. Tandem in maciem incidit, qua sensim consumtus, & enectus, obit, cum antea robustus, firmisque lateribus a natura, & bona valetudine, præditus erat. Post mortem, facta corporis incisione, eandem colluviem, in primis viis fluctuantem, qualem excreverat, in fundo vero ventriculi callosam cicatricem, ultra imperialis magnitudinem, pylorum hiantem, & crustam tenuium intestinorum villosam partim abrasam, & callosam, partim mucosam, circa coli valvulam exulcerationem, & in siniftro cordis sinu polyposam concretionem, eamque nigricantem, deprehendi. Ex his summatim commemoratis, & bene subducta ratione perpensis, quilibet, existimo, perspiciet causas symptomatum, quibus conflictatus est ægrotans, eaque cum ab ipso bubone, tum ab intus accumulatis excrementis, & aliis sordibus, profecta esse, facile, si instituti ratio postularet, copiosius exponi, & declarari posset.

OBSER-

OBSERVATIO CLXIV.

Dn. D. ADAMI BRENDELII.

De

Gemellis in mola comprehensis.

MVlier quædam post partum alterum de tensivo abdominis dolore, murmure & insultibus hystericis, appetitu dejecto, & lassitudine artuum per tempus aliquod conqueritur, facies pallido & livido infecta colore, squalet, catamenia inordinate manant, subinde penitus exaresçunt, ut tandem in suspicionem graviditatis propter abdominis increscentis molem, veniat. Demum post duos, & quod excurrit, menses ex insperato terrore perculsa, exquisitissimos dolores hystericos, & profusissimam mensium fluxionem, cum grumis sanguineis experitur, inter quos caro deformis, ossibus destituta, & vasis dives, cum larga hæmorrhagia prodit, in cujus medio duo gemelli concluſi latebant, si figuram molæ spectes, ad similitudinem parvi cyprini accedebat, de qua mulierculæ multa non sine risu confabulabantur. Hanc, & plures alias, tam embryonibus vacuas, quam iisdem instructas, cum fœtibus abortivis variorum mensium in balsamicis liquoribus asservo, & nuper admodum mola mihi oblata est, in qua ovulum pellucidum concluſum est, jucundissimo sane spectaculo, propter tenerrimum embryonem, a gracilimo funiculo umbilicali dependentem.

OBSERVATIO CLXV.

Dn. D. ADAMI BRENDELII.

De

Trigeminis communi chorio, sed distinctis amniis inclusis.

CIvis cujusdam mulier in Zahna, oppido duobus lapidibus a Witemberga distante, ex partu per tres dies laborat, tandem adhibitis fotibus, linimentis, & aliis remediorum generibus, duas filias superstites edit, retento filio, cum quo extincta est. Post sectionem ligamenta uteri gracilia rupta, & inflammata, deprehensa sunt, (nam per totum graviditatis tempus propendens abdomen in cingulo portavit,) fœtus autem mortuus obliquum situm, secundinis implicitus, in pelvi tenebat: ipsæ vero secundinæ immanem molem habebant, in quarum medio tria distincta amnia, in quibus fœtus comprehensi latuerunt, conspicua erant. uterus, ex inflammatione nigricans, circa cervicem ad putredinem tendebat, & graveolentem halitum exspirabat.

OBSERVATIO CLXVI.

Dn. D. ADAMI BRENDELII.

De

Foramine ovali in cadavere XXII. annorum patente.

CVm superiore hyeme duas sectiones publicas cadaverum femineorum haberem, in priore, sano, & robusto, sed angustissimo pectore prædito, foramen ovale patens, quale in fœtibus esse solet, deprehendi, canalis autem arteriosus paululum hiabat, per quem, & foramen ovale, aqua injecta expedite fluebat, ut credibile sit, sanguinem tam per utrumque canalem, quam per pul-

pulmones, conversum in orbem cursum suum confeciſſe: an propter ſummam pectoris anguſtiam? nam pulmones in utroque latere cum pleura membrana arcte coaluerant, & huc illuc parvæ concretiones polypoſæ in vaſis pnevmonicis hærebant.

OBSERVATIO CLXVII.

Dn. D. ADAMI BRENDELII.

De

Abortu, ab inſerto in uterum acuto ſtylo, eoque embryonem trajecto, producto.

ANcilla quædam ex compreſſu gravida facta, ne pœna, & ignominia meretricibus ex ſanctione publica conſtituta, afficiatur, nefando auſu ſtylum acutum per vaginam, & cervicem uteri aliquoties immittit, eoque cum ſecundinas, tum in iſtis concluſum embryonem trajicit. Poſt non ita multo profuſiſſima hæmorrhagia, qua fœtus ejicitur, ut & vehementiſſima inflammatio cum febri intenſa, oritur, quæ tamdiu, quamdiu poteſt, reticet, atque cuncta celat, quousque demum viribus privata, decumbere cogitur. Hoc rerum ſtatu cum ſpe evadendi ex morbo præſenti excideret, & mortem appropinquare perſentiſceret, quid geſtum ſit edicit, & brevi poſt, quia vis morbi ex mora invaluerat, atque remediis propinatis prævalebat, deliriis correpta, & diſtentione nervorum miſere agitata, extinguitur. Inciſo cadavere, & inſpectis partibus genitalibus, cervix uteri late hiabat, cruorque ex laceratis undique & ſphacelatis vaſculis cum multo tabo manabat, ac collum uteri & vicinæ partes omnes, pariter inflammatæ, in ſqualorem & putredinem, jam converſæ erant, ut hoc modo mors nullis remediis averti potuerit.

(*Witteberga Norimbergam & dehinc Auguſtam d. 22. Octobr. 1714. miſſæ.*)

OBSERVATIO CLXVIII.

Dn. JOH. CHRISTOPH. VOLKAMERI.

De

Gelsemino Arabico, fructum Cafe ferente Arbore.

QVantas hactenus Arabicæ Provinciæ, Jemen dictæ, fructus Cahouen, ab Europæis Café nominatus, rixas dederit, cum alii ad leguminosum & fabaceum genus, (forte voce Buncho Ebn-Sinæ, vel Buncæ Rhasis, hincque detortæ voculæBon decepti) alii ad amygdaliferum retulerint, omnibus, qui primis tantum labris Botanices delitias deguſtarunt, notum.

Nemo tamen hactenus tot inter Viros βοτανικοτάτους, aliosque multum terris jactatos & undis exstitit, qui notas illas Characteristicas Arboris, tot ac tantas opes Provinciæ, in qua crescit, suppeditantis descripserit, & cui Classi accensenda foret certo determinaverit.

Nullis equidem hac in re sumptibus pepercit Illustriss. operis Danubialis Auctor, Comes de Marsigli, qui perquam exactas arboris fructusque imagines depictas, ex Arabiæ Provincia Jemen per Constantinopolin delatas VI. Tabulis æri incidi curavit, publicæque exposuit luci, quæ Figuræ cum certo tamen destituantur Characterismo, vota curiosorum expectationemque deludunt. Nec aliorum defuere in eruenda veritate Arboris hujus licet proh! dolor irrita conamina; ut merito exclamaverit Excell. Rajus: *Miram tantum Thesaurum unius gentis peculium esse, tamque lucrosæ stirpis Plantaria, intra unius Provinciæ angustias coërceri. Mirum vicinas Nationes, exstimulante invidia aut avaritia, eajam pridem, non vel vi depopulatas esse, vel semina aut vivi radices dolo surripuisse. Mirum quem vigilem Draconem Cœvetis suis tuendis præficiant indigenæ, qui omnes insidiantium technas & conatus fustretur & eludat.*

Sed

Sed deluſæ tandem vigilantiſſimi Draconis Arabici technæ, arborque non tantùm in alias Aſiaticas transplantata nunc regiones, ſed & in Europam noſtram transvecta, læte nunc in Belgio, & ſeptentrionalibus Germaniæ noſtræ oris, accedentibus indefeſſis culturæ curis vireſcit.

Miſit Cafe fructus cera obductos, conjunctiſſimo Fratri Dn. D. Joh. Georg. Volkamero, ex Amſterodamenſi Horto Excell. Comelinus, Floræ illud delitium. Arboris autem Cafe ferentis cum baccis ramum, quem hic delineavimus, ſumma liberalitas Generoſiſſ. & Excellentiſſimi Dn. L. B. a Munnickhauſen, Magnæ nunc Britanniæ Monarchæ Potentiſſimi & Electoris Brunſwicenſis Hannoverani (quem Deus T. O. M. ſervet & tueatur) Theſaurarius & Conſiliarius intimus, ex horto ſuo Swebbertiano prope Hamelenſe Fortalitium exſtructo, cum Regiis certe comparando, mihi, quod grata mente recolo, exhibuit.

Folia equidem Caſtaneis perquam ſimilia ſunt, flos vero perfectus, elegantiſſimus & odoratiſſimus monopetalus ex oblongo tubo quinquefariam diviſus; nuclei bini ſibi impoſiti pericarpio ſuccoſo incluſi, bacciferis arboribus & Jaſminorum ſive Gelſeminorum Claſſi fructum Cafe accenſent, & *Gelſeminum Arabicum, foliis Caſtaneæ, flore albo ingenti odoratiſſimo* pronuntiant, omniaque hactenus circa hunc fructum ejusque Arborem exorta dirimunt diſſidia.

(Norimberga Auguſtam Vind. d. 15. Octobr. A. 1714. miſſa.)

OBSERVATIO CLXIX.

Dn. D. GOTHOFREDI HELDII.

Calculi in Cystide fellea reperti, Apoplexiæ Auctores.

CHristianus Ernestus, Serenissimus Marchio Brandenburgicus Culmbacensis, glorioſæ Memoriæ, Princeps meus, dum in vivis erat, longe Clementissimus, Anno 1712. die 20. Maji, summo cum luctu & planctu fidelium suorum domesticorum, omniumque subjectorum, Apoplexia cum Lethargo exanimatus, post beatam Mortem, Anatomiæ ad subsequentem Pollincturam sive Balsamationem, traditus, primariam mortis causam nobis quidem in capite offerebat: in hoc enim inter duram & piam seu tenuem Meningem, ut & in anterioribus Cerebri ventriculis insignis seri extravasati quantitas inveniebatur, nec non ex processu duræ matris falcato, inprimis ejus sinu os tenerum digiti longitudine usque ad cristam Galli, ubi processus falcatus annectitur extensum, protrahebatur; alia vero causa, non minus attendenda, ad Apoplexiam inducendam apta, in infimo Ventre occurrebat, scilicet in Cystide fellea conspiciebantur quinquaginta Calculi biliosi, tot nimirum, quot Serenissimus ac optimus PRINCEPS Annos regnaverat, coloris flavo-nigricantis, tam glabri ac splendentes, ac si arte essent politi, variæ magnitudinis, majores & minores, quorum illi undecim, duodecim ad tredecim, hi quinque grana, omnes vero septem drachmas pondere æquabant, quod pondus tamen successive imminutum, dum Calculi sicciores & leviores redditi; linguæ admoti biliosum saporem imprimebant, & digitos colore flavescente tingebant.

Quilibet horum lapidum biliosorum majorum imprimis, quorum quadraginta fuerunt, est figuræ pyramidalis, cujus basis

est

est quadrangularis, non tamen quadratum, sed trapezium repræsentans: ex hac basi assurgunt superficies quatuor in fastigium quasi abituræ, sed apex hic, quemadmodum etiam quatuor reliqui anguli ad basin detriti sunt, adeo ut pyramis quadrangularis truncata dici queat figura hujus lapidis, referens tesseram hexaëdram sed irregularem, ob sex superficies, quarum tamen superior basi opposita minima est; Minores vero decem lapides forma triquetra præditi. PRINCEPS noster ter beatus, alias in adulta ætate quandoque Podagræ obnoxius, ad senilem vergens, ea non nisi rarissime corripiebatur, unde cum arthritica illa acris biliosa & viscidior acida materia Critico naturæ motu non amplius ad artus infimos propelleretur, ea cum bile in vesicula fellea sedem fixit, & bile hinc simul inerti reddita & exsiccata, calculi numerati successive concreverunt, qui per allisionem & exactam quoad latera conjunctionem tam læves redditi, quasi artificiose sic efformati; cum igitur Motus naturæ, Podagra ordinarie non redeunte, plane invertetur, ac Chylus, sanguis & serum bilioso Balsamo non sufficienter imbuerentur, serum stagnatione acrius redditum, vasa lymphatica perrodendo, & extravasatum quantitate majori Cerebrum implevit, exinde nimia aquæ copia Arterias carotides & vertebrales, ac sinus ubi cum jugularibus coalescunt, premendo, & sanguinis affluxum & refluxum prohibendo, nec non propter Meatus Cerebri medullares hinc obstructos & oppressos, atque cohibitam spirituum animalium energiam elasticam, lethargicum soporem cum Apoplexia induxit. Hoc nostrum assertum ulterius alio adhuc parallelo exemplo confirmabo, quod mihi Excell. & Celeb. Dn. D. Daniel Nebelius, Medic. Prof. P. & primarius in antiquissima Germaniæ Academia Heidelbergensi, singularis meus Amicus, in literis responsoriis ad meas, occasione præcedentis observationis eidem perscriptas, die XIII. Decembris 1712. datis communicavit: Nimirum Illustrissimus Generalis Campi Mareschallus, Comes de Thüngen, Spiræ Apoplexia forti beate defunctus, alias summe podagricus, post mortem Anatomico Cultro subjectus, cruorem in duobus

Cerebri anterioribus Ventriculis extravasatum, & multas arenulas subflavas in valvulis cordis utriusque ventriculi, in folliculo autem felleo calculum glabrum nigrescentem duriusculum & alium molliorem cum nonnullis minoribus conjunctim drachmas tres pendentibus, obtulit.

Ex quibus duabus observationibus vir Celeberrimus, D. D. Nebelius concludit, in Podagra intemperiem humorum tartaream etiam bili communicari, hancque ad coagulum sic redactam, Apoplexiam causari. His duabus observationibus adjungo adhuc observationem Borelli, qui Cent. III. Observ. Med. 22. pag. 217. refert, in Cystide fellea Nobilis Apoplexia mortui, decem calculos nitentes, coloris flavi subobscuri, & aliquo modo triangularis figuræ, fabæ magnitudine, repertos esse; & Baglivii de fibra motrice pag. 214. qui in obesi Apoplexia correpti vesicula fellis Calculos duos, duros, nigros, & veluti scintillantes, quorum unus magnitudinem Ovi Columbini habebat, alter vero paulo minor erat, invenit. Sic & Philippus Hœchstetterus Observ. med. Decad. X. Casu VI. pag. 415. seq. scribit de Quæstore Comitis cujusdam Fuggeri, symptomatibus apoplecticis demortuo, quod inter alia in ejus cystide fellea lapilli duo maximam partem triangulares, quorum major atri coloris, alter coloris subcineritii, fuerint inventi. Plura egregia huc facientia afferuntur in Dissert. inaugur. Dn. Salzeri, sub Præsidio Celeberrimi, nunquam satis laudandi, D. D. Nebelii, Heidelbergæ, currente hoc 1714. Anno, de Coagulo bilis in vesicula fellea, habita.

)o(

OBSER-

OBSERVATIO CLXX.

Dn. D. GOTHOFREDI HELDII.

Cortex Peruvianus, vulgo China Chinæ dictus, polychrestum Remedium, in specie antipodagricum sine pari.

Ex Peruano Indiæ Occidentalis sive Americæ Regno Cortex noster, Peruanus inde, China Chinæ vero a Comite de Chinchon, Pro-Rege & Gubernatore Regni Peruani, denominatus, ad nos pervenit, quem Corticem Cardinalis de Lugo ante sexaginta quinque annos, Anno nempe salutis 1649. primus secum Romam attulit, unde mox per totam Italiam, Hispaniam, Angliam, Belgium, & sic ubique per Europam inclaruit. Arbor, ex qua Cortex hic depromitur, indigenis Gannaperide, vel juxta alios Gannanaperide, quibusdam Gentiana Indica fruticescens appellatur, magnitudine Cerasum æquans, foliis prunorum ruberorum, & floribus albis & cæruleis ornata, in Perua, præsertim in Præfectura, sive ut Hispanis vulgo audit, Audientia Quiti, prope Urbem Logam seu Loxam, Zarca Antonio de Herrera in Indiæ Occidentalis descriptione cap. 17. pag. 22. dictam, reperiunda. Ex hac Arbore Cortex noster abscissus, ex flavo & nigro fuscus, saporis amaricantis, varia fata expertus est, laudatus ab his, culpatus ab illis; primo vero omnium ut specificum antipyreticum, ad febres intermittentes dilaudatus. mox China febris; & antiquartium Peruvianum, Hispanis autem Cascarilla della Oja & Palo de Calenturas, id est, Lignum febrium appellabatur, quamvis Lignum & flores facultatem febrifugam non habeant, sed solus Cortex. Cum vero febris per hunc Corticem non semper ex voto tolleretur, sed vel recidivaret, vel in alios, & quidem chronicos morbos, nempe Cachexiam, icterum, Tumores pedum œdematosos, imo ipsum Hydropem &c. degeneraret, plane ut in-

utilis

utilis damnatus & rejectus est; Cordatiores tamen Medici posthac circumspectius Corticem Peruvianum Clinicis suis exhibentes, gloriam ejus & usum revocarunt, & eundem adversus omnes febres efficacem deprehenderunt, tam vere intermittentes, quotidianas, tertianas & quartanas, quam etiam continuas, quodammodo interdum remittentes, & ab æstu deflectentes, iterumque suas exacerbationes habentes, quæ usu hujus Corticis non raro ad apyrexiam perductæ, in febres intermittentes salutariter sunt conversæ. Et revera noster, nunquam satis laudandus Cortex, certissimum antifebrile existit Remedium, ac specificum, quoniam, non ut vulgo & falso creditur, adstringendi & materiam febrilem concentrandi figendique vi præditus, sed potius roborandi, incidendi, aperiendi, resolvendi, abstergendi, præcipitandique fermentum febrile & absorbendi, imo juxta Mortonum alexipharmaca virtute, ob blandam suam amaritiam, & sal acriusculum terreis particulis permixtum, insigni gaudet, modo ante ejus usum ratio habeatur primarum viarum & ipsius massæ sanguineæ, & si Ventriculus vel intestina cruditatibus pituitoso-acido-biliosis obsideantur, præmittatur emeticum, vel purgans appropriatum, quale ego ex radice Gialappæ cum China Chinæ mixta ordinare soleo, ut sic sanguis simul corrigatur.

Præter decantatam antifebrifugam Corticis Peruviani virtutem, in multis aliis morbis, a fibrarum in visceribus & aliis partibus relaxatione, & humorum colliquatione, corroborando conducit, e. gr. in Hectica, partim ad subdolam febrem mitigandam, partim ad sudores nimios compescendos summe proficuus; item ad Affectum hypochondriacum, & huic affinem hystericum egregie prodest: hi enim utpote morbi nervosi generis & spasmodici, omnium optime Cortice Peruviano mitigantur, cum is corroborando fibras nerveas, absorbendo & eliminando humores stypticos, efficaciter agat. Porro pro mulieribus ad nimium Mensium fluxum & fluorem album, item ad Hæmoptysin, Vomitum cruentum, & in genere ad omnes hæmorrhagias,

gias, Corticem noſtrum inſtar Arcani, experientia edoctus commendo. Sic Excellentiſſimi Vratislavienſium Doctores Medicinæ, ſeduli nec unquam otioſi Naturæ Curioſi, in Hiſtoria ſua Morbor. Vratislav. pag. 38. Pulverem Corticis Peruviani inter eximia anthelmintica merito numerarunt; quod idem experimento confirmat Nobil. Franciſcus Redi in obſervation. Animal. viventium pag. 98. ſeq.

Taceo, nonnullos eundem ad Hydropem ipſum a febribus male tractatis ortum, ut & phthiſin commendare, alios vero illum ut Medicamentum panchreſtum extollere. Hoc unicum adhuc ut veriſſimum adjungo, Corticem Peruanum pro experto & probatæ virtutis ſpecifico ad Podagram merito eſſe laudandum, ad cujus uſum me perduxit Celeb. D. Thomas Sydenham, famigeratiſſimus quondam Londinenſium Practicus, & Cautelarum practicarum obſervator ſedulus, qui ipſe Podagricus, in Tractatu de Podagra pag. m. 570. Corticem Peruvianum primas in doloroſo hoc affectu obtinere aſſeruit, cum ſanguinem corroboret, vegetumque reddat, ſi ejus grana aliquot mane & ſero aſſumantur. Ego vero hactenus in praxi mea hunc Corticem non granis, ſed plerumque ad ℈j. vel ℥ß. ordinavi, & illum quidem præſervative ſemel vel bis in hebdomade, curative vero, malo jam appropinquante, mane & circa noctem aſſumere juſſi, & ſine Topicis tumor & dolores brevi remiſerunt, febris in Paroxyſmo cum calore præſens mitigata, & Appetitus Ciborum, alias imminutus vel plane abolitus, reſuſcitatus & integer ſervatus, imo Paroxyſmus omnis brevi ſublatus. Cortex enim noſter, ob blandum ſaporem amarum, fermentum gaſtricum vitioſum, idque vel acre bilioſum aut viſcidius acidum, immutat, ſimulque, quod magnum in Podagra beneficium, alvum apertam ſervat, ſanguini quoque vigorem conciliat, ejusque acrimoniam corrigit, ac fibras tendinoſas nerveas roborat & ſolatur, ſicque ſpaſmodicas ſurarum & aliarum partim contractiones & antevertit & abigit: anodyna etiam virtute pollens, & blandum ſomnum inducit, & dolores

demulcet, nec minus cardiacum est & collapsas vires restaurat. Uno verbo: Cortex Peruvianus in Podagra divinum est Remedium, quod multijuga experientia edoctus, certo & firmissime asseverare non nequeo.

Christian Erlanga Noribergam & dehinc Aug. Vind. d. 26. Octobr. 1714. misse.)

OBSERVATIO CLXXI.

Dn. Lic. ROSINI LENTILII,

Ranarum in pisces curiosa metamorphosis.

Me, cum *Serenissimo Principe* meo *Taurinorum Augustæ* degente, cum aliquando sub æstu cœli vehementissimo nimbus delaberetur, e domesticis nonnemo, hem, ait, quantus nunc e terræ pulvere surget ranarum exercitus! quid, inquam, hoc monstri? Immo vero, respondet ille, nostine sole calente, quotquot guttæ pluviales pulverem super decidunt majores, totidem eo statim momento ranas produci? Me ridente, magis ipse meam, ceu *Physici*, ridebat ignorantiam, nec minus ad experientiam provocabat, quam & philosophica ratiocinatione paradoxum generandi modum fulcire audebat, nempe, ad novum animal procreandum omnia tum elementa conspirare, de *aëris* præsentia non existere dubium, *ignem* radiis solaribus, *aquam* pluviæ guttis, *terram* pulvere sicco describi: Nec aliud sibi persuaderi patiebatur, quamvis rationi sanæ nil magis adversum dicerem, quam serio credere, uno temporis momento e materia tam inepta prodire posse animal in sua specie perfectum, tot visceribus, vasis ac membris dotatum, adeo nocet animum fabulis occupari! Nunc ab eo tempore tres anni præteriere, nec amplius de ista tam peregrina *batrachogonia* cogitabam. Prodiit autem sub anni 1714, auspiciis translatum ex Anglicana lingua

in

Rana Americana Surinamēsis de Rio Comewina in Piscem mutari Solita.

Obser. CLXXI

1

2

Hic appendicula parva, caudæ primordium, omissa est.

3

Caput magis pisculentum

pedes retrahuntur versus pectoris Casum.

Cauda jam magis Perrecta

pedes posteriores retrahi incipientes

Cauda valde Protensa.

4

pedum anteriorum vestigia

5

pedis posterioris retracti vestigium.

6 piscis perfectus

7

Ranæ Americanæ Surinamensis in piscem mutari Solitæ minor Species

Rana Americana Surinamensis aurita.

auris dextra

8

auris sinistra.

Puschner. sc.

in Gallicam poſthumum celeberrimi *Raji* opuſculum, cui titulus: *L'exiſtence & la Sageſſe de Dieu, manifeſteé dane les Oeuvres de la Creation.* Hoc opuſculum, uti eſt eruditione varia longe refertiſſimum, atheorum ſtultitiæ explodendæ cumprimis deſtinatum, ita, *generatio ſpontanea*, ubi p. 351. ſeq. ex inſtituto profligatur, genitarum vel in nube cum pluvia deciduarum, vel e pluviæ guttis cum terræ pulvere ſicco mixtis productarum ranarum, ampla quoque fit mentio, ſagaci Auctore inter alia bene dicente: *Celui, qui peut croire, qu'il pleut des grenouilles, peut croire également, qu'il peut pleuvoir des veaux.* Miramur autem cum *Rajo*, non ſtupidum alioqui virum, *Libert. Fromondum*, præoccupatum fortaſſe a fabuloſis *Ariſtotelis & Plinii* commentis, credere potuiſſe, certum terræ pulverem cum aqua pluviali mixtum, & confermentatum, ranas etiam adultas omniumque functionum animalium perfecte peritas, dicto citius creare poſſe, cum naturalis earum generatio tantum vaſorum apparatum, tantum coëundi negotium, tantas fetificationis, formationis, excluſionis circumſtantias, tantam perfectionis periodum, tot mutationum ſcenas requirat, per fortuitum huncce cauſſarum concurſum opere tanto quaſi in momento abſolvendo, ſuperata ſic per *caſum natura*. Oſtendit autem pluribus ibi *Rajus*, quam peſſime ſe falli paſſus fuerit *Fromondus*, citando experientiam vel obſervationem propriam, in amicorum præſentia *Tornaci* factam, ac inſuper adducit obſervationem *Fromondi* parallelam, a *Wilh. Derhamo* Rectore *Supmonaſterienſe* communicatam, qui ſuſcepto in provinciam *Berts* itinere, exorta largiſſima poſt ſiccitatem diuturnam pluvia, reperit ranarum fabuloſam viam perreptantium innumeras cohortes. Curioſus etenim hic vir veſtigia ranarum ſecutus lacui denique appropinquavit, in quo recte concluſit ranas illas modo naturæ conſueto fuiſſe natas, lacumque & ejus juncos incoluiſſe, allectas autem pluvia, recreandi ſe fine, magno agmine prorepſiſſe. Si

FROMONDO pari ſedulitate rem veſtigare placuiſſet, quin fuerit natales ranarum ſuarum veras æque reperturus, nullum plane eſt dubium. Plura addere noſtri non eſt inſtituti, niſi hoc unicum, quod *RAJVS* credulæ huic genti ſolvendum objicit, quei nempe veniat, ſi in nubibus generentur ranæ cum pluviis deciduæ, nullas inveniri adhuc imperfectas? Reſponderi fortaſſe poſſet ex *ÆLIANO var. Hiſt. Lib. XVII. cap. 38.* (prout allegatur a *MAJOLO Dier. canic. Tom. I. Colloq. XXIII. p. m. 426.*) pluviam aliquando contigiſſe ranarum quoque inchoatarum, quæ *ANTHERIATES Indos* in alium locum migrare compulerit, quod idem fatum de *ABDERITIS JVſtin. L. XV. c. 2.* memoriæ prodidit. Accedat autem noſtrorum temporum vel curioſiſſimus obſervator, qui aſſeverare audeat, ſe in pulvere conſpicatum fuiſſe vel unam ſemiformatam ranam, ſive ſtatuantur illæ cum pluvia delabi, ſive ex pulvere pluvia macerato generari? Immo, ſi tales de cœlo cadunt, cur in ſola terræ ſuperficie, cur non ſuper tecta ædium plana, cur non in illorum colliciis vel canalibus aut perfectæ, aut imperfectæ, aut integræ, aut per vim lapſus, in ea corporum mollitie contritæ usquam videntur? Veriſimile eſt fictitios hujusmodi ranarum imbres ab ethnicis quibusdam Scriptoribus, occaſione *plagæ ranarum Ægyptiacæ*, qua de nonnihil ex traditione perceperant, aſſuto fabularum centone poſteris obtruſos fuiſſe. Sie haben darvon läuten hören. Nam alibi *MAJOLVS*, ejusdem ſcilicet *Tomi Colloq. IX. p. m. 199.* ex *VARRONE & PLINIO* memorat, in *GALLIÆ* quadam civitate incolas ranarum multitudine fugatas. Et *Tom. V. Colloq. I. p. m. 21. HERACLITEM Lemnium* apud *ATHENÆVM* narrare ſcribit: In *Pæonia & Dardania* tantam vim ranarum cœlitus delapſam, ut publicas vias privatasque domos implerent; primis autem diebus incolas paſſim eas occidiſſe, ædibus occluſis aliquantiſper patienter eam moleſtiam pertuliſſe, ſed, cum nihil proficerent, domeſticaque ſupellex iis tota obtegeretur, ac cum cibariis elixas aſſatasque ranas offenderent, aquarum erepta commoditate, & quia coacervatis illis non erat,

pe-

pedem ubi promoverent, mortuarum odore ad extremum vexatos, patriam deseruisse. Quid melius hocce figmento cum *Ægyptiaca ranarum plaga* quadrat? Videantur quoque, quæ de eadem ranarum pluvia ex *EVSTATHIO* de *Chersoneso*, & *DIODORO* affert *LVDOV. COELIVS RHODIG. antiq. lect. L. XXIV. c. 3.* (confer. *Ann. VII.* & *VIII. obs. LXXIX. Ephemer. curios.*) Nec novum est scriptores gentilium subire vicem Mimorum biblicorum, quum eadem hinc inde de Diluvio confinxerint. Plus quam lyncei quoque fuerint, necesse est, qui cum *ÆLIANO lib. II. cap. 50.* oculis se spectasse putant ranas, quarum pars, quæ ad caput pertinet, repebat quidem, sed binis tantum pedibus acta, dum altera nondum confirmata, concretioni limosi humoris similis, traheretur. Eodem scilicet modo *HELMONTIVS* mures e vestibus detritis & lignis navium putridis productos, hosque ultimos dimidia sui parte adhuc ligneos, vidit. Interim *Crocodilos* fuisse, non *ranas*, quos miraculo divino super *Ægyptum* adscivit *MOSES*, nonnulli *Rabbinorum* somniant, explosi suo merito a viro celeberrimo *JOH. CLERICO Comment. in Pentatevch. Tom. II. p. 40.* argumentis *BOCHARTI Hierozoic. Part. II. Lib. V. c. 2.* Vellem erudiri, quo pacto Crocodili, cumprimis anthropophagi, belluæ grandes, intactis hominibus, in urceos & pastas *Ægyptiorum* irrepserint? **Davor hat man sie gewiß sorgen lassen.** Talia qui credunt, nihilo ranis gyrinis prudentiores habendi, quale est proverbium *PLATONIS.* Gyrini enim sunt inchoamenta ranarum, ex harum spermate primo genita, cujus generationis totum processum eleganter delineat *OLIGER JACOBÆVS* cum in quodam *Volumine Act. Med. Hafn.* tum peculiari, sed eleganti tractatu *de Ran. & Lacert.* Ranas denique semestri vita in limum resolvi & rursus vernis aquis renasci, nemini facile *PLINIVS lib. IX. c. 58.* persuadeat, uti nec mihi quidam Amicus meus, qui ranas ex hirundinibus formari, antiqua sibi referentium fide credebat.

Missis his accedimus ad illa, quorum gratia in has ambages deviavimus, ad *miram* nempe, & hactenus, quod quidem sciamus, inauditam *ranarum in pisces metamorphosin*. Mensibus *Majo* & *Junio* 1714. mihi *Amstelædami* detento ab amico relatum, Dn. SEBAM, loci *Pharmacopœum*, inter alia curiosissima *spectandas præbere ranas in pisces mutatas*, quas in liquore conservaret. Res ea mihi primitus fabulosa visa, adeo, ut oculorum arbitrio rem explorandi magno desiderio tenerer, me præter *piscatricem ranam* nil aliud visurum propemodum persuasus. Igitur pede non tardo curiosissimum & humanissimum virum accessi, ac primum omnium, ut hoc mihi portenti monstraret, rogavi. Tantum autem abest, ut cum *rana piscatrice* (cujus iconem ac descriptionem exhibet supra laudatus RAJVS *in Historia piscium* WILLHVGBEJANA) quidquam haberet commune spectaculum vere curiosum, ut potius, accuratissime vestigatis omnibus, non supereresset, unde de rei veritate dubii vel tantillum enasci posset. Monstrabat igitur laudatus Dn. SEBA secundum distinctos mutationum gradus distincta sex vitra, in quorum *primo* liquori immersa natabat omnibus numeris absoluta rana. A pictore non admodum vel felici, vel accurato delineari curavimus omnia in sex vitris contenta animalia, quarum Figurarum prima, seu No. I. exhibet, ut dictum, ranam perfectam, quamvis jamjam caudæ quædam vestigia possidentem, quæ tamen a pictore omissa sunt. In vitro No. II. exhibetur cauda magis porrecta, caput ad pisculentam figuram propius accedens. No. III. productiore rursum cauda pedes anteriores intra corpus retrahi cœperunt. No. IV. anterioribus pedibus plane retractis, relicto solo foraminum quorundam vestigio, nunc & posteriores pedes valde abbreviantur. No. V. Pedum posteriorum parcissima adhuc prominentia. No. VI. Jam piscem præbet perfectum, in quo adeo nil amplius ranini, ut derisui semet expositurus esset, qui aliud, quam piscem, illud animal affirmasset. Piscis truttam colore, licet maculis rubris non interstincto, capitis figura mustelam fluviatilem mentitur, spitha-

mam

mam & ultra longitudine exæquans. Quod autem supra jam dictum, pictoris est minus accurata delineatio. Primus fuit *Amstelædami*, qui curiosam hancce metamorphosin ostendere posset inclytus ille, omnique laude dignus SEBA. Cum aliquot postea diebus curiosum Dn. VINCENTII *Museum Hærlemi* lustrarem, apud hunc quoque inveni ranam in piscem abeuntem, sed binis tantummodo mutationum gradibus. Dn. RVYSCHIVS, in illa tam provecta ætate senex adhuc inexhausti laboris, qui insectorum exoticorum numerum vix numerabilem in liquore servatum ostendit, hac tamen adhucdum rana carere cogitur, immo mihi fassus est, se nusquam adhuc talem, nisi apud Dn. SEBAM vidisse. Ad solum natale harumce ranarum quod attinet, illud est *Suriname* in *America*, & in ea Colonia Hollandorum, nominata *Rio Comevvina*, ubi in lacu quodam capiuntur hi pisces, olim ranæ, ac pro delicatissimo cibo lautioribus tantum mensis inferendo æstimantur. Nomen eorum, quo patria, scilicet *Surinamica*, lingua insigniuntur, nondum rescisscere potui. *Batavi* sua lingua vocant *Kikvorse*, *de in Vis veranderen*. Quot vero dies ad plenariam transmutationem requirantur, nondum innotuit, nec forsan a quoquam adhuc, ea, qua decet, industria exploratum est. Cum, quod obiter moneo, mihique a sacrificulo quodam, qui jam per 22. annos in *Curassavia*, *Surinamæ* provincia habitavit, relatum est, Medici locorum ibi degant naturæ non admodum curiosi. No. VII. in liquore exhibetur minor quædam ranæ species, in minorem itidem piscem transire solita in eadem regione; ut & No. VIII. species ranæ palustris illius terræ speciose *aurita*, quæ tamen ad mortem usque rana manet, nec unquam in piscem transmutatur.

Quisquis insectorum reptilium in volatilia transmutationem attentius considerat, qualis est v. gr. bombycum, erucarum &c. in papiliones, fortasse non adeo impense mirabitur nostram ranarum in pisces metamorphosin, cum utraque animalia sint aquatilia, id est, naturæ non in solidum diversæ, quamvis

in-

inter amphibia rana numeretur. Interim utraque metamorphosis debita sibi admiratione non caret, quum erucas in papiliones abire quidem videamus, quomodo autem abeant, e caussis naturalibus, ita quidem, ut animus cognoscendi avidus adquiescere valeat, eruere, me quidem judice frustra fuit hactenus tentatum. Si verum est, partes animalis in ovo contentas actu, sola sui explicatione & auctione indigere, mirum videri possit, ubi tamdiu lateant in erucis v. gr. pedes & alæ, & an unquam horum lineamenta, per microscopium, dum adhuc sunt vermes, observata fuerint, quod ego quidem ignoro. Majus tamen in rana transmutata naturæ miraculum, quum & hæc species ista verminosa grandior existat, & non solum accedat ranæ, quod ante defecerat, sed, quod ante fuit, etiam aboleatur. Pedes retrahi ad oculum patet. An igitur & quomodo intra corpus recepti annihilantur?

Erucæ de suo parum perit, in papilionem mutatæ plura accedunt. Gyrini in ranarum perfectionem provecti caudam amittunt, sensim pedes adsciscunt. Medicorum regionis erat, in loco, ubi horum animalium datur copia, modo in pisces mutatos, anatomico cultro subjicere, atque quorsum retracti pedes abierint, explorare. Intimius talia nossemus, si ibi locorum RVMPFII, CLEYERI horumque similes morarentur. Ah! quantum adhuc in rerum naturalium cognitione penitiore, cumprimis quoad abstrusum generationis negotium, cœcuti-

mus.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXII.

Dn. Lic. ROSINI LENTILII.

Buso ex dorso pariens.

TRansimus ab animali horridiusculo ad horridius aliud, nempe bufonem, quorum utrorumque inter se tantum a quibusdam recensetur commercium, quod etiam ad mutuam coitionem extendatur. Pari autem fide, qua ranarum e limo generatio, coturnicum ætate provectarum in bufones metamorphosis, quam nonnulli se observasse produnt, niti videtur. Sed & bufones alicubi a decidentibus aquæ guttis momentanea generatione prodire volunt. Guil. PISO *Hist. nat. Ind. utr. Lib. V. c. 15.* ita: *Contingit subinde tempore imbrido, comitante suffocativo tepore veris, corruptionem accelerante, ex unaquaque gutta aquæ crassæ in momento quasi generari* BVFONES, *plus minus avellanæ magnitudinis, tot myriades simul, ut solum universum lateat subiis. Indigenæ* (BRASILIÆ) CVCVRVY *appellant. Nec differunt ullo modo a cæteris ranis & bufonibus ex coitu utriusque sexus natis.* Præter ea, quæ præcedenti observatione contra ejusmodi commenta protulimus, nimirum impossibile esse, ut animal tot partibus organicis instructum, in momento nascatur, cum ad ordinariam ejus generationem tantum temporis requiratur, ipse quoque PISO subministrat argumentum in contrarium, in eadem præcedenti observatione quodammodo tactum, subdens: *Cum nunquam hujus subitæ generationis modum a quoquam supra tecta ædium vel loca lithostrata visum autumem, hic quoque eas, non nisi, ubi est magna copia pulveris terræ gleboſæ ab imbribus impregnati generari constat.* Addimus nos, constare potius, hanc generationem esse chimæricam, pulveremque hunc terræ gleboſæ gratis supponi, quippe æque ineptam productioni bufonum, quam est limus, ad eam, quæ de ranis prædicatur. Magis generationis æquivocæ promachis opitulari videtur, quod in medio truncorum

arborum, quinimo in ipsis lapidum medullis reperti fuerint vivi bufones. Id sibi confirmatum fuisse a viris tantæ fidei, testibus oculatis, ut de facto dubitare sibi religioni ducat; in tractatu præcedenti observatione allegato, scribere non veretur RAJVS *p. 384.* Unde rei miræ quoque rationes invenire laborat, nempe animalcula ista adhuc parva per rimas cujusdam lapidis irrepere potuisse, quod ipsis facere per naturam solenne sit, ut nempe se tempore hyberno adversum aëris injurias tueantur, crescere vero ac adolere in ipsis rimis, ut exitus angustior, quam pro adulti corporis modulo reddatur, potuisse ibi per plures annos inclusa vivere contenta pauxillo aëre, quem rima suppeditasset, quo multo non opus habuerint, ob connatum temperamenti frigus, ac stuporem; lapidis ipsius humorem, quippe a defectu motus non dissipabilem potuisse nutrimenti vicem subire &c. Quis autem credat sapientissimum RAJVM ita serio philosophari? Credo potius in amicorum talia sibi confirmantium gratiam ita scripsisse. Quomodo enim pusilli bufones adolescant in cavitate tantilla ob lapidis duritiem magis expandi nescia? quod ipse sibi paullo post objicit, solutione in commodius forte tempus dilata. Quanti quanti cætera mihi essent amici, in eorum profecto favorem hujus farinæ historiolis, ni viderim ipse, fidem neutiquam adhibuero.

Bufonem inde vocari, quod in appropinquantes impetu maximo spiritum afflet, unde probare possit SIBBALDVS *in Scot. Illustrat. Part. II. Lib. III, cap. 6.* ipse viderit. Pauca tantum de Bufonum ante veneno loquamur, quam paradoxum ejus pariendi modum recenseamus. Prodierunt ante nonnullos annos *Venetiis* aliquot *Tomi* in Folio, sub titulo *Galleria di Minerva*, consistentes in variis variorum eruditorum in quaque facultate ac disciplina collectaneis curiosis. *In Tom. VI. p. 305.* exhibetur sylloge observationum Medico-Physicarum Illustriss. VALISNIERI, *Professoris Medici Patavini*, Patroni nostri, ac inter alias quoque sequens, quam eo lubentius adduco, quod istum *Minervæ porticum* Germanis nostris non æque multis patere noverim.

verim. Anno 1692. Miles Germanus in caſtello ARCETI hibernabat. Gregarii quidam cum primo vere vidiſſent Ruricolas delectari ranarum in certa quadam foſſa captarum eſu, hos imitaturi ex eadem foſſa bufones, quos a ranis diſcernere nequibant, magna copia protractos, ruſticorumque a ſe viſo more præparatos ac elixos, non ſine aviditate devorarunt. Hilares epularum ſpectatores ruſtici, hoſpitum horum non admodum amantes, convivantium ſubitaneos defectus ubi diu ſatis expectaſſent, iniqua ſpe penitus exciderunt. Præter enim levem labiorum, palati, linguæ fauciumque excoriationem, frequentemque urinæ redditionem mali nil amplius patiebantur. Conjicit inde non inepte laudatiſſimus VALISNIERIVS, bufonum carnem nullatenus eſſe venenatam, abundare tamen multo ſale volatili diuretico, cujus in certis caſibus eximius uſus eſſe poſſit. Hinc & anates aliaque immunda animalia bufones absque noxa deglutire dicit, quamvis hoc argumentum ad probandum, quod caro bufonum veneno careat, non admodum ſit validum. Allegatur quoque a VALISNIERIO *Journal de Sçavans*, ubi ſcribatur, fuiſſe quosdam, qui carnem bufonum impune comederint, quamvis hujus animalis venenum foris applicatum ſit exitiabile. Si carnes viperarum innoxiæ ſunt, cur non idem bufonum? non ſequitur, animalium ſuccum vel ſalivam venenatam habentium carnes quoque venenatas eſſe debere; quamvis nemini ſim auctor, ut ejusmodi cupediis famem ſolari ſuſtineat. Idem VALISNIERIVS falſum comperit, experimento rei facto, quod antiqui ſcripſerunt, e carne nimirum anatum putrefacta ejusque ſimo prognaſci bufones. Plura ad Bufones ſpectantia qui noſſe deſiderat, B. PAVLLINI noſtri *Hiſtoriam Bufonis* evolvat. Nos ad obſervationem.

Non æque raro videtur *in Muſeis Batavicis* conſervata in liquore per dorſum pariens bufo, quam deſcripta a nobis ranarum illa in piſces metamorphoſis. Nimirum vidimus *Lugduni Batavorum* in *Muſeo Indico*, *Horto Medico* contiguo, *Amſtelædami* in *Muſeo Horti Medici*, in *Witſiano*, *Sebæano* & aliis,

Hærlemi in *Vincentiano bufones*, eorumque nonnullos prægrandes, *Americanos*, quorum totum dorsum a fine capitis usque ad anum pluribus præditum est uteris. Numeravimus in aliqua tales uteros circiter quadraginta. Ex his pariuntur bufonum pulli. Protuberabant isti uteri adhuc dum gravidi pisorum ad instar e fontanellis hemisphærio sui dimidio prominentium. Uteri, qui jam partum suum excluserant, cavitate quadam hiabant, simili fonticulorum foveis exemto piso vel globulo. E quibusdam uteris prospiciebant pulli seminati, & in vitrorum fundo (bufones enim omnes in liquore conservatorio natabant) nonnulli jam nati bufunculi, vel, si mavis, bufonum catuli, quantitate circiter fabarum, quiescebant. Bufonem hujusce speciei masculum curiosis exhibet spectandum aliquoties jam laudatus SEBA, femellam itidem adhuc virginem, aliamque, cui sola a dorso ovula protuberant. Cur de rei veritate dubitare debeam non video, quamvis omnino sit optandum, ut ejusmodi bufonem anatomico cultro subjiendi detur occasio. Forsan bufo non habet, nisi unicum uterum, e quo ductus aliqui, ceu tubæ, versus extimam cutis superficiem excurrunt, eoque fecundata per coitum ovula deducunt in foveas cornuum, qualia sunt in multiparis, vicem obeuntes; quamvis hanc nostram suspicionem nemini credendam obtrudamus. Ita, ut olim *Africa*, hodie *America* semper aliquid apportat novi. De *Insolitis partus humani viis* BARTHOLINVM differentem habemus peculiari tractatu. De partubus ex dorso, tantoque in uno animali uterorum, si modo sunt uteri, numero, me nunquam quidquam legisse recordor, quamvis non omnia legere possim, nec, si possem, velim. (*)

OBSER-

(*) *Bufonem hunc D. Fr. Ruyschius in suo Thesauro animalium. No. 35. descripsit, Tab. 4. Fig. 2. & 3. delineavit.*

OBSERVATIO CLXXIII.

Dn. Lic. ROSINI LENTILII
De
Sale Anglicano purgante, vulgo Epsomensi.

MEdica praxis bellum, urbs obsessa corpus humanum, hostis morbus, contra quem pugnat instructus armis, puta medicamentis, Medicus. Facetus ille *Tubingensium* Professor NICOD. FRISCHLINVS, inter alia eruditione ac sapientia multiplici refertissima dramata nobis etiam exhibet *Julium redivivum.* Qui belligerandi peritia longe post se reliquit omnes illius temporis milites *Imperator* ex orco in orbem revocatur a FRISCHLINO: Mutatam *Italiæ, Galliæ, Germaniæ* faciem cum universam, tum vero novam ac incognitam sibi militandi rationem, impense miratur. Quærit suos arietes, vineas, fundas, frameas, machæras, clypeos, & horum loco invenit bellica tormenta, quorum boatu concutitur, sclopeta varii generis, castra longe alio more munita & alia millena, non aliter cum bellandi modo sui temporis congruentia, quam solo, qui remanserat, fine, mactatione scilicet hominum & vastatione regionum. Quod si Medicorum ille vetus Imperator HIPPOCRATES eodem fato posset ex orco in orbem revocari, quo, putas, animo novam faciendæ medicinæ rationem intueretur? Nusquam inveniret suos pulveres vegetabiles, sua decocta, suas infusiones, opiatas, helleborismos; horum autem loco miraretur tot essentias, elixiria, tincturas, salia, magisteria, arcana duplicata, triplicata & centuplicata, & nescio, quæ non alia; omnia vero fine morbos tollendi excogitata. Si vero horum omnium successus accurata loquentis & clamantis quotidianæ experientiæ statera libremus, eodem modo rursum se res habet cum praxi medica & bello. Arma nova, bellandi modus novus, evertuntur nihilominus castella, prælia committuntur ultro citroque variante fortuna, truci-

cidantur homines, rapinæ & excidia fiunt. Nova quotidie fabricantur arma medica, novæ methodi medendi introducuntur, nihilo tamen sunt mitiores morbi, nihilo minores morientium strages eduntur, homines sunt æque, ut olim, brevis, immo brevioris ævi, æque, ut olim, afflicta, immo afflictiore valetudine. Præfari libuit hæc ad ostendendum, per tot novas remediorum excogitationes adeo non medendi dexteritatem, adeo non tritum illud cito, tuto & jucunde promoveri, ut omnia mihi sensim potius in deterius abire videantur.

Ab annis jam aliquot sub nomine *Salis purgantis anglicani*, vel *epsomensis* laxandi fine celebrari coepit sal quidam amaricans, tener, crystallis gaudens oblongis ac cylindricis. Uncia circiter una in jure calido soluta, non sine fastidio, sorbetur, alvo hinc, pro temperamenti modulo fluidorumque corporis dispositione ter, quater, quinquies & ultra subducta. Primum eum vidi ante sexennium, inclyto Dn. OTTMANNO, Pharmacopolæ *Stuttgardiensi* sagacissimo ex *Anglia* missum. Postea, quum ante ferme quadriennium *Augustam Taurinorum* venissem, qui nobiscum eodem tunc utebatur hospitio, Reginæ magnæ Britanniæ ad Sereniss. Sabaudiæ Ducem Legatus, Dn. CHEDWIN de hoc sale multum prædicavit, sic, ut ex Anglia peritus etiam ibi locorum in usum trahi, reliquisque purgantibus anteferri cœperit, qua sorte gaudent noviter in scenam producta, præcipue natalibus britannicis caput extollentia medicamenta. Tum vero & ego, ne parum rei medicæ curiosus judicarer, pharmaci novi periculum facturus, jusculum uncia hujus una salitum potavi, quater hinc ad sellam Patrocli vocatus. Interea temporis ejus fama in tantum adolevit, ut in omnes Europæ provincias, non modio neque trimodio, sed pleno horreo exportetur, nec delicatior ferme quisquam aliter, in his etiam oris, quam hoc ipso sale, mundari gestiat ac everri. Credebatur autem hic sal ex *aquis mineralibus epsomensibus*, a vico *Epsom* haud *Londino* procul sito sic dictis, encheiresi certa confieri, adeoque præcunctis aliis virtute quadam universali paniatrica dotatus esse. Non

diu

diu gaudebat iſta tam pingui ſorte pharmacon, cætera minime ſpernendum. Etenim cum ſub incunabulis ſuis pretio ſat caro veniret, mox vili emeretur & etiamnum viliſſimo vendatur, non obſtante inſigni iſta, qua nunc diſtrahi ſolet, quantitate, ſcrupulus inde quibusdam ortus: *an ex aquis illis mineralibus revera prodiret hic ſal?* Nam, ſi vel omnis aqua *epſomenſis* nil niſi ſal eſſet, illa tamen ſcaturigo vix tantæ prodigalitati ſuffectura videbatur. Pharmacopœus quidam *Ultrajectinus*, non tam hac ſuſpicione, quam ut ſumtus compendifaceret, ingenii nervos eo intendit, ut imitamentum quoddam hujusce ſalis excogitaret, atque, cum re varie tentata finem non aſſequeretur, in conſilium adſcivit Dn. DIPPELIVM, ſub DEMOCRITI CHRISTIANI velo non ignobile nomen, in vico *Mærſen* haut procul *Ultrajecto* etiamnum habitantem, (quem, cum in ædibus ſuis inviſeremus, experti ſumus comem & beneficum.) Hic, uti pollet acri judicio, in *Sale mirabili Glauberi*, ſe quod quisque a *Sale Epſomenſi* ſperare poſſet, inveniſſe putavit, effectuque purgatorio eodem experto, ſe minime falſum eſſe comprobavit. Ab eo tempore in *Hollandia* paſſim *Sal mirabile Glauberi* paratur, ac pro *epſomenſi* publice, re neutiquam diſſimulata, venditatur & emtitatur.

Amicus quidam meus mihi *Stuttgardia* miſit *Salis epſomenſis* deſcriptionem ſequentem: ℞. ☉ *marin.* ℥xvj. *ol.* ☿*li* ℧ *ll.* ℥xx. *Sal contuſum in vaſe ferreo torreatur, cui poſtea in vas ſiglinum immiſſo ſenſim inſtilletur ol.* ☿*li ſemper agitando ſpatula lignea, donec magma colorem & conſiſtentiam axungiæ rotarum induat. Affundatur aquæ fontanæ menſura una cum dimidia* (id eſt ℔ ß. vij. pond. med.) *coquendo, evaporando & in* ♁ *lo aperto calcinando, usque dum fluere cœperit, tunc denuo ſolve ac in aqua coque, usque dum ſupernatet materia ſpermatis ceti ſimilis. Vaſi lapideo commiſſa materia reponatur in hypogæum, cryſtallique aquam decantando colligantur, quæ denuo inſpiſſata rurſum cryſtallos largitur.* Meam ut mentem aperirem, numquid ea mihi deſcriptio genuina judicaretur, Ami-

cus

cus iſte meus rogavit. Expenſam igitur penitius eam a dicto *Sale mirabili Glauberi* parum vel nihil in fundamento diſcrepare deprehendebam. Quantillum enim eſt, quod ab eo differt? niſi quod GLAVBERVS, loco *marini*, *Sal commune* recipiat, olei vitrioli ſit æquale pondus & ♃☉ ex horum commixtione per deſtillationem evocetur, cætera ſunt eadem. Adibam heic *Hagæ-Comitum* DN. SCHROEDERVM, Pharmacopœum Teutonicum, virum elegantem. Quærebam ex eo, an haberet *Sal epſomenſe?* quid ni? inquit. Fac, dico, ut videam. Promit vitrum capax, ac in eo guſtandum præbet, atque contrectandum illum Salem, qui totus humebat, alias tamen ſaporem *Salis epſomenſis* exacte ſatis mentiens. Interim tamen ab eo ſale, quem & *Stuttgardiæ* & *Auguſtæ Taurinorum* videram, me quidem recordante, differebat in hoc maxime, quod hujus cryſtalli fuiſſent longe teneriores & oblongi, *Schrœderiani* Salis craſſi & quadrati, quales eſſe ſolent ſalis communis. Numquid eum ex *Anglia* advocaret, quæro? Non, ait, ſed ipſe paro, nec enim eſt quidquam aliud, quam *Sal mirabile Glauberi*, nec præter hoc datur ullum aliud *epſomenſe*. Ut mihi de rei veritate promtius perſuaderet, ſe cum cive quodam *epſomenſe* locutum adjiciebat, qui, nunquam ex aquis mineralibus *epſomenſibus* vel unicam hujus Salis drachmam prodiſſe, ſancte affirmaſſet. Ob diverſitatem tamen cryſtallorum a me deprehenſam, fidem plenariam adhibere nolens, litteras *Londinum* exaravi ad DN. HANKEWIZIVM, Chymicum famigeratum, inter alia Phosphori chimici monopolium exercentem, cujus elaborationem ſe ſolum tenere putat. Olim hic vir Illuſtriſſimo DN. BOYLEO a carbonibus fuerat, Chimicus, ob litteraturæ defectum, potius practicus, atque, ut Galli loqui amant, *par la routine*, quam theoreticus. Rogavi hunc, ut me certiorem reddere ne gravaretur, numquid *Sal epſomenſis*, aquæ iſti, a qua nomen mutuatur, ſuos natales deberet, an eſſet factitius, *mirabilis Glauberi* aut ſimilis aut forſan idem? Reſpondit mihi, quæ ſequuntur: Multum diſtat *Sal epſomenſe* ab illo *Glauberiano*, quippe quod ſit concretum naturale

rale ex aquis iſtis mineralibus evaporatione collectum, in quo valde extenſa ſunt ſalina ſpicula per terram, cui ſociantur, homogeneam, hinc ob poroſitatem ſuam in minima aquæ quantitate facile ſolubile: factum ad hujus imitationem e ⊖. Com. & ol. ⊕ l. ob terræ paucitatem continet acidum longe magis concentratum, proinde poris denſioribus conſtat, hinc, ut ſolvatur, aquæ longe majori, triplici nempe, vel quadruplici copia opus habet. Sed & ſapore notabiliter differunt. Amaritudo in *Epſomenſi* grata, leniter linguam feriens, & ipſum calore quodam faucibus amicum; in perſonato ſale metallica auſteritas amarori juncta, quæ frigoris quendam ſenſum imprimat palato. Præterea nusquam terrarum, niſi in *Anglia*, ſal iſtud reperitur. *Angliæ* nempe ſolum aluminoſum, cujus acidum debita ſalis communis proportione in aquis *epſomenſibus* ſolutum, hoc nobile concretum gignit, figura longe ſubtiliore ac teneriore, quam illud *Glauberianum*. Denique *Sali epſomenſi* ſoluto ſi inſtillatur alcali volatile, terra quædam alba inſigni quantitate præcipitabitur, quorum nihil fieri comperitur in *Glauberiano* vel ſimili. Utraque tamen ſalia alvum ſollicitare negari non poteſt, ea reſtitante ſola differentia, quod *Sal epſomenſe* contineat acidum ſulphureo-aluminoſum mitius, mollius & naturæ noſtræ amicius; vitriolis autem ipſius acidum ſulphureo vitriolicum metallicæ & rudioris naturæ. Hactenus HANKEWIZIVS. Quis jam de ingenuitate hujus viri dubitaſſet? Non ego ſane, confirmatus in mea ſententia per integerrimum toties jam laudatum DN. SEBAM, ex eo, quod affirmaret, ſalem mirabilem longe majore pretio conſtare, quam *epſomenſem*, argumento haut obſcuro, iſtum pro hoc non niſi ab inſulſo mercatore vendi poſſe.

At vero nuper me convenit Chimicus egregius, vir theoria & praxi inſtructus, DN. NEVMANNVS, qui nunc a tempore jam diuturno, *Londini* fruitur & hoſpitio & convictu celeberrimi Medico-Chirurgi DN. CYPRIANI, ac inſuper familiariter ipſomet HANKEWIZIO utitur. Hic de *Sale epſomenſi* a me rogatus in modum ſequentem diſſerebat: Sal hic non ex aquis *epſomen-*

fibus paratur, quæ Salium adeo divites non sunt, ut horum vim tantam largiri queant, quamvis talismodi salem suppeditare possint, ac forsan ab initio, antequam medicamentum hoc tam avide expeteretur, ex illis paratus fuerit. Nec etiam est *Sal mirabilis Glauberi*, quippe ab eo per qualitates, quas in epistola sua descripsit HANKEWIZIVS, notabiliter distans. Fit autem *e lixivio salis communis, cui filtrato admiscetur colcothar ☉li a ☾llatione ☋us residuum, e qua mixtura coctione, evaporatione & crystallisatione generatur.* Lixivium istud vocant, ait, *matrem Salis*, die Saltz-Mutter/ quemadmodum lixivium nitrariorum, e quo conficitur alba magnesia, appellatur *mater nitri*, die Salpeter-Mutter. Sal enim cibarius, addit, partim ex *Indiis*, partim e *Lusitania* & in *Angliam* & *Hollandiam* vehitur, feculentus adhuc multisque scatens impuritatibus, quem elutriatione cum aqua communi facta, prius purificant, quam culinis admoveatur. Lixivium inde pronatum cum ☹ ☉li constituit, modo dicto, *Salem epsomensem*, qui vili pretio propterea venire potest, cum e revili & abjectitia paretur, nam istud lixivium hactenus tanquam inutile rejectum fuit.

Hinc est quoque, quod tanta ejus copia haberi possit. Sed, nec istud reticebat NEVMANNVS: non interrogandum a me fuisse HANKEWIZIVM, quippe, qui sibi quæstum ex eo sale pararet vix credibilem. Interesse igitur illius, ne quis non credat; *aquas epsomenses* hoc medicamentum largiri, aliter enim sors illa tam fructuosa fuerit peritura. Postremo, se ipsammet præparationem non semel vidisse, adstitemque paranti HANKEWIZIO fuisse affirmabat. Dn. SEBA se aliquando bis mille libras hujus salis, *Londino* omnes acceptas, una vice possedisse mihi fide germana asseruit. Cæterum & hujus medicamenti fama jamjam decrescere cœpit; sic ut lucro futuro desituro cum præterito Dn. HANKEWIZIVS contentus esse debeat; nam indies magis illa fama minuetur, immo, me stipulatore, plane exspirabit. *Sal* certe *polychrestum Scretianum*, cujus in meis *Miscellaneis* dedi descriptionem, viribus, si non majoribus, iisdem tamen re-

vera

vera pollet, uſu nunc tot annorum probatiſſimum. Et, quid? ſi omnia ſalia medica eadem doſi ſumta purgarent? Ego his talibus didici carere, immo careo libenter. Nos Germani, uti ſemper ſumus exterorum imitatores & admiratores, ita vel colchicum nobis futura ſit panacæa, dummodo nomen obtineat *panacææ* vel *Britannicæ* vel *Gallicæ &c.* O ſi nobiſcum aliquando habitare diſceremus! Pluris apud nos plerumque peregrina hujus commatis pharmaca æſtimantur, quam in ipſo ſuo natali ſolo. Quadrat in nos dicterium: *Tute lepus es, & pulpamentum quæris.*

P. S.

Poſteaquam iſthanc obſervationem jam *Auguſtam Vindelicorum* miſiſſem, navi tractoria, qui eſt mos regionis, *Lugdunum Batavorum* vectus, inter alios Dn. Profeſſores etiam celeberrimum Le MORT viſitavi. Varios inter ſermones Chimicos etiam de *Sale epſomenſi* orti ſermones. Dicebat vir expertiſſimus, fruſtra Chimicorum aliquos de magnitudine, quadratura rudi & difficili ſolutione *Salis mirabilis Glauberi* conqueri, dum eum rite parare neſciant. Obſervata enim legitima encheireſi, cryſtallos eum æque teneros adquirere, ac in æque tantilla aquæ portione ſolubilem eſſe, ac ipſe, qui pro genuino circumfertur, *Sal epſomenſis*. Hunc autem ultimum ſe parare e *Sale marino cum oleo Vitrioli* (quæ ſunt ingredientia *Salis Glauberiani*) addita tantilla portione *Vitrioli* ♂ (cujus tamen pondus mihi non declarabat.) Atque ſic fieri *Salem* tenerrimum, a *Sale Epſomenſi* nulla vel levicula nota diſtinguibilem, quin eodem plane effectu præditum, adeoque verum *Salem epſomenſem.* (*)

(*) *De Sale cathartico Anglico Ebshamenſi peculiarem Tractatum ſcripſit D. Nehemias Grevv impreſſ. Londin. Anno 1685.*

Jam igitur habemus 5. ☉*is epsomensis* traditiones. 1. Salem ex aquis *epsomensibus*. 2. *Mirabilem Glauberi* communi more. 3. & eundem additione *Vitrioli martis* modo *le Mortiano*: 4. loco *Salis Marini* cum *Sale communi*. & 5. denique e *lixivio* ☉ *comm. cum Capite Mortuo Vitrioli* paratum. *Quis circumspectus Practicus ejusmodi pharmacis tuto fidat?*

OBSERVATIO CLXXIV.

Dn. Lic. ROSINI LENTILII.

De

Guttis anglicis, medicamento polychresto.

DOminum NEVMANNVM Chimicum, de quo in antecedente observatione, nuper ex *Anglia* advenam, qui jam diu *Londini* moratus est, eoque rursum redibit, inter alia rogavi: *An guttæ Anglicæ* (les goutes d'Angleterre) *adhuc in istis Insulis multo in usu essent?* Ipse ne quidem nomen sibi notum esse respondit, argumento novo, ab exteris haut raro pluris æstimari medicamenta nomen regionis præ se ferentia, quam ab ipsismet illius regionis indigenis. Postea vero quam ipsi rem prolixius declararem, e nupero discursu cum ipso habito intelligens, quod *Historiam Academiæ regiæ scientiarum* legisset, nempe in ejus quodam Tomo guttas illas describi; Jam earum, inquit, recordor, destillantur nempe e *serico crudo*, & nonnunquam cum *oleo cinnamomi* rectificantur, ac in deliquiis hystericis, consimilibusque insultibus odoramenti loco inserviunt, quas frequenter ipse paravi, quippe TOVRNEFORTIO familiaris: At vero, pergit, nullus de his amplius *Londini* sermo, ita ut vel ipsum nomen ne quidem audiatur. Interim mirum esse dicebat, *sericum crudum* spirituum tantam copiam largiri, quantam nec ipsum *cornu cervi* præbeat.

Nihilominus cum & in *Italia* & *Germania* nostra passim adhuc istæ guttæ concelebrentur, non incuriosum fore duxi, si

& de

& de his mihi quædam comperta notarem. Sic autem ex *Memoir. de l' Acad. royal. des sciences Ann. 1700. p. 93.* in latinum traducta sonant: *Spiritus serici volatilis cum oleo cinnamomi, aut cum alio quodam oleo essentiali rectificatus, illud suppeditat, quod appellatur les veritables Goutes d' Angleterre.* LISTERVS *regiæ societatis membrum, Londinensium Medicorum haut equidem postremus, mihi communicavit illud secretum, quod in Anglia adhuc caute occultatur. Experientiæ debetur, guttas illas, id est Sal volat. serici rectificatum & suaveolens factum cum oleo quodam essentiali, in affectibus soporosis multum valere nec non in variis deliquiis, usu tam in- quam externo odoratorio. Nec tamen eas præparatis e Cornu cervi, Sale Ammoniaco, spiritibus vel Salibus volatilibus oleosis usualibus præferendas judicem, nisi forte quoad odorem, qui tam gravis ac tetricus non est, adeo, ut magis hæ guttæ delicatioribus ægris convenire queant.* Hucusque *acta regiæ Academiæ.* Sed vero longe alia descriptio nobis exhibetur in epistola a DN. BIET, *Pharmacopæo regio Parisiensi* primario, ad DN. LEBRATIVM *Pharmacop. Lugd. Allobr. d. 29. Apr. 1713.* exarata, cujus rursum verba in latium traducta sunt pene sequentia: *Plures circumferuntur compositiones sub guttarum anglicarum titulo, quibus ille falso tribuitur, interdum etiam non sine decumbentium noxa propinatis. Præferenda autem omnino est nostra illis omnibus, quæ vel ex serico, vel araneis, vel aliunde desumuntur. Inventor primus* GOTTWALDVS *Medicus Londinensis, qui CAROLVM II.* REGEM *ab omni ope humana derelictum hujus medicamenti virtute mortis faucibus eripuit. Compositionem* REX *dictus a* GOTTWALDO, *licet ægerrime, obtinuit, pretio* 2*5*000. *Imperialium, fide tamen silentii prius stipulata. Descriptio talis est:* ℞. *ras. cran. homin. suspensi de laqueo, vel morte violenta extincti,* ℥v. *viperar. exsicc. ras. Corn. cerv. & ebor. aa.* ℥ij. *Fiant omnium tres partes æquales, ex totidem retortis igne reverberii destillandæ, cautelis illis adhibitis, quas in destillatione CC. vel viper. adhibere par est, idque ad siccitatem.*

Postquam retortæ refrixerint, affusa spiritus ☽llati portione Sa volatilis parietibus colli retortæ affixus, solvatur; hinc vitro capaci, quod evocatum est, infusum per chartam emporeticam filtretur, ut oleum inutile separetur. Liquor filtratus per Retortam vitream ex ∴ ☽lletur, cui adaptanda est alia Retorta vitrea, quæ pro excipulo inserviat, commissuris probe lutatis. Fiant cohobia tria semper admixto Sale retortis adhærente, quantum ejus potest separari. Post destillationem tertio factam, liquor, qui transiit, omnis infunditur in cucurbitam proceram, cui imponitur alembicus, cum excipulo parvo, juncturis omnibus vesica madida probe munitis, imponatur ☾Cta △ ∴ leni, sublimabitur tunc adhærens capitello Sal volatilis; augeatur △ & transscendet spiritus illum salem dissoluturus, quo soluto ☾Ctam statim ab △ remove, ne plus liquoris transscendat, quæ encheiresis est prora & puppis totius destillationis, atque sic paratæ sunt guttæ. Dosis est a gutt. vii ad L. in affectibus soporosis, febribus malignis, variolis, morbillis &c. Reperitur hæc epistola in *Memoir. de Trevoux 1713. Aoust p. 1409.* Eo vero libentius utrasque descriptiones heic adduxi, quod utrique libri non in omnium manibus, in Patria præcipue nostra, versentur.

Vtra descriptio sit verior, quis certo determinare ausit? Tutius profecto semper a medicamentis abstinetur, quorum præparatio non sit exacte cognita, quidquid etiam de illis vel deprædicent lucripetæ buccinatores, vel de genuinis eorum descriptionibus jurato quoque asseverent aliqui partim innocenter creduli, partim impostores malitiosi. Sapio, quantum ad me, piscator toties ictus, ictibus viperinis medicamentorum *mercurialium*, quæ mihi a viris quoque celeberrimis adeo fixata laudabantur, ut salivam nullo modo, diuturno licet usu, sint motura, moverunt tamen, cum ægrotorum alibi degentium periculo, qui, a me, nihil tale metuente, non moniti, regimine salivationi debito sibi non satis cavebant. Alias ultima hæc BIETI *Guttarum anglicarum* descriptio, cum *Spiritu bezoardico* BVSSI magnam habet affi-

affinitatem, nec medicamentum aut inutile prorsus, aut periculosum judicandum existimem. Id modo dico, certitudine ne quidem morali nos tutos esse posse, an quod descripsimus, idem sit illud, quod sub *guttarum anglicarum* nomine celebratur.

OBSERVATIO CLXXV.

Dn. Lic. ROSINI LENTILII,
De
Terra Sicula Panormitana.

OMnes vel ex intimis Terræ visceribus erutæ quisquiliæ, dummodo non sint antea visæ, sed novitatis titulo commendabiles, in thecas officinarum cooptantur, quasi vel omne sabulum aut lutum ad usus medicinales creatum esse oporteat. *Taurini* & in pluribus *Italiæ* locis *arena* quædam in *Sicilia* prope *Panormum* (*) effossa pharmaci polychresti vicem obire cœpit. Primus de illa mihi locutus est *Frater Capucinus a monasterio montis trans Padum prope Taurinum.* Ea se contra insultus hypochondriacos summo cum emolumento uti prædicabat. Perhiberur efficaciæ summæ absorbens, adeoque *specificum* quasi hypochondriacum. Nonnihil ejus arenæ ex *Officina montis Capucinorum* accepi. Gryssea fuit, odoris ac saporis, saltem notabilis, expers, ponderosa. Aliam ex *officina Fratrum Minimorum*, aliis instructiore, petii, longe priori candidiorem & subtiliorem, sed æque gravem. Hujus arenæ ℥j. imo & ℥ij. in aquam fontanam infunduntur, cochleari tamdiu agitando, donec materia effervescere, quod fieri solet, desierit, quo facto consistentiæ pultaceæ

(*) *De hac terra Sicula Panormitana agit in Museo physico & experimentali Bocconus obs. 7. & 12. sub nomine Pulveris Claramontani vel Terræ Bairæ; vid. etiam ejusdem Boccone Curiose Anmerckungen A. 1697. editæ, num. 18.*

ceæ materia assumitur, idque bis in die ad 3. septimanas fine curandi. Accepi hujus arenæ in pollinem contusæ ℈ß. instillavi in vitro ☾ Vitrioli bonum, absorpsit a 60. ad 70. guttas vehementer effervescendo. Curiosissimum erat videre, non tam bullulas, quam ipsius Spiritus quasi quædam fila ingentissimo numero, mira altitudine, inter effervescendum supra vitri margines projecta fuisse; instar fonticulorum salientium, quos Galli vocant *Jettaux*, sic ut arcus quoque formarent aquea ista fila rursum in vitrum delabentia, wie die Spring-Brunnen mit allerley Aufsätzen. Diu vero durabat ista ebullitio, pulvere quidem non soluto, sed spiritu omnem acrimoniam amittente. Accepi *magnesiæ albæ* tantundem, exploraturus, qua absorbendi virtute hæc duo alcalia ab invicem distarent, sed impense mirabar, ultra 30. Spiritus Vitrioli guttas non fuisse destructas, cum ebullitio per affusionem hujus Spiritus super *magnesiam* OTTMANNIANAM, non ante cessârit quam 130. guttæ instillatæ fuissent, tantum interest, ut *magnesia* probe paretur, quod obiter noto. Neque enim post absolutam effervescentiam Spiritus Vitrioli acorem omnem deposuerat, bullulis quidem etiam numerose prosilientibus, spectaculo tamen tamdiu non durante, nec Spiritu fila ducente. *Terram* igitur hanc *Siculam*, quam vocant, ab affusione aquæ fontanæ effervescentem, quod supra dictum, denuo considerans, in eam deveni suspicionem, *an forte quædam esset calcis vivæ species, vel quasi?* Incidebat in *Sicilia* per ignes subterraneos, qui ibi, teste *Ætna ignivomo* crebrisque Terræ motibus, supponendi plures, lapides quosdam calcarios in ♆ exuri, indeque existere ♆æ æmulam isthanc cum aqua fontana ebullitionem, quamvis *Panormi* ab *Ætna* sit longa satis distantia. Totam enim propemodum *Siciliam* abundare pyrophylaciis istis verisimile credebam. Cum autem domi etiam examen instituissem, affundendo illi arenæ aquam fontanam, percepi quidem ebullitionem, sed vix ultra momentum durabilem, quantam etiam, imo ferme fortiorem aqua fontana *magnesiæ albæ* affusa excitare valet. Nondum itaque certo affirmare ausim, *terram Siculam*

par-

participare de natura calcis vivæ, præsertim cum credibile sit, alias quoque terras alcalicas affusione aquæ effervescentiam momentaneam excitaturas, quod experiendum. Quid si tentaretur experimentum cum ista *Terra* ibi statim loci, ubi effoditur? Calx enim viva libero aëri diutius exposita cum aqua non ebullire comperitur. Certe in *officina Fratrum Minimorum* e vitro probe clauso exemta terra ab affusione aquæ longe potentius, quam domi meæ, efferbuit.

Quiescere quoque sivi scutellas utrasque, *magnesiæ* nempe, *terræque Panormitanæ*, quibus aquam affuderam, hæc in superficie cuticulam seu cremorem deposuerat, qualem & aqua calcis vivæ separare solet; quam cochleari sublatam & exsiccatam reperi candidissimam, gustu non nisi levissime, quin vix leviter, salsidulam. Nil tale cum *magnesia* factum. Lixivium quoque, ut sic abusive loquar, *magnesiæ* saporis omnis plane expers erat, illud vero *terræ siculæ* sapore quodam levi linguam feriebat, sed tali, cujus naturam describere non possum. Scripseram de hac *terra*, potius *arena*, ad *Excell.* D. ELIAM CAMERARIVM nostrum, qui mihi inter alia *Tubinga* rescripsit; *largam esse hujus terræ dosin, sive sit bolus, sive lactis lunæ æmula, sive soboles combustionis subterraneæ, quod de* SICILIA *haut improbabili conjectura suspicatus fuerim.* De dosi deinceps. Interim hæc *arena* non est *bolus*, quia *arena*, non cohærens, nil pingue habens, nec linguæ semet adglutinans: non est *lac lunæ*, quia multo gravior, nec æque tenuis & porosa. Celeberrimus MANGETVS in litteris ad me *Genevæ* datis, *judicium*, scribit, *tuum de natura* TERRÆ PANORMITANÆ *quam maxime arridet, & experimenta, quæ in hac sumsisti materia, satis superque probant, illam ad calcis vivæ vulgaris indolem omnino accedere, cujus lixivium non parum itidem hypochondriacis ac aliis cacochymis, imo etiam ipsis hydropicis confert.*

Etiam hæc *Terra* sorte non meliore fruetur, quam alia plura medicamenta noviter introducta, & hyperbolice, pro more, laudata, qualia non facile in usum trahent Practici circumspe-

cti, longo usu exercitati, & a largo promisoribus hiatu nonnunquam falsi. Ad morbos chronicos commendata ejusmodi medicamenta, qua simplicia, qua composita, sua non raro encomia per longum temporis spatium sarta tuentur, quippe magna cum fiducia ab istis semiægrotis, præcipue hypochondriacis, assumta, qui, ubi symptomatum, secuturas etiam sine medicamento, sentiunt inducias, magna spe inflati triumphum canunt ante victoriam, aliique alios tamdiu seducunt, donec redeunte haut raro majore cum ferocia morbi impetu, in aliud extremum, plenarium scilicet medicamenti contemtum dilabuntur. Eleganter in hanc rem Dn. PESCALOTTI *Med. Lugd. Allobr.* in tractatus Gallici 1706. 8°. sub titulo, *Traité de l'eau de mille-fleurs, remede à la mode*, editi præfatione scribit: *Quel peu de bon sens? On voit reussir un remede sur quelqu'un, il est bon, dit-on, pour tous. On le voit manquer sur quelqu' autre, son proces est fait, il ne vaut plus rien. Voila le sentiment du public.* Id est: *quanta est hæc judicandi ἀῤῥωστία? Si quando medicamentum huic utile fuit, extollitur ad fugandos omnes morbos: sin idem in alio optatum effectum non ediderit, lata est sententia, idque ceu nullius valoris proclamatur. Talia sunt vulgi* (immo & sibi & aliis mage sapere visorum) *judicia.* Fatum hoc subierunt *cortex peruvianus, saccharum lactis, magnesia alba*, quædam alia, quæ taceo, ne crabrones irritentur. Huc pertinet illud ECCLESIASTICI XL. 39. 40. *Omnia opera Domini sunt bona, & quodlibet eorum* SVO TEMPORE *prodest, ut vanum sit dicere: non omnia sunt bona. Nam unumquodque* SVO TEMPORE est utilissimum. Revertor ad *Terram Panormitanam.*

Calcem hanc, ut alias forsan non inutilem, tanto pondere, per tempus adeo longum quotidie devoratam esse corpori utilem, nemo mihi facile persuaserit. Amicus quidam meus nuper e Patria scripsit, *magnesiam albam* atro carbone notari cœpram, propterea, quod in civis *Eßlingensis*, qui ea copiose uti consveverat, demortui & aperti ventriculo non spernenda illius quantitas fuerit reperta. Quamvis autem ob hoc phœnomenon

ma-

magneſiam, quod ſit noxia, calumniari, ſit injuriam innocenti medicamento inferre; hoc tamen inde patet, ejusmodi *terras calcarias* & *alcalia fixa* magna copia diu aſſumta, in fundo ventriculi, præcipue pituita viſcida repleti, vi ſuæ gravitatis hærere poſſe, non hærere ſolum, ſed eum pondere ſuo aggravare, digeſtionem impedire, ad ſtatum corporis cachecticum alias proclives in ſupplementum perfectæ cachexiæ præcipitare, uno verbo, nocere. Non enim dubito, quin alia id generis *alcalia fixa*, *Cornu cervi uſtum*, *Oculi cancri*, *creta alba*, *terræ ſignatæ*, *boli*, *conchæ præparatæ*, ſi quis modum æque in utendo excedat, moras ejusmodi in ſtomacho tractura ſint, in ejus fundo poſt mortem, ſiquidem eorum corpora luſtrare liceat, reperiunda. Quod magis cum aliis, quam ipſa *magneſia*, contingere poteſt, quum hæc alvum ſubducendi facultate polleat, qua deſtituuntur *calces abſorbentes* reliquæ. Id enim præcipuum ſibi præ omnibus aliis *abſorbentibus* ſervat *magneſia*, ut non tantum imbibat, ſed etiam evacuet acidum. Hinc illam qui ſumunt, plerumque de ardoribus ani ſummis in actu depoſitionis alvi queruntur, ſigno meliori, quam ſi ſecus evenerit: nam ejusmodi ſedes urentes in cachexia pituitoſa quis fruſtra expectaverit. Uſurpanda igitur *magneſia*, uſurpanda quælibet hujus commatis medicamenta doſi moderata, diebus non multis, ac præſente debita indicatione, quando nempe per indicia certa conſtat, ineſſe primis viis acidum. Sæpe enim, ubi maxime creditur ineſſe, ibi minime inveniri in corpore acidum, ſum valde perſuaſus; perſuaſus etiam hanc *Oxymaniam* plurimorum jam funerum cauſſam fuiſſe. Non alia compulſi ratione *vina lixivio cinerum clavellatorum dulcificata*, contra quorundam Medicorum placita, vetanda judicavimus pridem *Archiatri Würtenbergici*. Laudabantur illa, ut ſalubria, quippe alcaliſata, acido contraria, quaſi nusquam non ſit in corpore acidum. Hoc itaque certum: In corporibus cachecticis, pituita fatua abundantibus, tono ventriculi exiſtente flaccido, liquore gaſtrico inerte, non tantum, etiam in reſtricta

dosi, ejusmodi medicamenta non prosunt, sed nocent quoque stomachi rugis impacta morasque ibi trahentia. Alterantia sunt. Hostem suum, acidum imaginarium, ubi non reperiunt, naturam, cui supperias ferre debebant, turbant ac successive destruunt. Hujus *cæmenti Panormitani* (Mörtel) intra tres septimanas ℔vij. medicinales deglutiendas dare, terribilis est, nec digna elegante Medico medicatio, ac inde quid boni effectus sibi polliceri velle, vanum est. Confentientem habemus nobis supra laudatum Dn. CAMERARIVM, qui in epistola memorata sic ad me: *Tanta dosis obruit stomachum, & ejus fermentum. Hæc offa, sin hypochondriacorum obstructiones expedire valet, eas tamen apta nascitur augere.* Nec tamen inde me deterreri patiar ab usu congruo familiaris mihi *albæ magnesiæ*, illius præsertim, de cujus genuina præparatione mihi certo constat. Nam & hæc suos habet imitatores, ac intempestivos compendiariosque correctores, qui sumtuum laborumque parci, horum semper epitomes quærunt. Nulla denique *calce* facilius, quam illa *panormitana*, nihilo pauperiores Officinæ nostræ possunt carere.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXVI.

DN. Lic. ROSINI LENTILII,

Aquarum quarumdam ſimplicium examen chimicum.

OTii fallendi cauſſa, quid a ſe invicem diſtarent aqua pluvia & aliquæ fontanæ *Taurinenſes*, utraque utri ſit præferenda, per reagentia ſic dicta examinare decreveram. SERENISSIMVS enim PRINCEPS, cujus valetudinem etiamnum curo, potui vini tum nondum adſueverat, ſed *aqua fontana cum CC. uſto ſeminibusque aniſi & fœniculi decocta*, ſitim inde ab infantia adhuc dum ſedabat. Mearum igitur erat partium, ut aquam mihi præ reliquis ſaluberrimam viſam pro iſto decocto ſeligerem, quibus aquis *pluvialem* ſola ductus curioſitate, jungebam. Tres autem cumprimis fontanas explorandas mihi ſuſcipiebam, primam nempe e puteo ad ripam *Padi*, prope pontem, quo flumen tranſitur. Hæc enim *Taurinenſium* primum locum occupabat, nec puteus ædicula clauſus ulli hominum patebat, niſi *familiæ Ducali*, noſtroque PRINCIPI ex peculiari favore SABAVDI DVCIS, quam propterea decoctioni pro ordinario potu haſtenus adhibueramus. Secunda aqua erat putei in diverſorio ad inſigne *roſæ rubræ*, cui ſecundæ quoque poſt illum *padanum* tribuebantur. Tertia erat *putei in area domus noſtræ*, quæ non niſi proluendis utenſilibus, aliisque uſibus, qui intra corpus non ſpectabant, admovebatur. Inſtitutum examen *d. 11. Dec. 1711.* Excepta fuit *aqua pluvia* non e tectis ædium ſive per tegulas, ſive colliicia defluens, ſed immediate per aëra in ſuppoſitam terream pelvim delapſa. Primum igitur collecta hoc modo *aqua pluvialis* a nullo *liquore probatorio*, qui tunc mihi ad manus erant, vel leviſſimam eſt paſſa mutationem, eadem ſemper manens, nec turbida, nec tincta, nec ullum ſedimentum deponens, Quoad

reliquas tres aquas, illa *putei Padani* ab instillata *solut* ♀ parum turbatas & vix notabiliter colore cœruleo subpallido (*bleu mourant*) tincta fuit; idem observatum in aqua *rosæ rubræ* & nostra *domestica*. A *solut.* ♂ omnes tres aquæ vix paulisper flavuerunt, sine turbatione. A *solutione* Vitrioli ♀ omnes tres turbatæ & cœruleæ factæ sunt, ad modum perfecti *bleu-mourant*. A *solut.* Vitrioli ♂. *padana* valde turbata fuit cum tinctura flavidula; idem *domesticæ* nostræ contigit, *rosæ* vero *rubræ* minus reliquis turbabatur. Ab Oleo Tartari *per del.* omnes tres aquæ tenuiter opaluerunt. A *Sol. ♄ti. a Spiritu Sal. Ammoniaci* & *Sol. Sal. Comm. Gallarum & resinæ* nulla mutatio. A *solut. Sacch.* ♄ *Padanæ & rosæ rubræ* mediocriter, saturatius *domestica*; a *Solut. Argenti* vero fortiter *omnes* lactuerunt. A *Solut. Solis* dilutissime *Padana*, vix ad sensum ea *rosæ rubræ*, opaluerunt, *domestica* intacta relicta.

Ex hisce phænomenis clarissimum evadit, *aquam pluviam instar elementalis vel quasi, longe purissimam, maxime homogeneam adeoque & Jaluberrimam esse.* Neque nos ita soli statuimus. Habemus adstipulantes viros celeberrimos, cum de *aqua pluvia* tale quid κατ' ἐξοχὴν prædicantes, tum per philosophemata sua consequentiæ necessitatem subministrantes. Hos ultimos inter præfulget HOFFMANNVS celeberrimus *Dissert. Select. Part. II. p. 13. & 173.* Dum eas laudat aquas, *quæ ad nullius Salini liquoris affusionem pelluciditatem suam amittunt nec turbantur.* Atqui tales per experimenta nostra sunt de cœlo deciduæ. Ergo &c. Illos inter esto magnus iste HIPPOCRATES, qui *Libr. de aër. aq. & loc. pluvialem tenuissimam, limpidissimam, levissimam ac dulcissimam* pronunciavit. MVSGRAVE *de arthrit. anom. Cap. IX. p. 151. aqua pluvialis*, inquit, *optima, sed ea, quæ nunquam vel in nivem vel glaciem concrevit, nec tectorum calcibus, Salibus aut particulis lapideis inquinatur.* Addimus & illam, quæ non diu in cisternis adservata fuit, quippe, quæ putredinem & amaritiem nescio quam ingratam contrahit, quod toto die in *Hollandia* & cumprimis *Amstela-*

ſtelædami, contingit, ubi aqua ciſternarum quandoque tanto vitio contaminatur, ut ejus, niſi coctione & percolatione depuratæ, plane nullus intra corpus uſus eſſe debeat. Eadem eſt ſententia BROEKHVSII *in rat. Philoſ. med. ubi pluvialis aquæ bonitas ex eo quoque cumprimis probatur, quod carnes in illa quam ocyſſime coquantur.* Vid. *Tom. VII. 1687. nouvell. de la Republ. de Lettr. p. 377. ſ. it. Lemer. tr. des alimens.* Idem de cita leguminum coctione valet. Quod autem *aqua Pluvialis* quibuslibet aliis propterea ſit præferenda, quia ſalem quendam æthereum ſingularem, vel nitroſum quoque aut quemvis alium contineat, per experimenta mea facile refellitur. Quisquis enim fuiſſet ille Sal pluviæ *Taurinenſis*, per aliquem certe liquorum ſupra nominatorum ſe prodere debuiſſet, Sal nempe æthereus, naturæ ſine dubio alcalicæ, per liquores & Spiritus acidos; nitroſus per lacteſcentiam a ſolutione Sacch. ℏi inſtillata videndam. Negare tamen propterea nolim, aquam pluviam æqualiter puram omni tempore non eſſe, vernam forſan & æſtivam, autumnali ac hiberna puriorem, labentem itidem ſine, quam cum tonitru & fulguribus, immediate de cœlo, quam per ædium quæcunque tecta, recenter exceptam, quam ubiubi diu ſervatam. An autem Terra, e qua vapor in pluviam poſtea denſandus elevatur, ad hujus aquæ qualitatem momenti nonnihil afferat, de eo propterea quis merito dubitaſſit, quod ſublatas e terra cum aqueis vaporibus moleculas peregrinas, tam alte extolli, ut cum denſatis in pluviam vaporibus delabi poſſint, credibile non ſit. Certe nil tale noſtri liquores manifeſtarunt, etiamſi *Taurinenſe* ſolum ſit paludoſum & experimenta tempore hyberno fuerint inſtituta. Vid. *Excell.* BEHRENS *Select. Diætet. Sect. III. c. II. p. 316.* Vanus autem eſt omnino *Pharmacopola Taurinenſis*, qui *8. Maji 1712.* mihi narravit, ſe ℔j. aquæ pluvialis cum pauxillo vini & Sacchari jejunum frigide bibiſſe, indeque ſibi aliquoties alvum fuiſſe laxatam, quo eventu pluviæ vim ineſſe catharticam evincatur. Erat illa dies per ſe pluvioſa & horridiuſcula; quid mirum, alvum tempore matutino ſtomachoque vacuo a potu tam frigido irritatam

fuiſ-

fuisse? Videantur, quæ de aquarum examine chimico, ac in specie de pluviis æstate cadentibus curiosa scribit in eleganti *de Cœli Romani qualitatibus nativis & adscititiis tractatu*, illustrissimus *aulæ Romanæ Archiater* Dn. LANCISIVS, Patronus meus, præcipue *Part. II. cap. VII. §. 7. p. m. 149.* Item illa, quæ *Part. I. cap. XII. p. 51.* egregie monet, quo nempe pacto *aquæ pluviæ* impuræ reddi queant; quin etiam allegata denique ejus ex *Luc.* Anton. PORTII *tractatu de militum in castris sanitate tuenda, nempe, de percolatione aquæ pluviæ per arenam apud Venetos usitata.* Vtrum inter decidendum guttis pluvialibus, cum terræ propiores fiunt, heterogenei quid admisceri possit, nec adseruerim, nec præfracte negaverim, subtilitatis miræ effluviorum, eorumque sphæræ activitatis probe gnarus. Hoc tamen existimem, quod si quid admisceatur, id sane perpaucum & vix modo perceptibile esse debere adeo, ut tamen talis aqua præ putealibus istis minus heterogeneis temerata sit æstimanda. Certum quendam odorem, cum pluit æstate, nareis ferire verum est, quæ pluviæ ob eam caussam nominari solent frugiferæ, **fruchtbare Regen.** Sed emanationes istæ terræ potius ipsi, quam aquæ pluviali, plane debentur, e qua per pluviam madefacta illæ adscendunt; immo terreum quid olere naso judice constat. Qui denique *materiam universalem* in *aqua pluviali* quærunt, eam ad calendas græcas certo sunt certius inventuri. Si omnes fontes, quod multis placet, *aquæ pluviæ* debentur, eam filtratione quadam in Terræ poris non depurari, peregrini quid potius ista percolatione, pro soli conditione adsciscere, sulta per experientiam ratio credere jubet.

Ad *putealium* vero examen, quod attinet, parum a se invicem distant haustæ ex puteo *padano rosæque rubræ* aquæ. Continent autem omnes tres paucum *alcali volatile*, quod mutationes a *solutionibus martialibus & venereis* productæ probant. Opalescentia ab Oleo Tartari notat præsentiam *terræ calcariæ*, *Solutio* vero ☽ & *Sacch.* ♄ lacteascendo *Sal commune*, hocque copiosius in *aqua domestica*, quam reliquis; *Solutio* de-

nique

nique *aluminis* in *padana* & *roſæ rubræ* præſentiam quoque alcali tum fixi tum volatilis utrorumque, hujus præcipue, paucorum.

Recordor etiam ab *aqua* noſtra *domeſtica Sirubum violarum viriduiſſe*, teſtimonio naturæ alcalicæ, quam, excepta forte *pluviali*, aquæ fontanæ ad unam omnes plus minus obtinere videntur. Ut rem ſummatim complectar: *Aquis his mixta eſt terra calcaria, alcalica fixa majore, & Sal commune minimæ copia;* quod ineſt alcali volatilis, attendi non meretur. Id quoque notari velim, vitra mea probatoria ad tactum unctuoſa evaſiſſe, omnesque aquas probatas in cacabo confuſas viridiuſculas. Præterea ſunt in univerſa *Italia* celebres *aquæ Nuceriana*, quippe ſigillatis lagenis quaquaverſum portari ſolitæ, potuque decumbentium a Medicis dedicatæ. Has quoque ipſas in examen vocatas, quantum recordor, valde homogeneas inveni. Sed quæ a me tunc in ſpecie notata fuere, inter ſchedas meas domi reliqui, alio tempore communicanda. Minerales interim non ſunt, ſed ſimplices fontanæ.

Cæterum ad depurandas quaslibet aquas valde ſunt in uſu apud *Hollandos*, excavati quidam ahenorum in faciem, craſſi poroſique lapides. His infunditur aqua depuranda, quæ per eos vel palmum craſſos filtrata ſuppoſita terrea pelvi excipitur, atque ſic ab heterogeneis portionibus, craſſioribus ad minimum, quantum ſenſibus externis patet, liberatur; quantumvis enim turbida pellucidior cryſtallo deſluit. Aliqui ſunt adeo ſuperflue curioſi, ut tres hujusmodi ſitulas lapideas unam alteri ſupponant, quo purior ea triplici filtratione aqua deſtillet. Duum ſunt generum hæc vaſa, aliqua coloris e nigro gryſei, qualem poſſidet lapis ſciſſilis, & hæc, quippe ex *Canada*, *Americæ* (*) provincia petita,

(*) *De filtro lapide Mexicano Diſſ. ſcripſit M. B. Valentini Giſſ. 1702. Eandem etiam inſeruit praxi Medic. infall p. 733. Clericus in phyſica, effodi in agro Leodicenſi, plurimi in Hollandia uſus, ſcribit.*

pretio cariore veneunt, aliqua coloris tophacei, natale solum *Italiam* agnoscentia. Illa his præferuntur. An alio merito, quam, quod sint *Americana*, pro certo determinare non ausim. Hoc tamen observavi, lapide adhuc recenti existente, primis a filtrationis ministerio diebus, aquam percolatam, quantumvis pellucidam, saporis nescio quid terrei adsciscere, qui sensim usu filtrationis continuato perit. In ollis novis per primas decoctiones idem observatur.

Paradoxa dici meretur opinio celebris MARIOTTI, qui *aquam in statu*, ut ita loquar, *naturalissimo glaciatam esse credit*, id est, nisi ab alia quapiam caussa fluida reddatur, in continua quiete, hoc est, glaciali firmitate mansuram. Quo de vide recensionem tractatus ab illo editi *du mouvement des eaux & des autres Cors liquides* 1686. 12°. *in nouvell. de la Republ. de Lettr. Tom. VI. 1686. p. 914.*

OBSERVATIO CLXXVII.

Dn. Lic. ROSINI LENTILII,

De

Lemis crystalliformibus Virginis cujusdam nobilis.

Lacrymas petrificatas alicubi me legisse recordor, sive id fuerit in ACTIS MEDICIS HAFNIENSIBVS, sive in ZODIACO MEDICO-GALLICO. Libros enim hic admodum paucos habeo. Notabilia *lachrymarum* compendio tradidit WARLIZIVS tractatu singulari. Nos heic, si liberet, sistere possemus *crystalliformes*. *Lemas* appellare maluimus. Ita vero se habet locum inter curiosas omnino promerita observatio: HAGÆ COMITVM *d. 23. Aprilis 1714.* memet invisere dignatus est Medicus juvenis eruditissimus, Dn. SCHAPERVS, celeberrimi Professoris medici ROSTOCHIENSIS, Synonymi, ex Fratre ne-

nepos. Obtulit mihi benefice, quas adhuc poſſidebat pauciſſimas, *duas concretiones cryſtalliformes*, pellucidas, anguloſas, irregulari figura præditas, leves, quantitate ferme ſeminis cannabini. Patruum, dicebat, ſuum, laudatiſſimum *Dn. Profeſſorem*, ante hos annos, lippitudine rara diu afflictam, conamine haut infelici, reſtituiſſe *Virginem nobilem Megapolitanam*, quæ per tempus ſat longum in utriusque oculi conjunctiva concretionum ſupra dictarum magnum numerum generarit, quotidie colligendarum, de quibus *diſſertationem epiſtolicam* ſub titulo LIPPITVDINIS CRYSTALLIFERÆ ipſe Dn. Patruus dedicarit honori illuſtriſſ. Dn. de KRVG, *Archiatri regii* BEROLINENSIS. Oblatas mihi concretiones, ut merebantur, mirabar, epiſtolæ dictæ videndi valde cupidus, ut inde rei miræ circumſtantiæ mihi penitius innoteſcerent, quam igitur ab excellentiſſimo Dn. Auctore per litteras flagitare ſtatim decreveram. Vtut autem toties dictarum concretionum non niſi duas poſſediſſem, eas examinandi deſiderio victus, me continere non valui, quin alteram earum in vitrum clarum aqua fontana pura plenum immergerem. Minus autem unius horæ ſpatio, quod ſuſpicabar, evenit; nimirum *cryſtallus* mea in mucilaginem albam ſoluta vitri fundum anguſtum occupaverat, aqua deſuper manente limpidiſſima, in quam & quietam & concuſſam, naſo quidem & lingua mea judicibus, peregrini vel odoris vel ſaporis nil quidquam depoſuiſſe, deprehendebatur. Color ſoluti hujus concrementi erat opalis, concuſſo liquore aqua parum opaleſcebat, concremento inſtar lanæ carptæ diſperſo fundum ſuum cito repetente, & aqua claritati ſuæ reſtituta. Dixiſſes, te videre *ſolutionem gummi arabici*, vel *tragacanthæ* impurioris. Tecto caliculo per aliquot dies materiam quieſcere ſivi, quæ nullum inde fetorem contraxit, nec alia quapiam vel tantilla mutatione conſpecta. Quin & aqua decantata ſolutionem ſolam, proluto prius ore, guſtavi, ſed linguæ, præter quid mucaginoſi, nil offerebatur. Exſiccata denique ſolutio in pollinem impalpabilem fatiſcebat, quem linguæ impoſitum *gummi arabicum*, vel *gelatinam cornu cervi* ſic-

ſiccam ſapere judicaſſes. Plura tentamina, quod ſatis materiæ non ſuppeteret, inſtituere nec potui, nec volui, reliquam adhuc unam *cryſtallum* inter mea rariora ſervaturus, quam nihilominus per varia microſcopia luſtrando nil ſingulare exhibere vidi. Fruſtillum *camphoræ*, vel *vitrioli albi*, vel *gummi arabici candidioris*, quis inſcius ſe vidiſſe putaſſet. Ex iſtis tantillis experimentis *cryſtalliformes* haſce *concretiones* nihil aliud eſſe concludebam, quam *lemarum ſeu gramiarum peculiare coagulum*. Sunt autem *lemæ* vel *gramiæ* concretiones iſtæ mucoſæ, tenaces, interdum etiam quaſi puris cocti faciem exhibentes, quæ, maxime poſt ſomnum, in complexionibus humidioribus canthis oculorum, præcipue domeſtici majoris, affiguntur, interdum ſatis ægre abſterſibiles & gummoſam duritiem induentes. Cum vero has lemas adglutinari conjunctivæ, indeque colligi, mihi relatum eſſet, aliter judicare vix potui, quam eas vel eſſe ſobolem transſudantis per arteriolas, magno numero per conjunctivam ſparſas, ac in lippitudine haut raro valde turgentes, a ſanguine ſegregati ſeri viſcidiuſculi, vel ipſius humoris vitrei per corneæ & conjunctivæ ab ophthalmia diuturna magis expanſos poros promanantis. Concreſcere vero putavi in hujuscemodi grana pellucida ob humoris pauciſſima mixtura heterogenea terreſtri inquinati puritatem, quum alioqui, quæ eſt ſeri natura, facile in lemas coagulabiles exiſtant illi humores, & ipſe *humor* oculi *cryſtallinus* exſiccatus *cryſtallis* noſtris ſit parum diſſimilis.

Vt tamen omnium lux mihi major affulgeret, ad excellentiſſimum Epiſtolæ Auctorem ſcribere, hujusque vel exemplar, ſi unum adhuc, quo carere poſſet, ſupereſſet, modeſte petere, vel ſaltem uberiorem hiſtoriæ cum epicriſi explicationem deſiderare, non ſum verecundatus, eximia fretus illius tam elegantis Viri humanitate, qui non poterat non, quippe *cryſtallorum* copia inſtructus, experimenta capere, meorum uti plura, ita longe certiora. Non erat arduum, viri ad rem medicam ornandam aſſidui benevolentiam exorare. Quippe petitis annuit prompte, data non tantum *d. 24. Maji 1714.* humaniſſima reſponſione, ve-

verum & ipſa *epiſtolica diſſertatione*, unico & ultimo, quod poſſidebat, exemplari, transmiſſa, cujus beneficii non poſſum non grato ſemper animo recordari. Quinimo, cum Vir celeberrimus inſuper *ſibi non ingratum fore declaraverit, ſi caſus hic, revera rariſſimus*, OBSERVATIONIBVS ACADEMIÆ *noſtræ* CVRIOSIS *inſereretur*, id animo jam hoc alacriore præſto, quod, venia etiam non impetrata, fueram nihilominus mea ſponte præſtiturus.

Itaque *diſſertationis epiſtolicæ* 1704. d. 26. *Febr.* editæ ſumma hæc eſt: *Virgo* quædam *nobilis* diu cauſſaria 1703. circa *Septembris* initium præviis capitis doloribus & palpebrarum occluſione in oculi dextri cantho domeſtico tuberculum accepit, aciculæ nodulum prima quantitate non excedens, auctum vero ſucceſſive in piſi molem, ſine dolore. *Emollientibus* variis incaſſum adhibitis, ruptum poſt menſem ploravit ſerum flaviduſum, acre ſine dubio, quia tum capitis in eo latere dolor augebatur, tum & novus in illo cantho ſentiri cœpit. Equidem eo ſtatim, quo die cœperat, iterum ſeri fluxus ceſſavit, non itidem dolor, qui latius protenſus cum inflammatorio tumore dimidium capitis occupabat. Excoriationem veluti paſſum tuberculum inſtar ſpongiæ tumefiebat, &, quamvis haut raro per paucos dies doloris atrocia mitigaretur, ex improviſo tamen inſigni cum ferocia ſubinde recrudeſcebat, cum oculi rubore & ecchymoſi, palpebrarumque obſeratione. Quatuordecim poſt diebus malum idem oculum quoque ſiniſtrum infeſtare cœpit, cum inflammatione & occluſione, alia nulla differentia, quam, quod dolor hujus oculi quodammodo tolerabilior eſſet, ejusque palpebræ, quamvis non ſine labore, mane parum diduci poſſent, ut illius oculi non plane nulla viſio reſtaret. Octavo circ. *Octobris* id peculiare primo notari cœptum, nempe, cum antea palpebris nonnihil humoris viſcidi & puris velut exſiccati, prævia mollitione abſtergendi affigeretur, *nunc in utroque oculo & eorundem utrisque palpebris* CRYSTALLI *quædam* SALIS *hæſitare conſpicerentur*, quæ certo partim inſtrumento auferendæ, partim

collyrio madefactæ removendæ fuerunt. Elapso post remotionem vix horæ dimidio e noviter affluente sero limpido novæ *crystalli* renatæ. Bis illa quotidie repetenda fuit absterſio, qua facta mitius habere solebat ægra, profecta a *crystallorum* obsessione oculorum rigiditate tantisper diminuta. Remedia interim omnia hactenus in vanum adhibita fuerant, oculi manebant clausi, nisi quod remotis a sinistro *crystallis*, palpebrisque, ut dictum, ægre diductis, afflicta parum cernere quiret. Tuberculum spongiosum successive persanatum ac indolens factum; pupillæ utriusque oculi illæsæ, nec nisi parum rubescentes. *Crystallorum* ab 8. circ. *Octobris* usque ad eundem *Novembris*, id est, intra mensis circuitum ℥vj. collectæ sunt, præter eas, quæ collyrio mediante absterſæ. Sensim inde decrevit earundem copia, ut *10. Decembr.* quo excellentissimus Auctor ægram primum invisit, palpebræ jam aut nullis aut pauciſſimis *crystallis* obsiderentur, quæ, præter inæqualitatem angulosam adeo duræ compertæ, ut impetum pistilli sat diu sustinerent, in nitidissimum denique pollinem comminutæ. Microscopio perlustratæ inæquali superficie cum intermista albedine hinc inde nonnihil obscura seu fusca præditæ, suspicionem Dn. Auctori dederunt credendi, viscidas particulas intercurrentes variegati coloris caussas fuisse. Solutis in aqua, recedente in fundum limo, *crystallis*, ad vitri post latera denuo se affixerunt aliæ *crystalli*, quæ viscositate magna ex parte orbatæ & nudis & armatis oculis majorem pelluciditatem objiciebant. Porro eædem linguæ admotæ, papillas ejus nervosas ita corrugabant, ut earum quædam fibræ in cincinnos pæne resilirent, quemadmodum acido-austerorum hic mos est. Molestus in ore sapor per intervallum haut leve durans opinandi caussam dabat, *crystallos* ab *alumine* vel nihil, vel sane parum differre. Earum in alcohol redactarum ℈ß. *infusi thée* dimidium cochleare atrovirescente colore tinxit, sapore illius in acido-austerum verso, pulvere in fundum atramentoso ejusdem aluminosi gustus deturbato. Idem alcohol *sirubum violarum*, quamvis calore ignis in subsidium vocato, reddidit obscure virentem. Pollinis grana tria cochleari uno *tincturæ ligni nephritici* cum aqua simplici

plici factæ immerſa flaveſcentem inducebant & quaſi cerviſiarium colorem. *Cryſtallorum* ℈j. in aquæ cochleari uno mediante calore ſuppeditabat ſedimentum limoſum, quod exſiccatum ponderabat gr. ij. Aqua reſidua *Sale cryſtallorum* imprægnata *tincturæque ligni nephritici* inſtillata, turbidam hanc reddebat, flocculis quibusdam coloris e *fuſco aurantii* ſecedentibus. Per eam ſolutionem *ſirubus* quoque *violarum*, tum ſponte, tum citius adhibito calore, in viridem marinum colorem degeneravit. Cum ☋ Sal. ✳ci & *lixivio* Sal. Tartari vel *ciner. clavellat.* in coagulum lacteum viſcido-oleoſum, cum facili Spiritus urinoſi ſuppreſſione tranſiit, cujus veſtigia, vitri lateribus adhærentia pinguedinem attactu prodebant. Idem experimentorum ſucceſſus ab *alumine pulveriſato*, vel etiam *ſoluto*, niſi quod *infuſum thée* ab illis non adeo nigrum, nec *tinctura ligni nephritici* adeo turbida, nec ſedimentum album ab affuſione lixiviorum præcipitatum adeo viſcido-oleoſum evaderent. Cauſſam diſcrepantiæ excell. Auctor adſcribit defectui gelatinoſæ in *alumine* ſubſtantiæ. Viſcidum, ait, irregularibus ſuis ramis, intercurrentibus *thée* quibusdam particulis, profunda acetabula & excavatos ſcrobiculos facile format, in quos radii Solis incidentes majori copia ſuffocantur & tam ingentem relinquunt umbram. Eidem viſcoſitati major *tincturæ ligni nephritici* turbatio adſcribenda: oleum enim, natura ſua valde mutata, in viſcedinem totum recidit. Utraque tamen in eo conveniunt, quod lixivioſa tam in haſce *cryſtallos*, quam in *alumen* agant ſine ſtrepitu, *cryſtalli* quidem ob admixtam viſcoſitatem, *alumen* ob multas portiones terreſtres.

Viam ſeri acido auſteri viſcidi excell. Auctor ſtatuit *glandulam innominatam* dictam, per ramificationes arteriæ carotidis exterioris interius palpebras perreptantes, indeque oriundos canaliculos, in glanduloſos minimos acinos contortos, potiſſimum ſuperiorem palpebram ambientes, formatam, ordinarie quidem ſeri non majorem copiam, quam quæ a poris lachrymalibus reſorberi poſſit, ſuppeditantem, ſed in ægra ob irritatos ſpiritus jam copio-

piosiori affluxu oculos rigantem. Intra *glandulæ innominatæ* cubulos fluxile, ait, serum mansisse, spiritibus animalibus adhuc turgidius, ac particulis acido austeris viscidisque magis dispersis, elapsum vero, humiditate magis absumta & spiritu exhalante in coagulum abisse, quod fieri & posse & solere aliorum humorum exemplo probat, cumprimis lymphæ tenuis & claræ ex erosa cuticula profluentis & brevi in crassiusculam crustam abeuntis. Porro *crystallisationem* hanc facilem esse dicit, quum aër ambiens & spirituum dissipationem & partium aquosarum consumtionem adjuvet, unde Sal acidum viscido intimius mixtum promte coëat, quæ acidorum esse soleat consuetudo, ut, dum e poris aquosum pellitur, cum eo, a quo alioqui diversa sunt & quod arripiunt, sese coagulent & concrescant. Fontem denique *seri crystalliferi* accusat *sanguinem*, per arterias venasque vortice rotantem, labe jam aliqua per sesquiannum vitiatum, ac fortasse *scorbutico* quodam *endemio miasmate* in .acido austeram viscidam pravitatem corruptum. *Segnitiem alvi* durante hoc morbo insolitam de sanguinis hac indole testimonium ferre, effectum autem in iis locis, ubi ob debilitatem minor erat resistentia, potissimum semet exseruisse. Ex iisdem caussis, reliqua ægræ symptomata, v. gr. *mensium paucitatem, dolorem & obstructiones vasorum oculi, palpebrarum conniventiam, oculorum & capitis inflammationem & intumescentias, &c.* rite evolvit.

Additur denique *medendi methodus* cum adhibitis artis præsidiis, ac remediorum in · & externorum medico-Chirurgicorum ante se usurpatorum apparatibus. Excellentiss. vero Auctor suadebat interne, prius jam propinatorum, *absorbentium* usum, adjunctis *chalybeatis crudis* cum *diureticis e juniperо & ℞sis alcalicis*; subinde etiam *olei amygd. dulc. rec. expr.* cochlear unum vel alterum. Maximam vero curationis spem collocavit in *aquosa*, apta nempe nata ad omnes salium species dissolvendas, ad viscositates itidem subeundas ac discontinuandas. Hinc *decoctum radicis chinæ & sarsæparillæ cum aqua simplici para-*

paratum largo ſuadebat potu, exterius vero *vapores aquæ calidæ* oculis per infundibulum excipi volebat, cui addebatur *pulvis fabarum coffe toſtarum cum pulvere ſemin. fœnic. & bacc. junip. ſacculi e cephalicis, ophthalmicis & nervinis* parati, jamque olim forma ſicca impoſiti, nunc eadem aqua madefacti calide imponebantur, excluſo penitus per *emplaſtrum leniens ac ſimul aperiens* externo aëre vulneribus hoſtili. Porro, ne depluens humor in oculis moram traheret, facta per *errhinum* lene, ex aq. *majoranæ & Vitriolo albo* paratum, per nareis derivatio, longe feliciſſimo ſingula eventu. Circa finem namque *Januarii* nobiliſſima juxtim & afflictiſſima ægra, per *DEI* gratiam, perfecte convaluit. Poſtremo excell. Auctor ad amoliendam, in tanta humorum pravitate, facilis recidivæ metu, continuationem diutinam medicamentorum, inprimis internorum, prudenter ſuaſit.

Hic eſt ſuccus, & hæc *eſſentia* veluti *quinta Diſſertationis epiſtolicæ* SCHAPERIANÆ, in quantum quidem ejus mentem (aſſecutum vero me ſpero) aſſequi valui. Philoſophiæ cum primis *Carteſianæ* ſemet eſſe ſcientiſſimum per ſua ratiocinia Vir egregius comprobavit, qui concretionum iſtarum falſedinem eo me facilius deprehendere potuit, quod earum ipſi copia ad facienda experimenta ſufficiens eſſet. Quid enim *cryſtallus* una, quartam vix grani partem ponderans, ſuppeditet? Curam autem valde adæquatam Practici exercitati facile agnoſcent, ejusque in rite medicando dexteritatem & prudentiam, laudabu[illegible]. *Academia noſtra* huic *Viro* debet, a quo plura noſtrum Ordinem ornantia ſibi valeat polliceri.

(*Haga Com. Aug. Vind. d. 28. Octobr. A. 1714. miſſa.*)

)o(

OBSERVATIO CLXXVIII.

Dn. D. GERHARDI ARNOLDI de VINCQVEDES.

Arcanum antiplevriticum.

STercus equi non castrati parti affectæ calide applicatum, & cum hydromelite mixtum in forma cataplasmatis pleuriticorum solatium esse, penesomnes, qui medicinæ limites salutarunt, in confesso est. Sunt qui idem stercus subigant cum aceto vini, quibus minime assentior, ex eo, quod judicem omne acidum esse huic morborum generi non parum inimicum, si cui vero urinam stercori admiscere lubeat, id non improbarem. Cum itaque laudabilem effectum suppeditet externa adplicatio, ad interna etiam me perduxit cogitatio: ℞. Stercus equinum cum hydromelite mixtum, hinc expressum & epotum liquorem ad ℥iiß. plus minus pro ratione ægri, pluribus solatio fuisse, multiplici experientia comprobatum habeo. Ne vero a laudabili hoc medicamento avertantur delicatuli, longeque reddatur nobilius faciliusque sumpta, hac ratione elaborare ratus sum: Colligatur quantitas sufficiens stercoris & urinæ equi non castrati, sicque invicem mixta immittantur cucurbitæ vitreæ, capacitatis & altitudinis sufficientis, quæ probe obturata sepeliatur tempore hiemali in fimo equino per mensem, æstivali vero exponatur radiis solaribus per dies totidem, quo tempore præterlapso ad destillationem procedatur, imposito cucurbitæ alembico rostrato, applicatoque recipiente juncturis apprime clausis, ea tamen cum cautela, ut cucurbita non nisi ad tertiam sit repleta, imponatur arenæ, ignisque primum substruatur lentus, augendo eundem per gradus, & pergendo quousque liquor exstillatus nullum amplius præ se ferat saporem salinum; hinc destillatum seponatur, & caput mortuum abjiciatur. Materiæ vero superioris nova pars eodem modo destillationi subjiciatur, repetendo id usque dum

suf-

ſufficiens quantitas liquoris prolecta fuerit, qui omnis in Spiritum volatilem rectificetur, & ſi ulterius corrigere eum & exaltare animus ſit, addita raſura ligni ſaſſafras, rectificatio repetatur, ſicque una cum ſpiritu aſcendet Sal volatile, cujus doſis eſt a 3ß. ad 3j. cum ſucco taraxaci recenter expreſſo, aut cum tinctura flor. papav. rhœad. aut quocunque alio liquore appropriato; bis terve per diem exhibitum in quibuscunque pleuriticis affectionibus ſummum adfert levamen cœteris paribus; a quorum uſu ſane innumeri evaſere immunes, qui morti proximi videbantur, præterquam, quod etiam plurimos morbos ab acido vitioſo oriundos multoties pepuliſſe compertum habeam.

OBSERVATIO CLXXIX.

Dn. D. GERHARDI ARNOLDI de VINCQVEDES.

De

Spiritu volatili e carne bufonum.

SPiritus hic ex carne bufonum ſiccata paratur, per retortam l. a. eundem deſtillando, oleoque per tritorium ſequeſtrato, per cucurbitam rectificando; qui præter vires antipeſtilentiales, veneno reſiſtit a 3ß, ad 3j. cum aqua prophylactica Sylvii, aut aliqua alia appropriata, convenit pariter externo uſui in depellendo mammarum cancro occulto, accipiendo Spiritum hunc non rectificatum, illique tepido intingendo linteum duplicatum, aut triplicatum ſicque applicando tumori cancroſo, bis terve de die reiterando: ſic plures a ſimili malo liberatos fuiſſe, teſtis oculatus ſum, idque non ita pridem in uxore cujusdam molitoris, quæ operationi chirurgicæ ſe ſubmittere conſtituerat, aſt ab uſu hujus liquoris jam ſana & hilaris degit.

(*S. Huberto Auguſtam Vind. d. 7. Nov. A. 1714. miſſa.*)

OBSERVATIO CLXXX.

Dn. D. GODOFREDI HELDI.

Gutta ſerena, imo ipſiſſima Cæcitas ab enormi Hæmorrhagia Vteri.

VXor Advocati cujusdam, 43. annorum, jam in 18. hebdom. gravida, Menſe Novembris Ann. 1696. ex purgante fortiori aſſumpto Menſium fluxum redire animadvertebat, qui indies magis magisque auctus in tertiam hebdomadam, ſanguine copioſo florido excreto, durans, tandem Abortum cauſabatur; hoc facto & embryone in lucem protracto mortuo, Obſtetrix pro Secundinis reſtitantibus expellendis Puerperæ dederat Vinum calidum Crocatum, a quo illæ quidem ad exitum promotæ, auctum tamen exinde ſimul, hactenus exceſſive durans, ſanguinis floridi profluvium, quod poſtea nullo modo inhiberi poterat, ſed per 10. ſeptimanas cum impetu urgebat, inde ægra nimium quantum debilitata, & creberrimis Lipothymiis infirmata, demum viſus aciem imminui & decreſcere ſentiebat, ut in lucidiſſima Meridie primum quærere inciperet, an nox jam appropinquaret, mox ſe Maritum quoad dimidiam ſaltem corporis partem conſpicere, & brevi plane non videre, gemebunda aſſerebat, ſicque Guttam ſerenam & perfectam cæcitatem infelix incurrebat, nullo in Oculis vitio, vel accurate inſpicienti apparente, malo hinc immedicabili perſiſtente: Spiritus enim animales a nimia ſanguinis diſperditione ita erant debilitati, ut non amplius in nervum opticum influerent, & hinc tubulo illo lucido, ſpiritus viſivos alias ferente, ſubſidente & obſtructo, nulla amplius Viſio in ipſa tunica retina, tanquam nervo optico expanſo, fieri potuit, & ſic gutta ſerena & Cæcitas ſecuta.

Ex hoc triſti exemplo diſcant Medici Practici, in Maritatis non temere movendos eſſe Menſes, licet mulieres non raro ad San-

Sanguinem ex Morbo, ut credunt, suppressum, purgantia & emmenagoga incautæ efflagitent, cum purgans præcedenti Clinicæ tam male cesserit. Alias Studiosum a purgante fortiori subito obcæcatum fuisse, Sennertus observavit prax. med. Lib. I. Part. III. Sect. II. c. 37. pag. m. 851.

OBSERVATIO CLXXXI.

Dn. D. GODOFREDI HELDII.

Mercurius Vitæ Virgini durante menstruo fluxu exhibitus, Mercurius Vitæ æternæ evasit.

MErcurius Vitæ, vel potius Magisterium ℈ii emeticum, cum non mercurialis, sed antimonialis sit prosapiæ, (utpote ex butyro ℈ii rectificato per aquam calidam præcipitatum, & in Antimonium reducibile,) alias pulvis Anglicus, Algaroth vel Algoreth, ab Algarotho medico Italo, Alchimistis Columba alba & aquila alba, dictus, est Vomitorium nimis violentum & δραστικὸν, nisi per aquam fontanam calidam, ut diximus, bene a salibus suis acidis sit liberatum, & probe edulcoratum, vel auro cicuratum, aut in minori dosi exhibeatur; alias teste Willisio in Pharmac. rational. Sect. II. c. 1. pag. m. 40. sæpius mortis quam vitæ Auctor esse solet; hinc per nostrum effatum Mercurius Vitæ æternæ, vel juxta alios hoc sensu pulvis Angelicus dici meretur, quod sequenti tragico exemplo confirmamus:

Virgo nobilis de dolore Ventriculi gravativo & Anorexia sive ciborum fastidio conquesta, a Medico Emeticum solicitat, qui insciius menstruum fluxum adesse, ei ℈ii vitæ gr. iiij. porrigit, unde Virgo hæc excessive vomitibus exagitata ad Lipothymias usque, post creberrimam pituitoso bilioforum humorum ἄνω factam evacuationem, Vomitu cruento corripitur, cum aucta & enormi reddita Hæmorrhagia Uteri, deinde nonnisi sanguinem

floridum copiosissime plorantis; & cum sanguini tam superne per fauces & nares, quam inferne ex Utero & vasis hæmorrhoidalibus, ἀθρόως καὶ βιαίως, proruenti obex poni non posset, post aliquot dierum intervallum ægra tristi spectaculo animam efflabat. Uti enim per sanguinem rite constitutum, post DEVM vivimus, movemur & sumus, ita hoc ipso, velut ipsius Animæ vectore, deperdito, hominem mori necessum est: quemadmodum Nero, Sextus Imperator Romanorum, Senecam Præceptorem, cum eum veneno interimere non posset, detracto per Sectiones venarum sanguine, ad necem compulit.

(Christian-Erlango-Noribergam & dehinc Aug. Vind. d. 9. Nov. A. 1714. missa.)

OBSERVATIO CLXXXII.

Dn. D. MICHAELIS ALBERTI,

Salia media via humida parandi ratio.

QVamquam forte superfluum videri possit, de materia sive producto vulgari pluribus differere, & velut recoquere, quæ sæpius apposita & exposita sunt, semper tamen plurimum aliquid suppetit & succurrit, quod illustrandæ, magisque inculcandæ tali materiæ inservire potest. Valet hoc de specimine quodam atque producto Chymiæ Pharmaceuticæ abunde cognito, quod vero Dogmatico-Experimentali Chymiæ multum lucis affundit, si recte observatur, connectitur & ad alia affinia experimenta Chymica perite & prudenter applicatur. Loquor *de Salibus mediis*, quæ propterea hanc significationem nacta sunt, quia ex duobus diversis salibus generantur, & tertium sive medium quoddam constituunt, quæ alias etiam a Medicis ex effectu Physico Medico digestiva appellari sueverunt. Quamvis vero horum Salium, quoad diversas denominationes, multa occurrant, sunt ea-

tamen illa quoad fundamentum & eſſentialem ſuam conſtitutionem conformia, nimirum Acida cum Terra alcalina diverſæ tenuitatis, & ex variis aliis nexibus & mixtionibus deſumpta, ſufficienter ſaturata, & imprægnata. Tale acidum vero eſt illud, quod potentia ſua reliqua omnia in Chymia Pharmaceutica, cognita & uſitata acida, ſuperat, & Vitriolicum eſt, aut quod non alterius niſi Vitriolicæ indolis exiſtit, ex quo nimirum certa enchireſi Vitriolum vel Martiale, vel Venereum arte parari poteſt; ſiquidem contra, ex acido Vitrioli cum terra Cretacea, aut limoſa, Alumen, & cum principio inflammabili verum ſulphur arte parari poteſt. Ejusmodi acida ſi ſufficienter cum Terra alcalina, ſive tali, quæ ſimplex & extra Combinationem cum aliis Salibus eſt, ut Cineribus Clavellatis, vel Sale Tartari, ſive alia, cum acidis alterius indolis connexa, & in Nitri & Salis communis Corpore comprehenſa, ſaturantur, ſubminiſtrant Sal quoddam medium, quod alias enixum, & quoad virtutem ſuam digeſtivum nuncupatur, quale in vulgari *Tartaro Vitriolato* occurrit, de cujus Genealogia non multa diſſerere placet, ne poſt Homerum Iliada canere, aut ſcribere videar, libet tamen aliquas enchireſes circa ejusdem præparationem occurrentes & obſervatione dignas in medium producere aut allegare. Quæ enim a multis temporibus more recepto Tartarum Vitriolatum conficiendi methodus fuit, illa quantiſper pretioſa, & ad uſum medicum tantiſper poſtponenda, quia talis Tartarus Vitriolatus ut pretioſus propterea etiam parcius præſcribi potuit debuitque, ne ægrotantibus propter impenſas majores odioſum reddatur remedium; unde alia methodus præter Chymicum uſum, practicum etiam illum & civilem habet, ut talis Tartarus Vitriolatus viliori pretio paratus, & copioſius & ſæpius, ubique tamen cum magno fructu uſurpari queat: Innotuit & placuit hinc methodus Tacheniana conficiendi hoc Sal medium cum Vitriolo, ut auctor quidem vult, Martiali in ſimplici aqua ſoluto, & ſolutione Cinerum Clavellatorum, quæ methodus quidem præ aliis moderatior videtur, ſed adhuc vilioris pretii eſt illa, quæ loco Vi-

trio-

trioli Martis Vitriolum Germanicum Goslariense, Venereum, adhibet; ubi in genere falsa est illa suspicio, atque persuasio, quasi tali modo paratus Tartarus Vitriolatus efficacia sua inertior & debilior existat, ac si cum spiritu Vitrioli & oleo Tartari per deliquium paratus esset, in qua opinione nonnisi illi versantur, qui rerum Chymicarum insufficienter, & vix in superficie gnari, nedum quidem periti sunt: frustraneus vero est ille specialis Tachenii metus, quasi Vitriolum Venereum ad præparationem hujus Salis non admodum tuti usus sit, dum secundum persuasionem moleculæ cupreæ, quæ Tartaro Vitriolato adhærescere creduntur, dicuntur, sed sane etiam aliquo modo finguntur, productum infidum reddere supponuntur, ut propterea Vitriolum martiale cum majori securitate in usum trahi queat: est vero hic metus omnino umbratilis, modo solutio Vitrioli Veneris sufficienter cum alcalino Sale saturetur, & mox nominanda enchiresis dextre applicetur: alias si eædem enchireses in solutione Vitrioli Martis negliguntur, remanent in Tartaro Vitriolato moleculæ martiales, quæ illum adulterant. Est interim Tartarus Vitriolatus Sal Vitriolico-alcalinum, hinc extemporaneo experimento confici & visui & gustui subjici potest, si in oleum Vitrioli successive oleum Tartari per deliquium instillatur, ita contingit, ut quando acidum Vitrioli, in oleo Vitrioli concentratum, cum Sale alcalino, in oleo Tartari comprehensum, mox imprægnatum est, ad fundum vasis copiosum sedimentum obscurioris coloris salinum secedat, quod nihil aliud est, quam Tartarus Vitriolatus, sapore amaricans, effectu abstergens & digerens, licet quantisper obscurus (ob secessionem una factam, & inter fluctuationem corpusculorum metallicorum martialium, quæ vero in mixtionem salini illius sedimenti non abeunt, sed cum aqua affusa sub moderata agitatione & tractatione separari possunt, quod sedimentum abstracta hac aqua magis albicans evadit, & salinam suam consistentiam externo aspectui abunde contestatur.) Quando spiritus Vitrioli vel in Balneo Mariæ, vel in arena dephlegmatus, & quantisper concentratus

(ubi

(ubi ſpiſſior, conſiſtentior, & ponderoſior evadit, & re ipſa nihil aliud quam oleum Vitrioli repræſentat, quod vero non tanta ubertate inhæreſcentium ſubtilium terreſtrium ſubſtantiarum, aut molecularum martialium gaudet, unde neque ita obſcurus, nedum nigricans eſt talis concentratus ſpiritus Vitrioli) cum oleo Tartari per deliquium aut ſaturato acri lixivio puro imprægnatur, tunc notabilis etiam quantitas hujusmodi ſalini ſedimenti ad fundum decidit. Si vero ſpiritus Vitrioli communis venalis ita tractatur, vix multa copia hujus ſalis ex tempore generatur, quia hoc acidum in tali ſpiritu obvium, cum multa aquoſitate dilutum eſt, quæ impedit promptam, copioſam & extemporaneam hujus ſalini ſedimenti geneſin. Hæc methodus generandi & producendi Tartarum Vitriolatum Chymica magis eſt, & docimaſtica, quam ad Praxin medicam applicanda & conferenda, quia nimis pretioſa eſt; methodus vero Tacheniana, quoad fundamentum ſive eſſentialia requiſita, non alia exiſtit, licet majorem temporis moram requirat: Si enim Vitriolum Veneris ſolvitur, & miſcetur cum ſolutione cinerum clavellatorum, ad ſufficientem ſaturationem, ut nihil amplius præcipitetur ubi etiam nihil nocet, aut impedit, etiamſi ſolutio cinerum clavellatorum ſuperflue affundatur, quoniam ſuperfluum ſal alcali non cryſtalliſatur, ſed in liquore reſiduo ſubſiſtit, ut propterea conſultius ſit, magis i. e. ſufficienter, quam minus i. e. defective, ſaturare acidum illud vitriolicum; tunc facta prima filtratione liquor non ſtatim evaporationi exponendus eſt, ſed ſtet ille per unum aut alterum diem, ita communiter eveniet, ut teneriores quædam ſordes terreſtres, quæ moleculas ſubtiles venereas conſtituunt, ad fundum vaſis interea ſecedant, & tali ratione ſuſpectæ illæ cupreæ particulæ, quæ antea filtrum penetrarunt, tandem ex liquore ſeparari queant, (id quod tanto facilius contingit, ſi liquor primo leviter incaluit, iterumque refriguit,) quin ſub hac mora illud adhuc contingit, ut acidum hoc Vitriolicum cum ſuperflue affuſo alcali magis ſeſe ſaturet, & poſtea in Cryſtallis magis amareſcat, magis abſtergat, & digerat, imo Cryſtallos candidiores & ponderoſiores

ſiores præbeat. In illo vero magmate pultaceo, obſcure virideſcente (quod ſub ſaturatione acidi Vitriolici cum ſale alcali deceſſit per modum præcipitationis, & nihil aliud eſt, quam pulpamentum cupreum, ſive paſta ſcobis cupreæ, & quod magma in filtro remanſit,) multa adhuc quantitas hujus Tartari Vitriolati ineſt, ut propterea hoc grama poſt primam filtrationem cum diſpendio quodam rejiciatur (ubi hic non agere placet, an verum & rationi & experientiæ conſentaneum ſit, quod in hac ſcobe cuprea, veſtigia auri reperiantur) ſi vero huic magmati vel fervida aqua affunditur, vel ſi illud cum affuſa denuo aqua moderate decoquitur, extrahitur ita prompte quantitas illa non exigua Tartari vitriolati, quæ antea adhuc inhæſit, unde poſthac liquor hic etiam filtrandus, ad quietem per unum aut alterum diem ſeponendus, denuoque filtrandus, aut circumſpecte cohobandus, & tandem cum priore aſſervata ſolutione cryſtalliſandus erit, ita eveniet, ut ſi libram unam Vitrioli ad hunc proceſſum ſumpſeris, ad minimum duas uncias hujus ſalis plus acquiras, quam ſi hoc magma ſtatim projeceris. Non minus efficaciter hic Tartarus vitriolatus parari poteſt eadem methodo cum Aluminis & Salis alcali ſolutione: ſed quia hæc methodus præ modo dicta iterum pretioſior eſt, dum vitriolum veneris vilioris pretii exiſtit, quam alumen, ita cedit etiam priori: interim ſi experimenti loco aluminis ſolutio ad talem proceſſum adhibetur, tunc contingit, ut acidum aluminis ſeſe cum addita Terra alcalina remiſceat, & ſaturet, atque ita a prægreſſo connubio diſcedat, & priſtinam ſuam ſaxeam cretaceam ſubſtantiam, cui adhæſit, dimittat, ubi proficit pro commodiori filtratione, quo hic liquor cum ſufficienti aquæ quantitate diluatur, alias non modo hoc recrementum ſaxeum cretaceum difficulter ex reliquo liquore diſcedit, & non niſi poſt aliquot dies ad fundum vaſis ſecedit, ſed & filtri poros ita opplet, ut liquor tarde & impedite transfluat, quod impedimentum vero cum ſufficienti diluitione liquoris ſive ſolutionis & levi incaleſcentia eidem inducta corrigitur. Mutata quantiſper eſt methodus præparandi Tartarum Vitriolatum, quam

Zwölffe us commendat, quæ vero ſimiliter pretioſa exiſtit: nimirum jubet auctor, ut ex ſpiritu Vitrioli aut ſulphuris & ſale Tartari conficiatur, quo loco imprimis Tartari ſal commendat, certa perſuaſione ſive opinione innixus, nimirum aſſerit, quod, quia oleum Tartari liquidum eſt, ſi cum hoc Tartarus Vitriolatus præparetur, hoc ſal propterea facile iterum deliqueſcat, id quod vero juxta opinionem Zwölfferi non facile metuendum eſt, modo miſcela illa ſpiritus vitrioli cum oleo Tartari deinde cum ſufficienti quantitate aquæ diluatur, alias idem contingeret, aut metuendum eſſet cum Sale Tartari, quod æque ac alia Salia alcalina, facile deliqueſcit: unde prout Tartarus Vitriolatus, cum Sale Tartari paratus, non facile deliqueſcit, ita cum oleo Tartari rite paratus, in nullum deliquium abit: nam obſervatione & attentione utique dignæ ſunt illæ circumſtantiæ, quod utraque hæc Salia, tam Vitriolicum, quam alterum alcalinum, quando ſtatum combinationis, ſive unionis ſubiere, priſtinas ſuas qualitates penitus amittunt, & dum tertium quoddam concrementum Salinum compoſitum conſtituunt, tertias etiam qualitates exſerunt, dum enim (1.) Vitriolicum acidum ſaporem acidum, & Sal alcali lixivioſum, acrem, ſaponarium, frementem habet, quamdiu extra mutuam connexionem & ſui juris ſive ſimplicia ſunt, ita poſtea quam primum cohærent, amaricantem ſaporem exſerunt. (2.) Dum acidum Vitriolicum per ſe cauſticum exiſtit & alcali itidem acredinem continet, & in cauſticitatem inclinat, (teſtimonio illius lixivii concentrationis, quo ſaponarii utuntur, quod ex cineribus durioris ligni & calce viva conſtat, vulgo die Saiffen-Sieder-Lauge / & cum quo fonticuli parari poſſunt,) tunc utraque quando convenere, hunc effectum penitus amittunt, & abſterſorium digerentem incidentem &c. cum multo fructu medico offerunt. (3.) Dum antea acidum Vitriolicum omni ſiccitate caret, ſed vaporoſæ, halituoſæ, nebuloſæ conſtitutionis eſt, (teſtimonio vulgaris ſpiritus Vitrioli fixi, qui ut nebula ſive halitus albicans ſub deſtillatione tranſcendit, & in præpoſita aqua demum colligi debet, nedum quidem aliquid di-

cam de spiritu Vitrioli, vere volatili, qui ferme invisibiliter transcendit, dum destillatur,) alcali etiam tota sua indole in liquidam consistentiam propendet, ita nunc quando utraque commixta sunt, fluiditatem maximopere respuunt, & siccitatem solidam atque durabilem induunt. (4) Dum antea tam Vitriolicum acidum, quam sal alcali, si simplicia sunt, facile aquæ se insinuant, ita postea si connexa sunt, diu solutionem respuunt, ut quadrupla aut sexdupla aquæ quantitas requiratur ad Tartari Vitriolati solutionem. (5.) Dum antea acidum Vitriolicum valde ad volatilitatem inclinavit, ita nunc si cum alcali saturatum est, fixum admodum existit. (6.) Dum antea tam acidum Vitriolicum, quam Sal alcali motu igneo facile fundi potuerant, ita nunc quando utraque convenere, diu sine alteratione in potenti etiam & ad intensam incandescentiam illius Salis medii aucto igne perdurant, atque difficillime fluunt, ut propterea artificio non ineleganti, aut superficiario, licet simplici opus sit, quomodo bina hæc Salia mediante igne separari queant. (7) Dum antea acidum Vitriolicum ob inhærescentes terrestres substantias, præ aliis quidem ponderosius est: Alcali vero Sal in sua simplicitate & libertate, ratione ponderositatis & gravitatis, nullam prærogativam præ aliis salibus habet, ita sub mutua complicatione constituunt productum, quod ponderositate sua alia Salia sicca, salina consistentia prædita, multum superat; & quæ plures adhuc differentiæ, si scopus ferret, allegari possent.

Frustraneus propterea metus est, quasi Tartarus Vitriolatus, cum oleo Tartari paratus facile deliquescat, modo acidum Vitriolicum recte & sufficienter cum oleo Tartari saturetur: præterea in *Animadversionibus suis Zvvölfferus*, alium scrupulum, facile tamen solubilem, injicit, nimirum quasi Tartarus Vitriolatus ex spiritu Vitrioli & Sale Tartari paratus, vomitus excitet, & multam nauseam moveat, id quod impuritati Salis Tartari adscribere vult, cum tamen culpa non hæreat in Tartaro, sed in insufficienti imprægnatione & saturatione acidi Vitriolici cum Sale Tartari: unde si Tartarus Vitriolatus ex spiritu Vitrioli &

li & Sale Tartari paratur, prospiciendum est, quo sufficiens hujus Salis quantitas, acido illi inferatur, & communicetur, ita nunquam Tartarus Vitriolatus fiet emeticus aut nauseabundus: contra vero si hoc acidum Vitriolicum cum oleo Tartari, aut alio Sale alcali insufficienter imprægnatur, similes nauseabundos & vomibundos, effectus, Tartaro alcali ne per somnium quidem adscribendos exseret Tartarus ille Vitriolatus. Gratis etiam atque frustra *Junkenius* in sua *Chymia Experimentali* de Tartaro Vitriolato ita simpliciter & indiscretim asserit, quod suspectas tales consecutiones, videlicet cardialgicas & nauseabundas, post se trahat, quod de rite parato tali Sale nunquam metuendum est. Illud adhuc annotare lubuit, quod hic Tartarus Vitriolatus tam fixum Sal constituat, quod sub fortiori etiam evaporatione, & ad crystallisandum præparatione, non ita facile discedat, si vero in vasibus figulinis non spissius Lithargirio obductis, solutio illa, cui Sal hoc medium inest, evaporatur, tunc multum hujus Salis sese ollæ, aut figulino vasi insinuat, (unde nihil nocet, si solutio talis in vase ferreo ad crystallisandum aptatur) quod si vas illud comminuitur, cum aqua calida, iterum extrahi potest, quod vero paululum sapore suo penetrante amaricante aliquid amisit, neque facile deinde in egregias Crystallos converti potest; hoc Sal etiam vasi figulino immersum, cum mora temporis ex eodem vase efflorescit, striarum aut bullularum salinarum instar. Tandem illud etiam adjiciendum est, quod quo magis solutio hujus Salis medii cum aqua diluta fuit, & quo tardius & remissius evaporatur, eo majores præbeat Crystallos, ita ut si solutio talis per æstatem calore Solis successive, vel hyeme super fornacem lente evaporatur, Crystalli admirandæ magnitudinis obtineantur. Alias Crystalli Tartari Vitriolati octaëdram figuram, extremitate sua superiori & inferiori apices pyramidales simul sistentem, formant. Quæ singula sunt vera fundamenta & potiores enchireses Sal tale medium humida via parandi & producendi: quod ipsum etiam sicca via multis modis, & sub varia enchiresi parari potest, de quo ultimo modo forte alio tem-

pore volente DEO agere licebit, quamvis de præsenti observatione adhuc variæ utiles Chymicæ observationes & considerationes commendandæ essent, quas vero nunc differre teneor.

Hala-Noriberg m & debinc August. Vind. d. 29. Nov. A. 1714 missa)

OBSERVATIO CLXXXIII.

Dn. D. JOHANNIS DAVIDIS MAVCHARTI.

Fulminis admirandus agendi & incedendi modus, ubi simul incidenter de Lachrymis vitreis.

DIgnissimus sane memoratu est effectus fulminis, in Obs. 185. Ephemeridum nostrarum, adeo accurate & docte descriptus, ut anceps hæream, annon memoratu dignior sit Ἀκρίβεια diligentissimi observatoris. Fateor me ante lectam observationem istam, & habitum proprium, mox recensendum, exemplum, cum Excell. D. Scheuchzero semper quidem dubitasse, de lapide fulmineo, utut plures pro ejusmodi venditatos viderim, unumque etiam in Museo servem, in loco, ubi fulmen vim suam exercuerat, repertum, & cum aliis exacte scalpellum lapideum, **einen Meissel** referentem. Verum id semper credideram: non aliter quam recta deorsum; raro, & non nisi fortissimis obstantibus impedimentis, ad latus; nunquam sursum posse fulmen tendere; hinc putabam motum ejus esse, ut appositè inquit D. Scheuchzerus, spiralem vorticosum &c. Sed aliud evincit tum modo laudata observatio, tum propria mea experientia. Abhinc triennio enim a meridie, cum toto die, ut plerumque solet, nobis infestus fuisset Africus, subitò nubes cœlo cœpere obduci, & fulgura interni-

tere,

tere. Paulo poſt, ſub moderato aliquoties tonitru, repente ſummus fragor emerſit, & talis quidem, quem non domui ſolum meæ, ſed cervici quoque imminere juraſſem. Mox volat fama fulmine tactam, vix centum paſſibus a mea diſtantem, piſtoris domum, ſed ſine incendio, quod omnes gratum DEO miſericordiſſimo referebant.

Dum inter alios accurro, narrant vicini, ſe vidiſſe glomerem plane igneum a domus piſtoris apice poſteriori (ubi ſemipedalis longitudinis fovea in trabe quadam conſpiciebatur impreſſa,) qua vergit ad ſeptentrionem, deſcendentem, in aream iſti & vicinæ chirurgi mei domui intermediam, lapidibus, quadratis ſesquipedalis prope latitudinis, & quadripollicaris vix craſſitiei ſtratam, quibus minime læſis, unus fulminis ramus penetravit per ſpiraculum in cellam Chirurgi mei, **durch ein Lufft-Loch in dem Keller**/ crate ferrea decuſſata munitam, qua integra relicta per cellam tranſiit, prope, imo ſi credere fas eſt, ſub victoris, ibi forte fortuna laborantis, pedibus, & omnibus illæſis per aliud ſpiraculum ab altero cellæ latere, neſcio quorſum evaſit. Alter vero fulminis ramus per (ſit nomini venia hic inevitabili) cloacam ex aſſeribus confectam, per pedes minimum 14. aſcendit, aſſeres diviſit, ſine majore tamen læſione, operculum ſubmovit, hinc tigno, quibus ad angulos acutos invicem inclinatis formari ſolent tecta, ſe applicuit, & recta via in eo proceſſit, ſub aſſerculis ſeu tranſtillis, **denen Latten**/ quibus tegulæ ſolent appendi, clavis ferreis hic annexis, quos nec ſubmovit, nec evulſit, ita ut ad altitudinem pedum duodecim, in tigno foveam impreſſerit fulmen, ac ſi terebra aut ſcalpello concavo, **einem Hol-Meiſſel**/ perfunctorie fuiſſet excavata, nulla tamen relicta nigredine, tegularum vero impoſitarum ordines duos non dejecit, ſed omnes fere medias per transverſum diffregit. Hinc intra domum ſe proripiens, verſus ſeptentrionem allapſum eſt trabi transverſæ, in extimo domus muro firmatæ, & ſimilem ibi foveam ſeu canalem excavans, per transverſum domus, in alio rurſus tigno deſcendit, per pedes tres foveolam itidem formans, Hinc quorſum evaſerit,

ſerit, nemo conjicere valebat; mirabantur autem omnes, odorem ſumme ſulphureum, ignemque a vicinis manifeſtum viſum, nullam plane aduſtionis notam reliquiſſe, etiamſi in conclavi, ubi vim ſuam exſerere deſiit, a cera, & directe ſub tigno, in quo hæſit ultimo, aliquid ſtraminis fuiſſet reconditum. Vacillat ergo mea ſpes, explicandi, aut potius adumbrandi fulminis directionem per experimentum meum circa lachrymas vitreas, licet has in tubo quovis, eorum corpori conveniente, globulum etiam ſat gravem, ad aliquam diſtantiam projiciant, tubo, utut ex charta tenuiori contorto, manente integro, & nullam ſic ad latus, verum omnem, aut certe potiſſimam verſus fundum corporis ſui, vim exſerere ſint mihi viſæ. Clarius id explicabit Obſerv. 111. licet Perilluſtri Domino Præſidi eandem repetenti non ſucceſſerit. Quamvis etiam & eruditiſſima Lipſienſium Eruditorum Acta idem mihi objiciant, nequeo tamen aliud opponere, quam experientiam interea plus centies repetitam, & quidem ante annum Tubingæ in Muſeo Excellentiſſimi D. D. Rud. Jac. Camerarii, quem ideo, uti ſummum Patronum veneratus ſum usque, in hoc etiam negotio teſtem habeo oculatum, & omni exceptione majorem; quod ex ipſius quoque permiſſione, imo inſtinctu, hic ſcribo. Et hinc cur Perilluſtri D. Præſidi aut aliis, experimentum non ſucceſſerit, conjicere non valeo, niſi forte vitra recipientia non repleverint aqua, aut ea fuerint nimis robuſta, lachrymæve vitreæ infirmæ aut paucarum fuerint virium. Ut ergo debita ſub cautione repetant aliquoties experimentum, obnixe rogo.

SCHOLION.

Succedere quandoque vitri aqua pleni, a lachryma vitrea in eadem diſrupta, fracturam, non prorſus a me negatum fuit; dum ſaltem non ſemper, quamvis *in teneriori ideoque fragiliori vitro* caute inſtitutum fuerit experimentum, quod eadem eveniat, referre libuit; repetitisque etiam experimentis vitri non ad-

admodum crassi & aqua repleti rupturam utplurimum haud accidisse, interdum autem non fundum, sed superiora vitri lateradissiliisse, (periculo etiam hujus rei facto in præsentia Pharmacopœi Marbacensis, Dn. Georgii Frid. Wohlgemuth, negotiorum causa per unum alterumque diem *hic* nuper commorantis) constitit; quale quid etiam Nob. D. Auctori contigisse, nec semper fundum vitri fracturam subiisse, vix dubitare possum. Vá vero ex hoc patet, non omnem ejus vim deorsum tendere, ita particulas dissilientes non tantum deorsum, sed aliquas etiam ad latera ferri, exinde evincitur.

L. Schröck.

OBSERVATIO CLXXXIV.

Dn. D. JOHANNIS DAVIDIS MAVCHARTI,

De

Pinguefactione boum per insufflationem experimenta nova.

GEnerosissimus ille Baro, cujus in scholio ad Observat. 12. fit mentio, non mihi solum, sed & Perillustri D. Præsidi scrupulum injecerat, de fucata potius quam vera promotione pinguefactionis boum per insufflationem. Verum curiositate sua ductus, paulo post fabrum illum ferrarium accersivit, & vaccam juniorem lanienæ destinatam non solum inflari, modo jam recensito, curavit, verum & ter interea experimentum ipse reiteravit, eo semper cum successu, ut non solum nulla in pecudes redundaret noxa, sed & solito longe citius & uberius pinguescerent. Quod ex ipsius ore & concessione hic addo, proxime, si per alia licuerit negotia, inflationi talismodi præsens futurus.

SCHOLION.

Experimentum hoc utique ulterius tentamen, adcuratumque examen depoſcit, cum non exiguus ſcrupulus ſuperſit, qua ratione violenta illa aëris intruſio pinguedinis augmentum promovere valeat; præcipue quia poſt operationem illam boves per triduum ſubtriſtes exſtitiſſe, obſervatio innuit; imprimis vero conſiderari meretur, annon ſubſequens poſt inſufflationem ſex hebdomadarum ſpatio faginatio in bobus, & quidem (fortaſſe ob perpeſſum ex triduano dolore pabuli faſtidium) voraciſſimis, pinguedinis proventum conciliaverit.

L. Schröck.

OBSERVATIO CLXXXV.

Dn. D. JOHANNIS DAVIDIS MAVCHARTI,

Aphorismi 44. Sect. 6. Hippocratis tentata explicatio.

CVm hiſce diebus ſtranguriam viri, cum gonorrhœa aliquali complicatam, ſat pertinacem tractandam haberem, incidi forte fortuna, in Diſput. inaug. D. Joh. Eberhardi Weerkampſ, Altorffi 1698. habitam. Quam perlegens inveni in Theſi XV, tractatam quoque quæſtionem, de Stranguria Ileoſa Hippocratis, ex ſupra memorato Aphoriſmo. Vti autem doleo, me intertot libros nec Lindani in hunc Aphoriſmum, ibi laudatum commentarium, nec Excell. Schraderi Theſes, ibidem allegatas poſſidere, ita nemo ſiniſtre, ſpero, interpretabitur, quod, licet Excell. Schraderus quoque non miretur, Galenum tantam hujus Aphoriſmi difficultatem putaſſe, ut, quid ſibi velit Hippocrates, fateatur neſcire ſe, ego applicatione Obſervationis meæ 14. pu-

tem.

tem, aliquam posse lucem illi accendi, cum revera hæc fuerit Stranguria Ileosa aut ἐκ στραγγυρίης εἰλεὸς ἐπιγινόμενος ut sonant verba Hippocratea. Quod vero meus septimum diem non attigerit, nec crisin Hippocratis expectarit ægrotus, sed brevi post accessionem obierit, tum causæ morbificæ violentiæ, tum viribus ipsius ex longa valetudine attritis adscribi potest. Secus si fuisset, quis novit, annon pus illud per vesicam, ut alias quoque fieri adstruunt Auctores, critice potuisset septimo evacuari die; id quod tamen procul dubio sine febri non evenisset, atque sic aphorismus iste, sine dubio casus similis occasione natus, claro elucidatus fuisset exemplo.

OBSERVATIO CLXXXVI.

Dn. D. JOHANNIS DAVIDIS MAVCHARTI.

Clavi mei periodici moderna constitutio.

OBservatio 15. pag. 65. innuit: quomodo ex vehementioris accessu clavi, ad opii vires periclitandas fuerim tractus. Eodem clavo interea temporis sæpius affectus, id tandem sedula observatione didici; subjectum ejus causale in ventriculo hærere, & genuinam ipsius causam esse flatus, ex cibis flatulentis & dyspeptis, aut aceti acrioris vel copiosioris usu, ortos. Nam non solum a leguminibus rapisque, verum & a farinaceis, imo omnibus copiosius ingestis cibis, maxime recens cocto pane, comestis id mihi malum induci sum expertus. Primum semper remedium inveni in Extracto bezoardico b. Camerarii, cujus vigesima propemodum pars est opium. Hujus ab initio gr. v. opem tulerunt plerumque, sed postea sensim ad gr. viiij. usque ascendere sum coactus. Modum solutionis, sub principio non observabam, usque dum, abhinc annis septem forte catarrho vexatus apozema sassafratum theiforme mihimet ipsi pararem. Simul enim coincidebat clavus iste, sed vix epotis apozematis

scutellis duabus, observavi multos ructus elidi, & simul clavum sensim sensimque magis, abque solito Extr. bez. usu cessare. Quapropter & alio tempore, extra Catarrhi præsentiam, effectum apozematis sassafrati periclitatus sum, eodem semper cum effectu; ut nempe, quo magis ructus eliderentur, eo minor evaderet doloris exclavo area, usque dum penitus evanesceret. Tentavi rem & aliis carminativis, sem. anisi, carvi, fœnic. flor. chamom. & abomnibus auxilium, sed plerumque tardius, & a raphanis minimum, licet ructus & hi excitarent, expertus sum; omnium vero difficillime, si post aceti usum eveniret mihi clavus. Id unum mirari satis nequeo, nullum me in ventriculo sentire incommodum; deinde mali sive ortum sive prodromum percipi in colli dextro latere, prope cartilaginem tracheæ scutiformem, ubi aliquid me premit, ac si digito id fieret; in loco isthoc primo sentio fortiorem arteriæ caroridis pulsationem, quam in alio, & præcipuè siniſtro latere, eaque etiam arteria sub ipsa doloris vehementia digito compressa, cessat tantisper dolor, sed cum obnubilatione omnium sensuum, & ita sensim ascendit dolor iste juxta musculum mustoideum, ad ejusdem nominis processum in cranio, ubi primum dolor non est major, quam si aciculapunctus essem, sed mox se dilatat in aream rotundam thaleri, interdum & palmæ magnitudine, pulsans quidem, sed simul modo contusivus, ac si lapide ictus essem, aut tensivus, ac si manipulo capillorum arrepto sursum traherer. Vti vero sensim in latum se exporrexit, ita, sub convenientis medicamenti usu, etiam decrescit iterum, ut minimum, quo cœperat, centrum denuo nactus evanescat, nunquam tamen, nisi excretis ructibus, qui facilius procedunt in siniſtro quam dextro latere cubanti. Interim, cum non semel incommodus mihi esset, præsertim extra meos Lares, usus apozematis sassafrati, de succedaneis cogitavi, & inter alia essent, cort. l. sassafr. per spir. vin. confectam sæpius eodem cum effectu, ad gt. c. in vino sumens, levamen percipio. Extr. autem opii aqua factum jam aliquoties ad gr. j, iter sub clavi accessu necessario facturus, tam pedes quam eques, citissimo

cum

cum effectu, & quidem etiam per ructuum expulsionem, sumpsi; nunquam ulterius appetitu hinc aucto, &, quod mireris, adeo non somnolentiam inducente, ut alacrior inde potius ad res meas, etiam in Museo solus sedens, & somni impedimentum externum non habens, gerendas soleam fieri. Quæ collata cum eruditissima Disputatione de Clavo, D. D. Jac. Camerarii, phænomena circa hoc symptoma non parum complent.

(*Marbaco Augustam Vind. d. 4. Decembr. A. 1714. missæ.*)

OBSERVATIO CLXXXVII.

Dn. D. CONRADI BERTHOLDI BEHRENS,

De

Affectione Hypochondriaca.

FRequentiores elapso & hoc anno in sequiori præsertim sexu exstiterunt hypochondriacæ affectiones, ansamque suppeditant, quædam circa easdem observata, hac occasione communicandi, forte non ingrata, junioribus certe practicis non parum profutura.

Ac primo deprehendi, de causa proxima affectionum hujusmodi omnium optime *Willisium lib. de Morb. convulf. c. XI.* sensisse, & symptomata a spirituum animalium ἀταξίᾳ spasmodica & subsidentia, ob dyscrasiam sanguinis acriorem & fermentativam dependere; Vt adeo inveterati hypochondriaci genuina automata Cartesiana referant. Falli proin arbitror, qui causam proximam in cruditatem acidam primarum viarum, flatulentias aut obstructum lienem referunt, atque in mulieribus uteri vitia accusant, cum omnia hæc potius producta & effectus sint dispositionis ejusmodi, quam causæ.

Secundo nullam ægre sic affectarum mihi occurrisse, quæ non ex hæreditaria origine talis exstiterit, quamvis in parentibus

malum ejusmodi non ita inclaruerit, ieu quod in prima juventute iidem obierint, seu quod morositati adscriptum malum fuerit, seu quoque alii cuipiam evidentiori symptomati aut morbo radix hujusmodi involuta exstiterit, calculo scilicet vel podagræ, quod inter alia fœminæ cujusdam hypochondriacæ, patre arthritico genitæ exemplum apud *Ridlinum Lin. Ann. 2. p. 639.* confirmat.

Atque uti paroxysmi hypochondriaci non nisi ab occasionibus externis concitantur, ita easdem apud nostrates maxime moverunt terror & ira, hæc præsertim, cum hactenus per totam praxin meam nullum utriusque sexus hypochondriacum noverim, quem non aut iracundia, aut ira suppressa agitaverit. Quædam ex nostratibus mente alias sibi bene constans, quoties ira vehementiori corripitur, absurda simul loquitur. Etiam ab improviso conspectu alterius hypochondriacæ absurde se gerentis dispositas ad hunc affectum paroxysmis haut absimilibus, ex pavore scilicet spirituum corripi, exemplum quarundam nostratium confirmavit, quæ proin alterius in eadem simul platea habitantis occursum conspectumque probe & anxie cavet. Simili vero ratione id accidit, qua ad epilepsiam pronæ epilepticum quempiam afflictum ex improviso conspicientes, & ipsæ epilepsia corripiuntur, quod singulari exemplo mihi quoque compertum.

Inter symptomata primo dolores in scrobiculo cordis affligebant, cum angustiis præcordiorum & respiratione difficiliori, eo graviores, quo vehementior ira aut terror præcesserat. Quædam dolore ejusmodi urgente in sedendo simul synciput deorsum quasi trahi percipiebat, ita ut caput erigendo a syncope se præservare necesse haberet. Nullum autem dubium est, dolorem hunc a nervis ventriculi irritatis existere, atque si tensivus simul est, lympham in eodem contentam ac pituitam simul fermentescere idque cum ructuum suppressione. Nervos certe ventriculi affici vel inde patet, quod hic non raro in hypochondriacis plane in convulsionem subitaneam absque nausea agatur, cu-

jus

jus exempla in *Zitmanni Medic. Forenſ. cent. 3. caſ. 64. & centur. 4. Caſ. 93.* occurrunt.

Deinde dolor dorſi interſcapulius, qui etiam poſt eructationes non remittebat, & cum maxima cordis palpitatione affligebat, flatibus vero per inferiora excretis levior erat. Quamvis autem dolores ejusmodi interſcapulei interdum a ventriculo male affecto dependeant, quod exempla apud *Foreſtum lib. 18. obſ. 27.* & *Ledelium in Miſcell. Societ. Noſtr. Dec. 2. Ann. 8. obſ. 30.* probant, in hypochondriacis tamen, cum in iisdem etiam poſt eructationes non remitterent, alia cauſa ſubeſt, diaphragmatis nempe ea parte, qua cum vertebris dorſalibus connectitur, quædam quaſi protruſio, ab inteſtino colo per transverſum dorſi ſito, ac flatulentiis diſtento, quod diaphragma quoque ſcrobiculum cordis ad interiora trahit, quale quid in quadam obſervavi.

Porro vigiliæ circa mediam noctem, quæ febrile quippiam innuere videntur, ſive re ipſa paroxyſmus quiſpiam noctu dormientes corripiat, ſive tantum fermentatio quæpiam aut anguſtia cordisque palpitatio easdem media nocte turbet, & vigiles reddat. Hæcque ipſa eo gravius affligit, quo magis ab ira aliisque affectibus commotæ erant. Nec in ſequiori ſolum ſexu ſymptoma hoc occurrit, ſed & virili quoque, meminitque *Ettmüllerus Op. Tom. 2. p. 1053.* ſtudioſi, qui ſingulis noctibus ſtato tempore circa medium evigilabat cum plurimis in abdomine flatulentiis, anxietate & palpitatione cordis talique reſpirandi difficultate & ſtrangulatione, hyſtericæ ſuffocationi ita ſimili, ut ovum ovo ſimilius eſſe non potuiſſet. Paroxyſmus vero hic poſt horas circiter duas ſudore modico prorumpente evaneſcebat.

Animi vero impotentia ac phantaſia, quodque rationes non admittant ita affecti, uti malum hoc valde exaltatum deſignat, ita quoque non absque deliriis noſtræ fuerunt hypochondriacæ, cum quædam de æterna ſalute poſt mortem plane deſperaret, & circa id unum anxia eſſet, alia nil niſi orbitatem liberorum die noctuque deploraret, alia a pulſatione campanarum neſcio quid ſibi ima-

imaginaretur, alia quamvis ætate provectior molam in utero meueret, alia claves suas domesticas & supellectilem necessariam angulis quibusdam domus suæ remotioribus reponeret, omnes autem semper de præteritis angerentur. Obiter ac ὡς ἐν παρόδῳ si deliria ejusmodi tam hypochondriacorum quam febricitantium penitius considero, omnino cum Acutissimo *Petermanno Cas. Med. Legal. Dec. 1. p 7.* ceu quoque plenius probavi in *Selectis meis Physiologicis*, animæ nostræ rationalis essentiam materialem mihi concipio, quæ scilicet spirituum animalium partem subtilissimam constituat, simulque in actiones corporis voluntarias influat. Atque hæc quidem uti a DEO primo homini sub creatione inspirata est, ceu quoque ex parte *Seneca Epist. 66.* cognovit, ita eandem dein semper cum semine parentum continuo propagari arbitror. Animas enim a DEO non infundi vel illud probat, quod alias summum hoc Numen semper ad congressus illicitos concurreret, & indesinenter crearet, cum tamen totum creationis opus sex dierum spatio finitum sacra pagina dicitet. Nec etiam materialitati huic animæ immortalitas ejusdem contrariatur, cum per omnipotentiam divinam talis demum existat, haut secus ac eadem totum hoc universum ex nihilo creavit, & adhuc dum per subordinationem causarum secundarum conservat.

Quod vero mulieres præ viris hypochondriacæ ejusmodi affectioni obnoxiæ sint, debilior spirituum in iisdem crasis in causa est, quodque affectibus magis abripiantur, nec laboribus ita ac viri exerceantur. Ex qua postrema ratione mulieres imprimis nobiles, quæque alias in statu privato otiose ac molliter vivunt, præ aliis ad affectiones has inclinant. Vulgus eapropter semper hic uterum accusat, ac die Mutter-Plage vocat. Omnino autem duos hosce affectus a se invicem distinguendos arbitror, affectionem scilicet hypochondriacam & strangulationem hystericam, nec omnia circa tumores & motus in infimo ventre, pulsum cordis, respirationem ac deglutitionem vitiatam symptomata in mulieribus statim hysterica cum vulgo appellanda; Nec quoque suf-

ſuffocatio illa in mulieribus in ſpecie ſic dicta ab alia cauſa quam affecto utero deducenda, ceu latius ante hos triginta annos in *Diſputatione mea Inaugurali* de Suffocatione Hyſterica, Helmſtadii ſub præſidio Illuſtris Meibomii habita, oſtendi.

In curatione notavi, alvo paulo ſtrictiori exiſtente, flatulentiisque ac palpitatione cordis urgentibus, clyſteres etiam domeſticos ex lacte cum fl. chamomillæ, oleo, ac ſale omnem abſolviſſe paginam, qui licet ſingulis diebus reiterati, quam parum viribus detrahant, probat obſervatio *Hainii in Miſcell. Cur. Dec. 1. Ann. 3. num. 221.* occurrens. Imo hypochondriacos ſolis clyſteribus plane curari experientia edoctus dudum *Hercules Saxonia* aſſeruit *pract. l. 1. c. 16.* cum nulla ratione ſcybala in cellis Inteſtini coli concreta melius eluantur. Hæc ipſa in quadam noſtrarum tam dura erant, ut nigros lapides referre viderentur, & hæc, ſcybalis ipſis jam concretis, nihilominus liquida per alvum deponebat. Circa clyſteres porro in una obſervare licuit, cum iidem aliquoties reiterati fuiſſent, poſt ſolutionem alvi inſecutam fuiſſe dejectionem materiæ albæ viſcoſæ ac ſpumantis, cum inſigni remanente debilitate, ut dein hæc ipſa a clyſtere abhorruerit. Quam materiam ex ſuperioribus ac tenuioribus Inteſtinis deductam nullus dubito, cujus utpote chyloſæ adhuc magis ſeceſſus propterea non potuerit non debilitatem quandam relinquere. Subſtitui proin in alia Sal anglicum ad aliquot drachmas cum aqua fœniculi & veronicæ dilutum, quod alvum egregie movebat. In quadam tamen adminiculis ejusmodi opus non erat, ceu quæ ipſa, quoties affectibus paulo vehementioribus agitaretur, noctu ſemper aliquot ſedes fluidas ſpumoſasque haberet, maximo cum levamine altero ſæpe die adhuc continuantes.

Venæſectionem non niſi hypochondriacis æſtuantibus atque ad maniam inclinantibus convenire deprehendi, eaque magis in talo revulſionis cauſa vel in fronte ad derivationem. Alias enim Venæſectio ſpiritus adhuc magis ſubtrahit, ceu recte *Dnn. Lipſienſes* apud *Zitmannum Medic. forenſ. cent. 2. caſ. 33.*

monent, & quod exemplum mulieris apud *Ridlinum Lin. Ann. 6. p. 575.* docet, malum exasperat.

Circa noctem magno cum fructu anodyna propinavi, laudanum scilicet liquidum cum Tinctura croci. Quamvis autem propter ἀταξίαν spirituum, Opiatorum usus proficuus videatur, adeo ut etiam purgantibus eadem addat Illustris *Bohnius de Offic. Medic. p. 284.* ob debiliorem tamen spirituum crasin, quodque viscositatem sanguini ac lymphæ inducant, non nisi maxima urgente necessitate utendum iisdem arbitror.

In quadam vero eusarca, sudore matutino consueto non erumpente, sudorifera ex pulvere Bezoartico Sennerti, sale cardui benedicti alioque fixo acuato bene contulerunt, cum alias hoc neglecto non nisi impatientiam toto die præ se ferret.

In maxima anxietate & palpitatione cordis pulveres absorbentes, cordiales, bezoarticos cum aquis melissæ, borraginis similibusque in mixturas cochleares redactos egregie interdum respondisse deprehendi, qui nec ipsi alias satis decantato Lapidi Bezoartico inferiores exstiterunt, quem tamen in quadam subinde ad sex grana propinavi.

Cumque jam multiplici experientia cognoverim, quales vires cortex peruvianus in sanguine spiritibusque confortandis, nec non inordinate commotis compescendis obtineat, præeunte *Muralto Miscell. Curios. Dec. 2. Ann. 8. Obs. 11.* quibusdam nostrarum eundem quoque propinavi. Vbi tamen in forma pulveris aridior ipsis exstitit, & calores in præcordiis excitasse visus est, ut desistere cogerer. Cuidam tamen ad hecticam proclivi, quæque paroxysmos nocturnos simul patiebatur, ad exemplum *Ridlini Lin. Ann. 2. p. 477. & Ann. 6. p. 926.* nec non *Hamiltonii Regul. prax. p. 35.* corticem hunc conserva borraginis in Electuarium redactum cum lacte caprino propinavi, quæ cum non ferret, eundem in forma decocti cum radice cichorii & floribus cordialibus ex aqua fontana parati sumsit per aliquot dies maximo cum levamine, ita ut flatulentiæ notabiliter secederent, fermentatio cessaret, dolores dorsi præcordiorum-

rumque remitterent, & melius dormiret. Quarto tamen die majores ſemper ex decocto ejusmodi anxietates, ita ut vel cochleari ejusdem aſſumpto fermentatio ſenſibiliter increſceret & flatulentiæ utrumque hypochondrium ad axillas usque diſtenderent, ac fere tympanitici quid referret. Flatibus autem clyſteris beneficio eductis, mixtura cochlearis alia ſubſtituta, cujus baſis fere mixtura ſimplex erat, carminativis volatilibusque maritata, quæ etiam bene fecit. Adhuc tamen ſubinde modo palpitatione cordis, modo paroxyſmo febrili, modo calore hectico vexata, cum pulſu tamen non celeri, cum inſuper ex me perciperet, ante ſolſtitium hyemale malum ex toto non ceſſaturum, ſuaſu amicorum alteri cuidam Medico ſe commiſit, qui tamen majora nec ipſe præſtitit, nec ægra ante dictum ſolſtitium plenarie reſtituta eſt, ut adeo exemplo quoque ſuo jam antehac a me in *Selectis Medicis Sect. 1. n. 16.* aſſertam morborum chronicorum circa æquinoctia & ſolſtitia mutationem confirmet.

De acidulis Martialibusque nihil ſingulare notavi. Cum vero quædam hoc anno aquis acidis relictis thermales hauſerit, ſucceſſu quoque optato, confirmatus in ea opinione ſum, quam jam ab aliquot annis fovi, thermarum potum hoc in affectu acidulis ſæpiſſime præferendum, idque ob rationes ab Illuſtri *Hoffmanno Diſſert. Select. part. 2. p. 256.* congeſtas, quibus addi poſſet, quod ventriculum non ita refrigerent aquæ thermales ac acidulæ. Quin quod & febre lenta ſimul affligente aquæ ejusmodi thermales Aquisgranenſes egregie fecerint, ex obſervatione *Blondelli tract. German. de Therm. Aquisgran. pag. 230. & 251.*

Theæ infuſum, uti affectui huic ex non una ratione conducere jam ab *Illuſtr. Præſide in Miſcell. Cur. Dec. 2. Ann. 5. Obſ. 113.* notatum eſt, ita quædam noſtratium ſenſibiliter eodem alleviatur, ſi quando anxietate ac moroſitate ingruente ſtatim duo vel tria vaſcula ſorbillet.

(Hiltesheimio Auguſtam Vind. d. 22. Dec. A. 1714 miſſa)

OBSERVATIO CLXXXVIII.

Dn. D. LAVRENTII HEISTERI.

Charta masticata sclopeto majori (flinte vulgo) explosa, cranii perforati & mortis subitaneæ caussa.

PLures jam Auctores noxas annotarunt, quæ ex charta, inprimis masticata, sclopetis explosa, productæ sunt, quæ etiamsi levi intuitu inefficax appareat materia, tamen non raro gravium malorum & vulnerum, sed sæpe ipsius mortis causla exstitit; unde constat non semper globis ex plumbo alioque metallo opus esse ad homines interficiendos, sed solam chartam sufficere posse, & quidem non tantum ad partes molles perforandas, verum, quod mirandum, etiam ad robusta cranii ossa perfringenda.

Notabile hujus rei exemplum præbuit vir quidam in conspectu multorum hominum Anno 1713. d. 10. Januar. in vicina Præfectura Brandenburgico-Onoldina, Burgthan dicta, sequenti modo interfectus.

Novum inaugurabatur templum, & sicuti talibus in occasionibus fieri solet, signa lætitiæ a turma rusticorum in hunc finem tunc constitutorum ex sclopetis edi debebant.

Rusticis his quidam præficiebatur, ad cujus nutum concione peracta arma sua ignivoma exonerare jubebantur. Sed accidit, ut dum hic præfectus, in loco elato & rusticis valde vicino stans, signum ad explosionem daret, eodem momento, quo simul omnes sclopetos suos laxabant, malo suo fato ad terram mortuus procidebat, cum ingenti lateris dextri vulnere capitis, omnisque eo ipso lætitia in luctum convertebatur.

Rustici mox omnes in carcerem conjiciebantur, ob suspicionem ac si globos plumbeos contra datum mandatum exoneraf-

rassent, a quibus mortuus ille fuisset interfectus, sed uno ore nihil nisi pulverem pyrium cum charta se explosisse asserebant, ac nonnulli ob fragorem majorem excitandum chartam prius manducasse confitebantur.

Accersebar mox ad vulnus defuncti inspiciendum, examinandumque, an non globi plumbei in capite hæreant: verum inveni in magna Studiosorum aliorumque adstantium corona, cutem cranii lateris dextri supra aurem nigerrimam, adustam & misere contusam ac laceratam, cerebrique conquassati particulas adhærentes; apparebat simul foramen in cranii ossis parietalis ejusdem lateris satis profundum, pugillum fere admittens, frustaque ossis fracti, ad duos minimum digitos transversos in cerebrum propulsa; Cæteroquin externe nihil præternaturale occurrebat, nisi unicum illud vulnus cœcum, ubi quidem introitus in cranii cavum, sed nullus aderat exitus.

Desiderabant mecum adstantes anxie videre, quidnam hujus læsionis ac vulneris horrendi fuerit caussa, quidque in cranii cavitate se conspiciendum exhibiturum sit. Separavi propterea cutim cranii, & observavimus totum cranium mirifice fissum multis ingentibus fissuris, quæ a foraminis circumferentia instar radiorum stellæ undique per totum cranium diffundebantur, & quædam ad frontem, quædam ad occiput excurrebant, aliæ descendebant, aliæ ascendebant, & ad oppositam usque aurem se extendebant, quædam breves, quædam longæ.

Aperuimus dein cranium serra, ut moris est, & cerebri latus dextrum usque ad medium sive corpus callosum misere conquassatum ac laceratum invenimus, sinistro cerebri latere integro.

Dissecavi lente & per tenues lamellas sensim sensimque ad fundum usque cerebrum, ea spe fore ut globus quidam vel alia dura materia reperiretur, quæ caussa vulneris ac mortis esse potuisset, sed incassum: nihil enim, nisi frusta nigricantia adusta cranii diffracti & intropulsi offendebamus, ideoque vulnus hoc a charta masticata & frigore forte indurata (erat enim die illo insigne frigus) inflictum fuisse pronunciavimus; idque non sine ratio-

nibus: nam si globus fuisset, intrasset cranium & in cerebro inveniri debuisset; aut cranium utrinque perforasset, verum tale quid non observabatur: charta vero manducata, firmiter in sclopeto compressa, & simul a frigore valde indurata, magnam penetrandi vim habet, atque hoc eo magis, quia talibus in casibus fortioris soni excitandi caussa, magna pulveris pyrii copia sclopetos replent onerantque, unde vehementem illam contusionem & mortem productam fuisse existimo. Hoc exemplum partim docere potest, quod etiam sine globis, solaque charta sclopetis explosa cranium perforari & frangi queat; partim, quod cautius mercari discant illi, qui lusus gratia charta arma ignivoma onusta exonerare gaudent, ne lætitiæ loco luctus, tristitiam sauciamque conscientiam reportent. Notabile præterea in hoc cranio erat, quod nullum suturæ frontalis sive coronalis vestigium adfuerit.

OBSERVATIO CLXXXIX.

Dn. D. LAVRENTII HEISTERI.

Tumor Cysticus, meliceris dictus, avellanæ magnitudinis ex palpebra superiori feliciter extirpatus.

OPerationes Chirurgiæ, quæ in vel circa oculos fiunt, si ullæ, profecto hæ difficiles & ob nobilissimum visus organum aleæ plenissimæ sunt, sive visus læsionem sive deformitatem inde metuendam respicias.

Puella quædam tertium agens annum hic Altorphii tumore indolente in palpebra superiori oculi sinistri corripiebatur, ab initio valde exiguo, sensim vero ad avellanæ magnitudinem excrescente, unde non solum deformitas oculi oriebatur, sed & palpebra rite elevari amplius non poterat; Hinc cum parentes de majori deformitate ac periculo essent solliciti, meam opem implora-

plorarunt. Invenitunc tumorem fere in medio palpebræ, paulo versus canthum externum inclinantem, ac mobilem, hinc faustum de felici extirpatione augurium capiebam, quam & præmissa corporis præparatione Mense Decembri 1711. sequenti modo in præsentia multorum Medicinæ studiosorum perficiebam. Ministro in sella sedenti supra genua puellam firmandam ac tenendam tradidi; Alius a tergo prioris stans, caput puellæ firmiter prehendebat. Postea pollice & indice manus sinistræ tumorem cum palpebra, ne vacillaret, sustinui, & dextra ope scalpelli acuti cutem palpebrarum usque ad tumorem, secundum ductum fibrarum musculi orbicularis palpebræ semilunari quasi sectione caute dissecui, & sic tumor cysticus in suo folliculo se dabat conspectui. Sed quia firmius, quam antea putabam, cum interiori palpebræ membrana tenera, per quam ductus Meibomiani excurrunt, cohærebat sive concretus erat, metu ne in separatione integri folliculi tenuem illam membranam, cum modo laudatis ductibus dissecarem, & malum priori facile deformius inducerem, si nimirum liquidum horum ductuum per incongruas vias effflueret, propositum mutavi, & ex arena, ut ajunt, novum consilium cepi, atque tumoris hujus partem superiorem resecavi, materiam contentam melli inspissato similem expressi, & reliquum dein usu unguenti digestivi cum pauco Ægyptiaci mixti consumi curavi, quo facto, vulnus balsamo vulnerario tam pulchra cicatrice consolidatum est, ut vix vestigium, multo minus alia deformitas, visui se offerat. Jamque a triennio, quo operatio peracta est, nullum vel minimum indicium recrudescentiæ aut recidivæ se ostendit, quod alias in talibus tumoribus facile accidit, si folliculus sive cystis non integre extirpatur, quod tamen in loco adeo delicato vix tuto ob metum læsionis ductuum Meibomianorum fieri potest: unde patet folliculum hunc funditus esse extirpatum.

OBSER-

OBSERVATIO CXC.

Dn. D. LAVRENTII HEISTERI.

Tonsillarum nova & accuratior delineatio ac descriptio.

QVamvis tonsillarum morbi frequentes ac valde dolorifici, imo & periculosi sint, medicamque opem sæpe exposcant, atque ideo eorum cognitio Medicis valde necessaria sit; nescio tamen qua de caussa, apud Anatomicos vel nullæ prorsus, vel saltem minus accuratæ delineationes inveniantur; inprimis vero miror Valsalvam, qui, licet novam earum delineationem in Tract. de aure humana ediderit, Tab. V. Fig. I. talem tamen nunquam extitisse jurarem, aut unquam inveniri, nisi calcographi incuriæ culpam adscribendam velit. Præterea & hoc observavi, quod in anatomicis demonstrationibus plerumque a Professoribus Anatomicis vel omittantur, vel nonnisi per transennam (ob molestiorem forte earum præparationem) ostendantur, sic ut multos existere Doctores Medicinæ certo persuasus sim, qui eas nunquam viderint. Accedit & hoc, quod juvenis eorum inflammatione sæpe laboraverim, vel hinc eas rite cognoscendi desiderio semper flagraverim. Quapropter jam ab aliquo tempore de meliori descriptione & delineatione cogitavi, ut illi, quibus occasio cadavera secandi deest, ex distinctiori figura meliorem earum ideam sibi formare queant, eamque ob caussam multis in cadaveribus humanis, in earum accuratiorem anatomen inquisivi, & varias tonsillas collegi, easque partim in spiritu balsamico conservavi, partim tantum delineavi & varietates annotavi. Accidit autem a triennio, ut Dn. D. Widmannus, tunc Auditor noster solertissimus, nunc Physicus ordinarius Norimbergensis, nobis Amicissimus, hanc de tonsillis materiam in Academia Altorfina pro themate inaugurali tam physiologice & pathologice quam practice elaboran-

borandam ſibi eligeret, earumque in cadavere virili, quod tunc publice diſſecabam, accuratiorem præparationem pro apta delineatione a me expetteret; quod etiam lubens præſtiti, & hinc illa delineatio, quæ Tab. I. conſpicitur, nata eſt, quæ an reliquis præſtantior, & cum natura conveniat, harum rerum peritis dijudicandum relinquo.

Dein quia in lectionibus noſtris chirurgicis novum quoddam & utile inſtrumentum Chirurgicum pro ſuppuratis tonſillis aperiendis obſervavit, hujus quoque delineationem, quia antea nusquam adhuc, quantum ego novi, proſtabat, ſuæ Diſſertationi addere conſultum putavit. Quia vero Diſſertationes Academicæ ad Exteros vix perveniunt, hinc publico haud ingratum eſſe arbitratus ſum, utramque hanc tabulam Ephemeridibus hiſce, cum brevi, quantum fieri poteſt, deſcriptione inſerere.

Tonſillæ, Græcis παρίσθμια, ſunt glandulæ binæ in faucibus prope uvulam ſitæ, una in quovis latere, tunica oris communi tectæ, pluribus foraminulis tanquam totidem ductibus excretoriis pertuſæ, figuræ plerumque ovatæ, unciam circiter unam longæ, dimidiam latæ craſſæque, coloris ex albido rubentis, ſecretioni liquidi mucoſi ex ſanguine arterioſo deſtinatæ, quod ex foraminulis earum pro pharyngis & laryngis humectatione ac lubricatione, deglutitionis præſertim, ut & vocis & loquelæ facilitandæ gratia excernitur.

Vt vero earum naturalis ſitus & locus ſcitu ſatis neceſſarii rite cognoſcantur Tab. XI. Fig. I, ſimul cum deſcriptione erit conferenda: Nimirum Capite aliquantulum reclinato, ſicut in faucium inſpectione fieri neceſſum eſt, atque ore, quantum poſſibile, ope maxillæ inferioris (B B) diducto, linguaque (C) depreſſa, in poſtica oris parte, ubi palati fornix (A A) deſinit, in medio perpendiculariter dependet uvula (D), ad hujus latera membrana apparet rubicunda, totum oris cavum (dentibus exceptis) obtegens, ſub qua membrana (F) dextra delitescit tonſilla, ſic tamen ut orificium ejus nunc unum, ſicut in hac

figura, nunc plura, modo ampliora modo anguſtiora, accurato examinatori ſe offerant (G), ſeparata autem & reclinata iſta tunica, ut in ſiniſtro latere ad (H) exhibetur; integra tonſilla ſiniſtra (I) cum palato ſuperius cohærens (K) in conſpectum venit; inferius vero ad radicem linguæ, pharyngem & laryngem ſe extendens. Alias vero ubi membrana oris (F) adhuc tecta eſt, cum uvula quoque ſuperius connectitur. Denique (E) muſculum uvulæ plerygoſtaphilinum externum dictum indicat, ſed a Chalcographo minus diſtincte hic expreſſus eſt.

Figura II. ejusdem tabulæ notat duas tonſillas N°. 1, & 2 ex alio cadavere depromptas in naturali magnitudine, diverſæ admodum figuræ. N°. 1. ſatis exacte figuram amygdalæ fructus repræſentat, unde a multis amygdalæ etiam vernaculis linguis appellantur. Verum N°. 2. quamvis ex eodem ſubjecto, tamen nihil minus quam amygdalam refert, ſed irregularem figuram obtinet. Vbi ſimul notamus, quod, etiamſi tonſillæ alias ſæpe magnum ſinum ſeu cavitatem contineant, in quem omnia vel ſaltem multa orificia deſinunt, tamen hæ magno ſinu prorſus deſtitutæ erant, ſed quodlibet illorum orificiorum in ſuperficie conſpicuorum parvulum ſinum proprium habebat, & figuris inter ſe mire variabant.

Fig. III. N°. 1, & 2. duas tonſillas ex alio ſubjecto exhibet, ubi a notat ſinum magnum, præter quem tamen plures minores variæ figuræ & magnitudinis adſunt. b fiſſuram indicat, tonſillam aliquo modo in duas partes dividentem, quod ſæpius videre contingit. c Sinum magnum ſive communem in altera tonſilla N°. 2. & d alium magnum ſinum tres minores continentem; plura præterea alia hic obſervantur orificia minora, præter modo recenſitas cavitates majores.

In Fig. IV. N°. 1. indicantur pars tonſillæ ſuperior globoſior transverſim a reliqua graciliori N°. 2. reſecta. g Sinuum veſtigia, f apex: h fiſſura tonſillam quaſi bifidens. i ſinus minores figuræ ſeminularis, ut in fig. 11.

Fig.

Fig. V. Binas alias tonsillas humanas ostendit, sinubus communibus ii, ll, gaudentes, in quem omnes alii minores sinuli coëunt k.

Ex quibus omnibus figuris tonsillarum, accurate ad vivum delineatis, cognoscitur, Valsalvæ delineationes tonsillarum, omnia earum orificia unius ejusdemque fere magnitudinis ac figuræ, æqualique ordine disposita, repræsentantes, in Tract. de aure humana Tab. V. Fig. 1, cum natura haud convenire. Qui plura curiosa scituque digna de tonsillis nosse cupit, ipsam laudati D. Widmanni doctissimam Dissertationem adeat. Nos enim hic nihil, nisi figuras, earumque breves explicationes tradere voluimus.

OBSERVATIO CXCI.

Dn. D. LAVRENTII HEISTERI.

Instrumenti novi pro tonsillarum abscessibus aperiendis descriptio.

VArias dari methodos abscessus tonsillarum aperiendi haud ignoro, & in genere in quavis operatione chirurgica cum præstantissimis Chirurgis illam methodum, quæ simplici instrumentorum apparatu æque bene perfici potest, semper præferendam esse judico illis, quæ instrumentis difficilius parabilibus magisve compositis indigent; cum eorum multa magis ad pompam, quam ob necessitatem excogitata prostent. Attamen propterea non omnia instrumenta composita, vel apparatus majores, ubi res aut necessitas exigit, damnari aut rejici debent, sicut id trepani, lithotomiæ aliisque multis exemplis probare possemus, nisi aliæ rationes prolixitatem jam vetarent; & quamvis satis sciam, tonsillas suppuratas lanceola vel scalpello bene acuto aperiri posse, tamen pueris & delicatulis ferri aspectum abhorrentibus, & præcipue etiam sexus sequioris mollitiei sæpe aliquid dan-

dum est, qui non raro adeo pertinaciter instrumentis pungentibus vel secantibus repugnant, ut ex inani ferri metu temere mori & suffocari, quam ferrum admittere malint. Quibus in casibus e prudentia & officio, imo ex conscientia, Medici esse puto, Stratagematibus uti ad ægri vitam servandam, eumque a dolorum cruciatibus cito liberandum: Medicum enim omnia agere decet, quæ ad ægrum servandum facere possunt. Hunc igitur in finem pro aperiendis tonsillis tumentibus & suppuratis inventum est instrumentum a Chirurgo Gallo in Belgio mecum communicatum, cujus Autorem nescio, quo egregie talibus ægris pia fraude imponi potest. Postquam enim Chirurgus instrumentum hocce, lanceolam occultans, & spatulam repræsentans, bona cum venia & pace ægri ad linguam deprimendam, faucesque inspiciendas (quod tales ægrotantes permittunt) in os illius ingesserit, lancettam occultatam pollicis pressione protrudere & abscessum aperire potest, patiente id vix atque ne vix quidem animadvertente. Idcirco quoniam hoc instrumentum, quod lancetta cannulata vel occultata, aut Græco vocabulo παριστμιοτόμω commode vocari potest, in paucorum adhuc manibus versatur, utileque esse potest, ejus delineationem ac descriptionem hic addere operæ pretium duximus.

Repræsentatur hoc in Tab. XII, ubi Fig. 1. exprimit integram machinam forma spatulæ, intra cujus cavum recondita est lanceola, quam hic exertam conspicere licet, quousque extrudi potest ac debet, cujus vero apex alias non eminet, nisi pressione digiti protrudatur. A A Notat operculum thecæ, sub quo lanceola occultatur. B annulum operculi, per quem firmioris retentionis gratia in applicatione digitus medius transmittitur. C C thecam ipsam ex argento aut cupro flavo, cui reliqua firmiter juncta sunt. D. Lancettæ aciem exporrectam, quousque in operatione protrudi potest. EE Laminam, quæ rimam obtegit, in qua globulus F una cum prædicta lamina movetur, qui in operatione pollice protruditur, & cum hoc simul lanceolæ apex; remittente autem pollicis pressione, & globulus hic & lanceola

simul

simul resiliunt, ac lanceola denuo in thecam seu cannulam suam se abscondit. Vt autem hujus machinæ interna fabrica Lectoribus quoque innotescat, separavimus ejus partes, ut compositio eo melius pateat. Hinc in figura II. sistitur theca aperta, ut lancettæ situs & cum elatere fili ferrei nexus, mediante clavo factus, distincte conspici queat. Litteris A A indicatur thecæ Basis. BB Ejus parietes elevati. C Lamina tenuis transversim posita, præcavens ne lancetta sub ipsius protrusione ad hoc illudve latus thecæ impingat, sed recta procedat. DD Lancetta ipsa. GG Elater seu filum chalybejum in gyros convolutum, protrusam lancettam, sponte intra capsulam retrahens. H Clavus lancettam cum elatere conjungens, cui clavo per trochleam e latere opposito I continuus est globulus ille F Fig. 1. quo mediante lancetta e theca protruditur. Notandum tamen in hac figura literam I cum clavo, quem indicat, a Chalcographo altius poni debuisse. Fig. III. indicat seorsim thecæ operculum ex tenui quoque lamina factum cum annulo sive manubrio K. Fig. IV. exhibet laminam minorem, rimam in theca pro libero lancettæ motu atque itu redituque globuli factam, obtegens, ne æger meticulosus ferrum occultum facile percipere possit. Fig. V. denique notat globulum illum sejunctim trochleæ clavo applicandum, ope cujus lancetta (sicut supra dictum) libere extrudi potest.

Applicatio & usus hujus paristhmiotomi talis est: Machina Fig. 1. ita invertatur, ut annulus terram respiciat, pars ampla ægrum, tenuior Chirurgum. Postea medio digito per annulum B transmisso, superius vero pollice & indice admotis ita teneatur, ut pollex post, index ante globulum F ponatur. Altera manu prehendatur machina firmioris retentionis gratia in tenuiori extremo, ne vacillet in applicatione. Deinde pars amplior sub specie alicujus spatulæ ad linguam supprimendam & fauces inspiciendas per os ad tonsillas ita dirigatur, ut mediante pollice protrusus globulus F extrudere cuspidem lancettæ, atque hæc abscessum tonsillæ congruo loco, ubi scilicet pus quam

maxime conſpicitur, pertrudere queat. Hoc poſtquam dicto citius peractum eſt, inſtrumentum ſtatim ex ore retrahitur, ægerque materiam purulentam in ore ſentiens, ſponte exſpuet, atque vel caſu abſceſſum ruptum eſſe putabit, vel ſe ita ſalutari fraude deceptum eſſe gaudebit: nam dolor ab lancettæ cuſpide vel nullus eſt vel valde exiguus. Atque ſic hoc ſolo & unico inſtrumento perficimus, quod alias nonniſi duobus, ſpatula ſcilicet ad linguam ſupprimendam, & lanceola ad pertundendum, & quidem haud ſine majori moleſtia fieri potuiſſet.

OBSERVATIO CXCII.

Dn. D. LAVRENTII HEISTERI.

Obſervationes ſingulares in monſtroſo bicipiti vitulo.

IN ultimis Ephemeridibus, Anno 1712. editis, dixi me in anatome vituli monſtroſi bicipitis verſari, & quoniam eodem tempore Ephemeridum impreſſio ad finem properabat, ejusque anatomen nondum abſolveram, ſingularia in eo obſervata, quæ tunc ob temporis penuriam delineare & deſcribere non poteram, hucusque differre cogebar. Ea autem hæc erant: Ex unius colli extremo duo prodibant capita perfecta & omnibus ſuis partibus integra æqualis magnitudinis, quorum alterum dextrorſum, alterum ſiniſtrorſum ſpectabat, circa occiput vero coalita erant. Aperiebam utrumque caput, ut viderem, qua ratione cerebra ſe haberent, & ubi finem adipiſcerentur, quoniam ſolum unum collum & per totum corpus una ſpina dorſi ſeu vertebrarum columna aderat, & propterea etiam, ut ſuſpicabar, una ſpinalis medulla. Craniis apertis in utroque horum reperiebam cerebrum ac cerebellum perfectum, ejusdem magnitudinis & ſtructuræ, ut in aliis vitulis recens natis, neque in externis neque in internis ulla apparebat differentia: donec tandem

ad

ad medullam oblongatam ventum erat, ubi resectis cerebris AA & cerebellis aaaa Fig. 1. Tab. XIII. videre licebat, quomodo binæ medullæ oblongatæ b b ad c in unam spinalem medullam d coibant. Cæterum glandulæ pineales e e, nates ff, ff, testes gggg & reliqua se habebant, sicut hic delineata sunt, ac præter ea nihil extra ordinem aderat.

In ore vero, quia utrumque etiam in unum idemque collum desinebat, linguæ AA Fig. 2. Tab. XIII. ad BB coalitæ erant, & communes fauces habebant, quæ in unum œsophagum CC, & unum laryngem, cujus epiglottis D & cartilagines arytænoides EE cum apertura laryngis hic conspiciuntur, terminabantur. In reliquis partibus nihil peculiare occurrebat, sed ut in alio vitulo constitutæ erant.

OBSERVATIO CXCIII.

Dn. D. LAVRENTII HEISTERI.

De

Infante ano clauso nato, cum defectu intestini recti.

QVamvis non desint Auctores, qui exempla infantum ano clauso natorum (vulgo atretorum) annotaverint, & Amstelodami jam duos ipse viderim; ob singulares tamen circumstantias, observationem, quæ hic in vicino pago Palatinatus superioris Ehlsbach dicto An. 1714. d. 24. Febr. sese obtulit, hic describere utile pariter ac curiosum arbitratus sum. Accersitus fui ad infantem masculini sexus die quarto a nativitate, de quo obstetrix illius loci ad me transmissa referebat, infantem hunc carere apertura ani, eum jam fæces nigras sive meconium vomitu rejecisse, summaque virium prostratione laborare, & propterea parentes auxilium a me desiderare. Qua de causa me mox cum multis Medicinæ Studiosis in viam contuli, & offendi infan-

tem

tem debilem vomiturientem, cutis colorem ex viridi & flavo atrum, anum clausum, & loco ani vestigium quoddam firmam cicatricem repræsentans, introtractum, tactui non vel parum cedens. Ex quibus circumstantiis parum spei infantem in vita conservandi supereſſe, Parentibus & adstantibus indicavi, quia ex duritie vestigii suspicabar intestinum rectum deficere, sicut cum Celeberr. Ruyschio jam olim Amstelodami observaveram, & propterea etiamsi apertura sive sectio instituereturr tamen ad locum fæcum me pervenire non posse; Nam in casibus sanabilibus, ubi intestinum rectum tantum cute vel membrana clausum est, vestigium molle & protuberans ostendi solet; attamen ne quid in casu tali ancipiti & desperato, ubi mors certa imminebat, a me omitteretur, unde auxilium adhuc quoddam exspectari vel sperari possit, me aperturam moliri velle proposui, quam & parentibus annuentibus tentavi. Nimirum cruribus infantis divaricatis lancettam majorem, quali pro abscessibus aperiendis chirurgi utuntur, in cicatrice sive vestigio illo ani sensim ac blande secundum situm intestini recti intrusi ad quatuor transversorum digitorum longitudinem, sed sine cavitatis sensu ac sine fæcum effluxu (quæ alias cavitate reperta per vulnus effluunt) verum perpetuo cultellus in densa massa carnea hærebat, nihilque nisi guttæ quædam sanguinis effluebant. Sed ne quid omitterem, quod prodesse posse existimarem, mox loco lancettæ longiorem acum triangularem (quam Galli trocar appellant) immisi profundius, sed frustra quoque & sine effectu. Immissis tandem digitis accurate exploravi, an intestinum aut cavitas ejus explorari queat, verum nihil reperiri licebat. Cum itaque nihil auxilii supereſſe videbam, fato suo infantem relinquendum esse annunciavi, & infante mortuo ejus dissectionem a Parentibus experii: Moriebatur nocte sequenti post multos vomendi conatus & convulsiones horribiles, proximoque die dissectionem & explorationem suscepi; ubi observavi, intestinorum crassorum cavitatem tantum usque ad recti principium sive ad supremam ossis sacri partem se extendisse, reliquum ad anum usque spatium den-

densa quadam carnea substantia repletum erat. Ex qua observatione discere licet, quod non omnes atreti unius ejusdemque sint naturæ, & quod illi, quibus anus tenuiori tantum substantia clausus est, curationem facilem, tales autem, sicuti hic noster casus, nullam admittant.

OBSERVATIO CXCIV.

Dn. D. LAVRENTII HEISTERI.

Vrachus in eodem infante usque ad umbilicum raro exemplo apertus & pervius repertus.

LIs ac disceptatio est inter Anatomicos, utrum urachus in homine pervius quoque, sicut in bestiis, vel an clausus sit. Plerique eum omnino clausum esse statuunt, & inter hos Clarissimus Verheyen in anat. Corp. Hum. edit. priori cap. de secundinis ita scribit: *In homine quidem datur aliquod vinculum membranaceum nomine urachi vulgo notum, quo mediante vesicæ fundus ab umbilico suspenditur; sed illud unquam pervium esse repertum legi vel audivi nunquam.* In posterioris editionis supplemento Tract. V. Cap. XII. asserit: *se nunquam advertere potuisse in fœtu humano, licet sæpe facto periculo, urachum pervium; imo se consuluisse Clar. D. Ruyschium, qui respondisset se examinasse ultra quinquaginta vesicas urinarias humanorum fœtuum, sed nunquam reperisse ullam in fundo perforatam, ullumve ductum, qui inde ad umbilicum fœtus protruderetur.* Sed cum in fœtu hoc atreto, jam quinto a nativitate die inquisivissem, demonstravi multis præsentibus Medicinæ Studiosis non solum manifestum foramen e vesica in urachum spectans, & specillum crassum obtusum admittens; verum dum specillum obtusum calami straminei crassitiei immitterem, usque ad umbilicum facili negotio transiit, ubi tamen substitit, nec ultra umbili-

cum pervius erat. Vnde patet, quamvis raro, tamen quandoque urachum in fœtu humano apertum esse, nunquam tamen ultra umbilicum in homine pervius hactenus inventus est.

OBSERVATIO CXCV.

Dn. D. LAVRENTII HEISTERI.

De
Singularibus vermibus in equo repertis.

SIcuti in diversis plantis diversa vermium & erucarum genera observantur, ita & in ipsis animalibus diversis varii vermes reperiuntur, & in propatulo est alios in homine, alios in carnibus, alios in aliis reperiri bestiis, sicuti diligentes animalium scrutatores sæpe offendunt, scriptisque consignarunt.

Sed cum nuper sectionem equi viventis in gratiam Studiosorum perficerem, ob ductus thoracici ac vasorum lacteorum insignem magnitudinem ac perspicuitatem demonstrandam, ac postea reliqua quoque viscera perlustrarem, inveni primum in intestino duodeno, dein etiam in ventriculo præcipue prope pylorum, magnam peculiarium quorundam vermium copiam seu potius acervum, chrysalidum instar bombycum transmutatorum sicut in Tab. XIII. Fig. 3. lit. aaaaa aliquot cum frusto ventriculi bbbb, naturali magnitudine delineari curavi, colorem vero habebant rubentem seu carneum, & uno extremo erant liberi, altero vero ad lineæ mathematicæ profunditatem firmiter inhærebant tunicis ventriculi, e quibus postquam vi aliquot extraxi, foraminula cœca, id est non prorsus pervia relinquebant, quorum vestigia literis cccc indicavi. Et inde forte evenit, quod equus hic ad summam maciem ac debilitatem fuerit reductus, quo nulli amplius usui existeret idoneus.

OBSER-

OBSERVATIO CXCVI.

DN. D. LAVRENTII HEISTERI.

Vermes in columbis singulares.

DVm mōdo de vermibus in equo locutus sum, in memoriam redit notabilis historia de raris vermibus in columbis hic observatis.

Accidit nempe superiori æstate Anni nimirum 1714. hic civi cuidam Chirurgo, qui multas alit columbas, ut plures intra paucum tempus numeraret mortuas, sine ulla caussa manifesta, & pleræque reliquæ tristes sedebant ac languebant, verbo ægrotabant, & in vitæ periculo versabantur, Movit eum tandem sciendi cupido columbas tales mortuas dissecare, ut in caussam hujus luis mortiferæ columbarum inquirere possit; quod dum fecit, invenit ventriculos earum vermibus tenuibus albicantibus fere digitum minimum longis, crassitie fili crassioris (vulgo Bind-Faden) repletissimos, columbasque valde emaciatas. Hoc spectaculum cum mihi repræsentaret, & de remedio quodam, ne reliquæ ægrotæ perirent, sermonem mecum misceret, consiliumque agitare cœpisset, an non Mercurii usus, vermibus alias inimicissimus, & hic proficuus esse possit. Approbavi consilium, auctorque fui, ut aquam, in qua argentum vivum probe fuit exagitatum, ipsis pro potu continuo offerret: & postquam hoc fecit, pleræque reliquæ, paucis solum exceptis, quæ primis diebus adhuc moriebantur, & forte ob languorem earum nihil vel parum potarant, sunt conservatæ. Ex qua observatione, quamvis vilis videatur, haud exiguum forte commodum rei publicæ aliquando accedere poterit, si in morbis epidemicis pecorum non solum sectiones eorum instituantur, sed & repertis vermibus, mercurialibus eorum sanatio tentetur, nam fortasse morbi tales epidemici pecorum, ut & atrophia in equis aliisve animalibus sæpius a vermi-

bus oritur, quam hactenus fuit cognitum. Cum autem boni Civis sit ea non celare, quæ rei publicæ & toto generi humano utilia ac proficua esse possunt, has quoque observationes de vermibus non indignas censui, quo locum in hisce Ephemeridibus obtineant.

OBSERVATIO CXCVII.

Dn. D. LAVRENTII HEISTERI,

De

Cane, cui lienem extirpavi.

QVia de usu lienis Auctores nondum conveniunt, sed alter hanc, alter aliam foveat sententiam, imo quotidie adhuc novas opiniones proferant, inprimis etiam quia celebris Verheyen in corpor. Human. Anatomiæ postrema editione sentit aut saltem suspicatur, lienem forte aliquem usum in generationis negotio præstare, certumque cæteroquin sit lienem canibus salva vita exscindi posse, imo sine notabili quodam sanitatis detrimento; nullum tamen adhuc certum exemplum prostet, (quantum ego saltem scio, aut apud Scriptores reperire potui) canis liene orbati, qui ultra biennium vitam protraxisset, hinc ipse quoque experimenta capere institui, & tentare, quid observare possem. Quapropter superiori Anno 1714. Mense Septembri cani femellæ ex molossorum genere tertio ætatis mense lienem amputavi. Vulnus brevi rursus sine omni fere incommodo canis coaluit, & ipse semper gesticulabundus ac lætabundus ab ipso exsectionis die ad hoc usque tempus circumvagatur, currit ac saltat, sine omni perceptibili noxa. E contrario a primo amputationis die incepit avidissime vorare, & adhuc hodie fere insatiabilis est, quæcunque reperit, consumens. Ad cursum, si quisquam alius est velocissimus, viribusque integris, robustis, ac primis diebus singulis momentis urinam excrevit.

Quic-

Quidquid in posterum in ipso observabo, & inprimis etiam an in utero concipiet, alio tempore cum eruditis communicare non gravabor.

OBSERVATIO CXCVIII.

Dn. D. LAVRENTII HEISTERI,

De

Cataracta quadam lactea rara ac singulari in dissecto oculo observata.

ETiamsi in tractatu meo de Cataracta & glaucomate, haud ita pridem divulgato, multa exempla & observationes descripserim, quæ cataractam in humoris crystallini opacitate, & non in pellicula quadam in humore aqueo concreta existere, probarunt; nullum tamen adhuc exemplum oculi dissecti talia observanda dedit phænomena, qualia nuperrime hic in ædibus meis observavi. Scripsi in Ephemeridibus Academiæ Cæsareæ Nat. Curios. Ann. 1712. editis, canem hic esse Altorfii vera Cataracta in utroque oculo laborantem, easque non in pellicula, sed in lentis crystallinæ opacitate consistere, situs, color, convexitas &c. persuadebant. Monui vero simul, animal illud tam carum suo esse Domino, ut cum dissecare non permitteret.

Tandem tamen die 6. Februar. 1715 mortuus ad me deferebatur, ut oculos ejus aperirem, atque in cataractas has inquirerem. Et licet nunc a quinquennio cœcus fuerit, tamen oculi & cataractæ ejus hactenus semper eadem specie, sicuti ante triennium, se repræsentabant, sine ulla notabili differentia, nisi quod pridie fortem percussionem sive ictum in oculo sinistro acceperit, a quo oculus sinister prorsus erat contusus & destructus, ut nihil amplius distincte magno meo dolore in eo cognosci potuerit, dextro tamen integro atque illæso.

Aperui primum præsentibus multis Studiosis oculum contusum, sed ita contritus erat, ut in globo sive bulbo oculi nihil nisi massam sanguinis coagulati reperire liceret. Verum dexter oculus pristinam suam faciem servabat, & post pupillam corpus apparebat opacum, albicans, convexum, prout cataractæ se ostendere solent.

Quod postquam omnes adstantes probe perlustrassent, oculum hunc ex orbita caute separavi, & bulbum ejus ab omnibus musculis & pinguedine liberavi. Hunc postea in mensam ita posui, ut tunicæ corneæ incumberet, nervusque opticus sursum spectaret. Resecavi tunc forfice acuto nervum opticum cum posteriori bulbi parte, quantum pro facili inspectione in oculum sufficiebat: & omnes observavimus per humorem vitreum pellucidum, corpus lentiforme opacum, candicans in loco lentis crystallinæ. Atque ut eo distinctius conspicerentur omnia, nec ulli dubitandi ansa relinqueretur, bulbi partem posteriorem tandem ultra dimidium forfice amputavi, ut sic undique exacte pateat corpus illud opacum esse lentem crystallinam. Quibus peractis corpus hoc acu nova Brissæi a cohæsione cum ligamento ciliari (quocum naturaliter cohæret) separavi, ut & anterior ejus pars rite perlustrari possit: quo facto nulla membrana, nullumve aliud corpus præternaturale aderat, quam sæpe dicta lens crystallina; reliquæ oculi partes recte se habebant. Attamen in hac separatione, quoties lentem hanc opacam acu premebam, rarum & insolitum spectaculum se ostendebat, nimirum observavi semper foveam ab acu plana huic corpori crystallino imprimi, acuque remota foveam illam mox rursus disparere, eodem prorsus modo, ac si vesicam liquido plenam digito premimus, quæ digito remoto, mox priorem figuram fovea deleta, denuo induit. Satis autem hocce phænomeno considerato, acu tandem membranam hujus lentis perforavi, & dicto citius humor candicans lacteus membranam hanc modo replens atque distendens effluebat, ac parietes membranacei, qui ante per-

perforationem figuram lentis cryſtallinæ naturalem perfecte exhibuerunt, nunc omnino concidebant, unde apparebat totam corporis cryſtallini ſubſtantiam in humorem lacteum diſſolutam aut transmutatam fuiſſe. Atque ſic hæc cataracta ſe habebat inſtar veſiculæ liquore lacteo plenæ.

Ex qua obſervatione multa utilia ad cataractarum naturam illuſtrandam colligi ac diſci poterunt: nimirum (1) quid ſint cataractæ lacteæ ab Auctoribus ſæpius quidem obſervatæ, at non recte intellectæ. Perhibebant plerumque tales cataractas non fuiſſe rite maturas, nec ſatis induratas, lacteumque colorem ex membranula diffluente oriri; verum eos erraſſe, & naturam earum non rite cognoviſſe in propatulo eſt: nam hæc cataracta jam ante triennium opaciſſima erat, ideoque etiamſi tunc nondum fuiſſet matura & membrana dura, id intra hocce tempus fieri debuiſſet: verum quoniam hæc alia cataractæ ſpecies eſt, & rebus ita conſtitutis, ſicut modo deſcripſi, profecto nunquam perfectam duritiem induxiſſet. (2) Ex iisdem melius explicari poſſe exiſtimo, quid ſint Cataractæ purulentæ & caſeoſæ veteribus obſervatæ, quas ob materiam variam contentam aut collectam in membrana cryſtallini differre puto. Dum modo in lacteum, modo in purulentum liquidum lens cryſtallina mutatur. (3) Diſcimus lentem cryſtallinam prorſus in oculo diſſolvi & converti poſſe in liquidum. (4) Quare cataractæ lacteæ non ſint ex peſſimis, ſed ſæpius licet liquidis oculi turbatis, curari, ægrisque viſum reſtitui, ſicut in Tractatus noſtri §. LXXXVIII. & alibi monuimus; Lacteum enim hoc liquidum gravius humore aqueo, fundum petit, & ſic perluciditas reliquorum humorum oculi redit. (5) Denique monere volo, poſſe aliquando in oculo, qui cataracta laboravit, inveniri membranulam ſive pelliculam, nam poſt effluxum liquidi lactei parietes ſive membranulæ lentis cryſtallinæ ita concidebant, ut talem membranulam exhiberent, qualem alias cataractæ cauſſam perhibuerunt

Verum

Verum tunc deficiet lens crystallina, & non erit nova membrana ex humore aqueo vappescente generata, sed membrana lentis crystallinæ.

Tandem non dubito fore, qui hanc observationem parvi momenti esse proclamabunt, quia ex cane est petita: verum hanc objectionem infirmo stare talo, exinde manifestum est, quia 1. oculus humanus & caninus nulla in re differunt, ex qua concludi recte potest, quod id, quod in canino oculo aut humore crystallino contingit, non etiam in humano contingere queat. 2. Quia reipsa cataractæ lacteæ, id est, ubi in operatione humor lacteus effluxit, sæpe observatæ sint in hominibus.

OBSERVATIO CXCIX.

DN. D. GODEFRIDI THOMASII.

Thea Rosea.

BOnum factum. Consuetudinem in conviviorum solemnibus frequentatam servabimus, degustatis jam varii saporis & condimenti ferculis, sitique non unius generis liquoribus, uti putamus, expleta caldam more veteri, per luxum hodie magis, quam salutare consilium, reducto ministraturi. Theam propinabimus, non illam Sinensem aut Japonicam, sed indigenam, quæ paria tamen isti faciat, viribusque haud quaquam inferioribus præcellat, saporis autem atque odoris suavitate si non plane vincat, palmam tamen sit redditura ambiguam. Non absterrebit a proposito inconsulta & nimia, quæ passim inolevit, ac detrimenti sane plurimum plerisque affert, calentium ac theæ foliis medicatarum aquarum ingurgitatio. Ea dudum suspecta cœpit esse multis, publicis etiam objurgationibus abs nonnullis multata. Ex his suave est cumprimis *Martinum* audire *Listerum* in Hodoeporico Parisino perversi moris tenaces plus vice simplici mirifica, qua pollebat, ingenii acrimonia increpantem, dum parum illos ait abesse ab illorum insania, qui relictis frugibus glandes repetant, cum in aprico sit, nullam aliam ob rationem theæ choavæque sorbitiones apud Indos primum ac Persas invaluisse, nisi quod aquæ salubris ac frumenti cerevisiis coquendis oportuni defectu premantur, vinoque fere careant aut severissimo religionis interdicto cogantur abstinere. In eo igitur ineptiarum genere, quod miseriam aliorum in luxum nobis non uno nomine exitialem convertimus, arcanam DEI bonorum pariter ac malorum dispensatoris providen-

tiam agnoscit ac veneratur, eo vesaniæ mortales prolabi sinentis, ut vitæ per reatus ac scelera traductæ fila præcidant ipsi, ac sua sibi temeritate damnum arcessant, exquisitissimis ab arte salutari præsidiis vix averruncandum. Ego vero nolim esse tam severus censor illorum, qui licentius, ac par est (liceat Plautino verbo uti) thermopotant gutturem, neque propter multiplicem, cui res etiam merito suo commendatissimæ subjacent, abusum abrogandas existimem leges diætæ caldariæ. Ea potius animi est mei sententia : utut credam satius fuisse, si *Bontevaccius* cum sequacibus proletariæ, pro temporum captu, medicinae instauratoribus intra suam sese constrinam continuisset, neque incondito propudiosoque clamore temerasset hæc sacra, quorum vix e longinquo limina oculis lippientibus adspexerat; in eo tamen felicem hominis temeritatem jure arbitror, & recta sentientibus commodam, quod vulgi ingeniis tralaticia opiatorum, salis volatici, Nicotianæ, theæque, depraedicatione dementatis, eo rem duxerit, ut minus hodie, ac olim, infuforum apozematumque usum perhorrescant, quorum nomina duntaxat injecisse tum pro nota medici Galenici, hoc est, ut isti putabant, prorsus inficeti & lauticias chemicas ignorantis habebatur. Enimvero aquarum usum, uti in omni vita, ita maxime in ea incolumi atque a morbis immuni servanda, esse perquam eximium, res ipsa loquitur & diffusa summorum in arte magistrorum experientia. Quorum sententias ac observata elegantissimo schediasmate complexus, universalis medicamenti elogium aquæ asseruit haud ita pridem *Fridericus Hofmannus*, Medicus vere Regius, regni certe iatrici sapientissimus moderator. Quod si calor accedat & ad interiora fibrarum blanda vi propellat salutares latices, ecquid mirum, si morborum etiam pervicacissimos nonnunquam isthoc unico præsidio felicissime videamus superari? Ne de calculi podagræque tormentis quidquam adducamus, febres biliosas & ex humorum in putrilaginem fatiscentium corruptela propullulantes nihil certius fugat,

& in ipsa quasi herba suffocat, præterquam aquæ calentes copiose liberaliterque ministratæ. Icteri diuturni & ad infaustum nigrorem jam proclivis pertinacia, cum stomachus potum omnem alium & alimenta constanter respueret, nuper mitescere visa fuit paucos intra dies, cum aquæ a coctione ferventis, leviſſime duntaxat saccharatæ, largiores subinde sorbitiones imperassemus. Liquet igitur, non sine ratione nihil fere apud veteres observari frequentius infusis atque decoctis, absque quibus si sit, parum omnino in morbis præcipue pectoris curandis præstabimus.

Sed nauseam creant & stomachi tonum misere labefactant, præsertim ad culullos epota. Vitabuntur facile hæc incommoda, si rejectis grandioribus scyphis, minutos duntaxat clinicis exsorbendos apponas urceolos ministratorios, fugiasque sesquipedales illas apozematum formulas, quorum seges occurrit in superiorum temporum scriptoribus longe ampliſſima. Omittenda est inconcinna sine dilectu farrago, ubi simplicibus est locus, quorum sane usum sagaciores ampullosis istis compositionibus merito præferunt. Quid simpliciſſimo florum chamaemeli infuso in colicis ac hysthericis doloribus præstari queat, norunt mulierculæ. Serpillum aquæ leviter incoctum ac per vices sorbillatum magno est, plus quam credi posset, arthriticis solatio. Rosmarinus catarrhis a capite depluentibus opitulatur, sexuique elegantiori leucorrhœas persanat aliaque sanguinis impurioris vitia. Angli ejus pitiſſatione cumprimis delectantur, quorum in thermopoliis, si theami porrigi jubeas, nisi de illa Sinensi expressa fuerit cautio, caldam rore marino medicatam sæpenumero es recepturus. Salviæ folia Indi expetunt firmandis in officio visceribus gratiſſima, iisque tinctam aquulam suaviter sorbent, Belgisque plenos theae calathos pro horum manipulis remittunt. Taceo agrimoniam, fragariam, bellidem utramque, chamædryn, aliasque de hoc censu herbulas, non omnino insuaves & usu maxime polychrestas. Ve-

ronicæ has inter eminentiam adſtruxit jam olim *Jo. Francus* præclari nominis Vlmanorum Medicus & cum ipſa thea comparatam peculiari dedit opuſculo.

Multis baccæ juniperi vicem theæ ſupplent, magno viſcerum, urinæ cumprimis ſecretioni dicatorum emolumento; aliis eæ in potum cedunt ac menſis adhibentur, ex Comitis, neſcio cujus, *Volcarti* inſtituto. Suaviorem reor & præſtantem magis illam juniperatam (*genevrette*) quam ex hiſce baccis cum hordeo fermentatis paravit ſibi *Fr. Joannes Baptiſta*, apud Andegavenſes Eremicola vitæ morumque ſanctimonia celebris, quem anno ſuperioris ſæculi XCI. exeunte diem obiiſſe conſtat ex vitæ ſumma Lutetiæ octennio poſt expreſſa. *Antonium* eum fuiſſe *Borbonium* Comitem *Moretanum*, naturalem *Henrici M.* ex *Jacobina Buliana* filium, rumor fuit conſtans, neque dubius iis, qui præfixam viri imaginem, Parentis Auguſti formam omni ex parte referentem contuentur. Herniariam, neglectam fere hactenus & ramicibus duntaxat ſanandis adhibitam plantulam, quis oculorum affectibus tam commodam ſalutiferamque fuiſſet ſuſpicatus, niſi id paucis abhinc annis innotuiſſet iterata periti cujusdam in Saxonia Medici, cujus excidit nomen, experientia declaratum? quod & nobis innotuit multoties ophthalmicas herniariæ in aqua calda ſumptæ vires expertis. Neque vero in ſimplicibus ſolum ſeſe continuit medentium ſollertia; miſcellas varias ex omni indigenarum herbarum genere parare docuit honos Daniæ, *Olaus Borrichius*, theæ vicem ſuſtinentes, & morbis quibuscunque debellandis oportunas.

Alii alias, præ ceteris concinnas hujusmodi ſemidecoctorum formulas exhibent in ſcriptis aureolis *Roſinus Lentilius*, ac *Theodorus Zuingerus*, illuſtres doctrina & meritis viri omnisque praxeos longe peritiſſimi. Helvetiorum panacea habetur ex herbis maxime vulnerariis paratum decoctum, quod vernaculo ſermone *Faltrank* appellitant, neque in læſionibus duntaxat

taxat partium ex casu vel graviori contusione factis, sed in difficillimis pariter corporis affectibus propinant, adjectis pro re nata aliis, optato semper, uti ferunt, successu. Ex pyrola istud, sanicula, virga aurea, clematide, daphnoide, gnaphalio montano, scabiosa, similibusque parari istud docuit *Jo. Benjaminus d' Apple* Lausannensis medicus, mirasque ejus virtutes in cœlum effert peculiari codicillo, quem nova R. P. literariæ Gallico idiomate expressa anni M DCC IX. mense Julio exhibent. Herbacea isthæc farrago, minutim concisa & quaqua versum exportata a nostris quoque subinde in usum ducitur, & postquam in aqua efferbuit, supremis labris sorbillatur. Non licuit equidem hactenus observare invidendos adeo ac dignos tam præclaris encomiis effectus; id unum duntaxat notavi, stomachos, quales sunt nostratium infirmos ac debiles, qui abs herbarum inquilinarum usu mox solvuntur, Alpinas istas sine incommodo ferre, magno præstantiæ plantarum, quæ in montosis nascuntur, præ illis, quas declivia ministrant, documento. In hisce autem, similibusque, quoties clinicis commendantur, nihil magis videas desiderari, præterquam saporem, quem nimis herbaceum ac delicatioribus palatis parum amœnum clamitant, tametsi potionum aliæ aliis minus sint insuaves. Huic incommodo nonnihil emendando, ut scenæ serviamus, pro condimento schœnanthum subjicimus, santalique citrini rasuram, vel cinnamomi tantillum aliaque fragrantiora concedimus labellis cupediariis. Sacchari etiam loco syruporum suaveolentissimos jubemus immisceri cum gemmato isto julapio. Attamen ne sic quidem id potest obtineri, ut thea Sinis relicta, suis frui discant bonis iniqui delicatulique nimis, quam par est, rerum æstimatores, gustationem sibi propinari quiritantes, quæ si ad istud Sinicum, quod putant, nectar comparetur, mera sit nautea. Igitur diu in eam cogitationem defixus fuit animus, annon aliquid ex indigenarum apparatu plantarum obtineri queat, quod theæ si non prorsus esset acmulum, saltim non

usque quaque istam, quam ibi requirunt, gratiam exuisse videatur.

Chamæleagnum certe *Dodonæi*, vel myrtum Brabanticam, agrestem plane ac nudam herbam, neque ullis fere salutiferi effectus viribus insignitam, quis ab *Simone Paullino* reciperet, theæ illam surrogante, nullo cum censorum populique suffragio? Tolerabilius erat Betonicæ folia, usu multiplici dudum commendatissima, ideo quod externa specie theam nonnihil referat, proposuisse thermoposiæ cupidis, quod in isto de abusu tabaci & herbæ theæ commentario fecit vir alias in hyles iatricæ fundo, explorandisque simplicium virtutibus suo tempore versatissimus. Diu ergo in ancipiti opinionum divortio obhæsimus, nihil indepti, quod palato naribusque gratam illam cum levi amarore fragrantiam imprimeret. Tandem casu magis, quam certo destinatoque consilio in rosæ frutices incidimus, quorum folia siccata & ferventi aquæ immissa, non modo amœnissimum ei virorem conciliant, sed subadstringentis pariter saporis gratia nihil quidquam Sinico cramati concedunt, odoris autem suavitate mirifica, quæ in thea violaceum quid spirare videtur, etiam præcellunt, roseæ fragrantiæ nonnihil, quod tamen hystericis nequaquam adversum observatur, secum trahentia. Quod si *Petrum* audiamus *Hoornium* Legatione ad Sinas defunctum, rosæ speciem esse theam is quidem asseverat, aeque in hoc falsus, ac *Jacobus Bontius*, qui consolidæ similem facit, ipseque adeo optimus maximus rei omnis herbariæ promus condus *Casp. Bauhinus*, qui in Pinace inter umbelliferas fœniculi esse speciem pronunciat.

Rosarum autem fruticeta investigantibus omne quidem eorum genus folia ministrat caldariis usibus oportuna; silvatica tamen, quam caninam vocant, & cum cynosbato eandem esse pertendunt, huic rei præ ceteris aptam convenientiorem-

remque eſſe compertum eſt, adeoque nihil quidquam, ſi hæc miniſteria ſpectes,

cedit puniceis humilis ſaliunca roſetis.

Haſce ergo fumantes roſeo liquore pateras propinare conſulto non dubitamus omnibus iis, quos Sinicæ hactenus deliciæ addictiores tenuerunt, deque viribus eſſe jubemus ſecuros, cum quod palato arriſerit, idem mox multis modis perhibeatur ſalutare, atque proficuum. Excutiat quis modo omnia theæ, profuſa nimis liberalitate, tributa præconia; nihil in iis reperiet, quod a roſatis hujusmodi potionibus non æquum ſit pariter expectari, ipſeque adeo rei uſus plura indies, quam calamus ſcribendo feſſus nunc velit perſequi, pitiſſationes amantibus eſt ſuppeditaturus.

OBSER-

OBSERVATIO CC.

Dn. D. MICHAELIS FRIDERICI LOCHNERI.

Nicotianae Planta albicans leti praesaga futuri.

SEmper profanum illud genus odi et arceo, quod ex incertis naturae indiciis, de arcanis rerum fatis, quae in Providentiae sacrario summum nomen sepositit, audacter pronuntiare, impudenterque pariter ac imprudenter dubios et incertos rerum casus edicere solet, quasi in Trophoniis antris auram collegisset, aut in Delphicis spiraculis fatidica carmina legisset, aut divinas in Dodona frondes consuluisset. Non tamen diffiteor, prodigio saepe fatales rerum casus praemoneri, et futura ex fatidicis signis naturae impressis recta praesensione prospici posse. Inter alia Plantas fatidica prodigia praemonstrasse, e veteri liquet Historia. Vlmi reflorescentis fruticatio auspicata Romanis; Laureti triumphalis defectio Julianae familiae perniciem interitumque portendit. Simili prodigio in Quirini delubro Myrti duae, quarum una Patritiis, altera plebejis sacra erat hominibus, utriusque familiae fortunam adumbrarunt. Sic scopae in Palatio sub Valentiniano et Valente florentes, crescentem vilium hominum dignitatem significarunt. Hinc Botanomantia fluxit, (cujus diversissimae species) quae e variis signis, captiosis fallaciis futuros rerum eventus ariolabatur. Meconomantiam, injecta quoque Daphnomantiae et Pyximantiae mentione, produxi in Meconopaegnio sive Papavere ex omni antiquitate eruto, pag. 117.

Nunc

Nunc divinationis e Tabaco specimen promo. An Planta haec veteribus cognita? et *Onosma Aeginetae?* discussit Cl. Neander in Tabacolog. p. 5. et p. 277. qui

de fumo solidum condidit Auctor opus.

Certum est, imo certissimum, alterius coeli et soli plantam nunc quoque patriae terrae nostrae inquilinam esse, variis tamen hominum expositam judiciis.

Aliis enim

Planta beata! decus terrarum, munus Olympi.
- - - - - Vix sanior herba
Extitit, & meritos jam nunc gratantur honores
Africa gens, Asiaeque ingens, Europaque nostra.

Reperies iterum alios, qui

- - orco devoveant, mox subventanea orci
Daemonis ova vocent, placando et idonea Diti,
Persephones mulsum, Furiarum tus & odorem,
Et de Cerberea germen letale saliva.

Vt Cl. Thorii elegantissimis versibus Libr. I. de Paeto me expediam: Laete haec planta virescens, cum colorem consuetum mutat, virorique foliorum albedo succedit, triste exinde augurium captant agricolae, maliqueinstantis perturbantur metu, et possessoribus fundi, in quo crescit, letum praesagiunt vel familiae luctum ominantur.

Risi saepius vanam et futilem hanc preasagitionem; oppo-
fuere tamen plurimis testimoniis, feralibusque casibus communi-
tam Experientiam, mihi quoque, ut mox patebit, luctuosissimam.
In nonnullis praedii mei Humelsteinensis, horae quadrantem ab
Vrbe nostra dissiti, agris, copiose seritur laeteque propullulat
Nicotiana, in illis praecipue,

- - Vbi terra levis, non marga ligoni
Obvia, non argilla tenax, non obsita musco
Tesqua, nec impresso flentes sub vomere glebae.

Adolevit inter has felicius multo ac citius virescentibus candi-
cans quaedam Tabaci Planta, metum incolis prædii mei, illi
praesertim, cui curas ejus commisi, incutiens, qui ancipiti spe se
torquebant, ne Domui ferale quid meae imminueret. Cum tandem
elapso feliciter anno (nec enim ultra annuum spacium durat super-
stitiosa haec praesagitio) Calendis Januariis prospera quaeque mo-
re consueto apprecantur, laeti referunt, nunc se metu solutos,
quod exorbitantis coloris Planta, nil infausti, nil sinistri mihi me-
isque portenderit.

Eorum exposui tunc oculis vanum hominum ex his incer-
tis signis conceptum, temereque illa fortuitoque fieri demon-
stravi, nescius, cui calamitati perferendae Divinum me destina-
verit Numen. Vix enim novi anni prima elapsa hebdomade,
literae huc Witteberga delatae nuntiant, agonizante adhuc an-
no variolis correptum filium meum unicum, Medicinae Can-
didatum, quem tanquam oculos, et si quid carius istis, amavi,
ex oculis et mundo immundo ereptum esse. Quam casus iste
certe tristissimus me afflixerit, facile aestimabit, cui notum,
quantum praesidii post devorata per triginta annorum in Praxi
clinica fastidia, continuosque labores ingravescentibus jam annis

in

in eo posuerim, quantamque requiem sperarim, quas ejus nunc immatura mors spes abscidit omnes. Certe quicquid molestiae obstingebat, unus facile detergebat hicce meus ad optima natus, (praefiscini dixerim, & haud indulgendo paterno affectui) filius, pristinae pro! dolor deliciae meae. Sed DEO sic visum, qui unus novit, quid illi, quid mihi, quid familiae meae maxime expedierit. Non enim illum amisi, sed praemisi tantum, mox secuturus ipse, cum summus Imperator vocaverit. Hoc est, quod dolorem lenit, qui nunc me coquit et versat sub pectore fixus. Dabit, ut confido, supremum Numen, ut conquiescam in sanctissima ejus voluntate, inque ea, quae me exercet mali mole, meisque cervicibus imposita *Cruce*. Sic enim

Nomine, quae Sanctae Crucis herba *vocatur, ocellis*
Subvenit,

et pectus Christianum voluntate divina tanquam suprema lege firmat. Obtinuit autem Tabaci Planta hoc *Sanctae Crucis* cognomen, secundum Castorem Durantem,

Quod sanctae Crucius Prosper cum Nuntius esset
Sedis Apostolicae Lusitanas missus in oras,
Hanc apportarit Romanae ad commoda gentis.

Hoc insuper auctarii loco addendum, non mihi solum hoc anno, sed et fratribus binis germanis meis sororique dilectissimae, flebiles praesagiisse luctus infelicissimas has in eorum agris pro-

gnatas quoque candicantesque plantas, conjugis, mariti, filiolaeque obitus quasi prænuntias, hoc tamen discrimine, quod adultarum adulta planta, filiolae autem obitum parvula designarit. Tantum tamen abest, ut hac recensione patrocinium divinationis a plantis desumptae suscipere velim, ut potius non obstante funestissimo mihi omine, credam, his vaticiniis agricolas saepius fallere et falli.

APPENDIX

AD

EPHEMERIDVM ACADEMIAE CAESAREO-LEOPOLDINAE NAT. CVRIOSORVM IN GERMANIA CENTVRIAS III. & IV.

NORIBERGAE,
Typ. Jo. ERNESTI ADELBVLNERI.
ANNO cIↃ IↃCC XV.

Mo.Bot. Garden,
1902.

CEREMONIES
OF
MARRIAGE
COMPARED WITH
THOSE OF BAPTISM

CONTENTA APPENDICIS.

1. *Epistola Illustr. Dn. Jo. Mar. Lancisii Archiatr. Summ. Pontif. de Morbo, Interitu & Funere Ampl. Viri Dn. Horatii Albani. p. 1.*
2. *Constitutiones Epidemicæ variæ. p. 22.*
3. *Illustr. Dn. G. G. Leibnitii de Ætiologia Barometri &c. p. 29.*
4. *Dn. D. Rudolphi Jac. Camerarii Stationes Barometri supremæ & infimæ. p. 52.*
5. *Dn. D. M. F. Lochneri Archiatr. Cæs. Mungos Animalculum & Radix descripta. p. 57.*
6. *Dn. D. Alard. Maur. Eggerdes Archiatr. Ser. Duc. Supr. Mag. in Pruss. Admin. Ord. Teut. Magn. Mag. Aphorismi de Peste. p. 89.*
7. *Dn. D. Goth. Dav. Mayeri Epistola Censuram Act. Erud. Lipsi. Discutiens. p. 102.*
8. *Dn. D. Jo. Sigism. Henningeri Archiatr. Argent. de Vasis Lacteis & Modus novus inveniendi ductum Thoracicum in corpore humano. p. 120.*
9. *Dn. D. Viri de Blischer Med. Cæs. Observ. Physica de Gemellis cum utroque latere usque ad umbilicum concretis. p. 127.*
10. *Dn. Jo Gabr. Doppelmaieri Mathem. P. P. Norib. Animadversiones nonnullæ circa Eclipsium observationes. p. 133.*

11. *Dn.*

11. *Dn. D. Samuel. Löberi Archiatr. Sax. Weiſſenfelſ. Epiſto-la de Locuſtis p. 137.*
12. *Dn. D. Gottlob. Schoberi Sacr. Czaar. Majeſt. Archiatr. Diſſert. de Vomitu lethali ab Hepate Scirrhoſo &c p. 147.*
13. *Dn. D. M. F. Lochneri Mantiſſa ad Schediasma de Parreira brava. p. 161.*
14. *Dn. D. Godofredi Benjam. Preuſſii Memoria Fæniſia-na. p. 169.*
15. *Dn. D. Samuelis Graſſii Memoria Schultziana. p. 201.*
16. *Dn. D. Jo. Bapt. Morgagni Memoria Gulielminiana. p. 225.*

Epiſto-

Epistola Physico-Medica

Illustr. Dni JO. MARIÆ LANCISII ab Intimo Cubiculo & Archiatri

S.S^mi D^ni N^ri CLEMENTIS XI. P. M.

ad

Illustr. ac Rev. D. PHILIPPVM de TVRRE Episcopum Adriensem,

De

Morbo, Interitu, & Funere Amplissimi Viri,

DN. HORATII ALBANI, ejusdem Pontificis Germani Fratris.

Illustrissimo ac Reverendissimo Præsuli,

PHILIPPO de TVRRE Episcopo Adriensi meritissimo.

JO. MARIA LANCISIVS, Archiater Pontificius S.P.D.

PRæstaret, Illustrissime Vir, nescisse literas, si epistolarum inter nos svavissima commercia erant acerbissimi luctus, & ingentis jacturæ nuncio funestanda. Certe nihil tristius unquam bonis viris accidit, neque publico dolore, & lacrymis justius unquam parentatum est, quam inter atros hosce dies mœrentibus nobis exactos in summo animi angore, quem nulla temporis diuturnitas

penitus abſterget. Amiſimus enim rarum humanitatis, modeſtiæ, ac probitatis exemplum, D. Horatium Albanum, Sanctiſſimi D.N. CLEMENTIS XI. Fratrem, non ſolum ſanguinis, ſed virtutum etiam cognatione Germanum. Quanquam vero recenti vulneri ægre admodum medicina paretur, tamen, ut apud Virum Religioſiſſimum, pariterque Amicum jucundiſſimum doloris levamentum qualecunque perciperem, de noſtra, & communi omnium ærumna ad Te ſcribere conſtitui, præſertim, quod ſenſum triſtitiæ iſthuc etiam pervaſiſſe, Tibique præ cæteris moleſtum, ingratumque eſſe, non ambigam, quippe quem pietas, & amor noſter potiſſimum tangit. Quoniam autem Philoſophos naturæ ſtudium, & Chriſtianos religionis cultus, ac præmii cœleſtis expectatio a luctuoſis rerum humanarum caſibus avocare ſolet, fortunæque adverſitatibus lenimentum inſpergere; accipe virtutum ſummam, & narratiunculam ejus morbi, quo nobis Vir eximius acerbo fato ereptus eſt, ſi modo mihi, tanta calamitate perturbato, atque perculſo, in ordinem narrationis intendere animum licet, & in phyſicas, ac morales animadverſiones verba contexere.

Habitu corporis carnoſo donatus erat D. Horatius, procera ſtatura, colore ſubrubro, ſuapte natura ad iram pronus, quam tamen educatione, & ſapientia ita compeſcere didicerat, ut omnium mitiſſimus evaſerit. Ab ineunte ætate usque ad ſenium ſpecie quadam *malaciæ* affectus, ad prava potius, acida, ſalina, & craſſa, quam ad euchyma alimenta ferebatur, eaque nimium ingeſta interdum vomitu rejiciebat, cum diuturniorem inediam facillime pateretur. Vinum ſemper ſubauſterum, ac nive gelidum vel inter hyemis algores, flagitante bilis æſtu, in delitiis habuit, putabatque, ſe frigido potu febres antevertiſſe; cum potius liquidorum hic illic moras, ac facilem præ cæteris contentorum lotii in renibus divortium, tartarique præcipitationem, mirum quantum, promoverit. Puer identidem faucium phlogoſi, & ulceribus crurum, quæ alioquin tumidula plerumque illi fuerunt, pertinaciter vexatus fuit. Matureſcentibus annis frequenter lentis febribus, ſemel

ſemel diuturna iſchiade, mox auditus gravitate, & pertinaci, eaque reverſiva icteritia; ſubinde recurrente ſæpius nephritide conflictatus eſt. Anno M DCC III. Vrbini ſœdo corporis colore, febrique circa veſperas increscente diu laborantem ipſe ego, qui clementia Sanctiſſimi Pontificis eo diverteram, pillulis ex pulvere ſtomachico Quercetani, rhabarbaro, & china china feliciter incolumitati reſtitui. Cum dein Romam rediiſſet, easdem paulo poſt morborum ſucceſſiones paſſus fuit; modo enim nephritide cum calculorum excretione, modo dolentibus teſtium, aut podicis varicibus, modo icteritia, nunc febribus, nunc ſpaſmodicis ſcapulæ, aut œſophagi, frequentius vero ſtomachi, inteſtinorumque doloribus tortus ab oleo ſemper amygdalino, aqua Tectucciana, terebintho, crebris clyſteribus, ac non raro a phlebotomia levamen accepit.

Sed quanquam tot mala, tam ſæpe repetentia Nobiliſſimum Virum de mutanda victus ratione non obſcure admonuiſſent; nihilo tamen minus conſuetudo valuit, & fucata quædam, ut ſæpe accidit, utilitatis ſpecies, doloſis nonnunquam, aut fortuitis experimentis confirmata. Nec ignoras, Illuſtriſſime Præſul, ſapientium hominum, quam ſimpliciorum curationes eſſe difficiliores. Quamobrem jure optimo ſcripſit (a) Plinius, morbum eſſe aliquem, *per ſapientiam mori*.

His vero ægritudinibus ſub Anno M DCC VIII. acceſſit renum gravitas, quinimo mictio urinæ a paulo violentiori corporis motu ſubobſcuræ, quæ tamen præcipitato poſtmodum ſanguineo ſedimento clareſcebat. Interim calculorum querelæ per ſesquiannum fere ſiluerunt. Verum ipſo autumno anni M DCC IX. cum digniſſimus Vir, mutatis ſedibus, ſolitudinis amans humiliorem partem, quæ frigore, atque humiditate minus tuta eſt, ad habitandum elegiſſet, non multos poſt menſes dolore ſiniſtri renis repente corripitur, & uno expulſo grandiori calculo, ſibi viſus eſt alter in veſica relictus, qui propter ſui molem difficilius

(a) *N. H. lib. 7. cap. 50.*

lius excluderetur; cum tamen inducta duntaxat sphincteris irritatio speciem superstitis calculi adumbraret. Itaque Lithotomum secreto accersivit, qui spe ductus componendi calculum (ut alias experimento didicerat) in novum situm, egressui magis proprium; ceream candelulam intra urethram usque ad vesicæ collum, solito forsitan majori cum impetu, immisit: nam statim multumque lacessitus est locus; quapropter non modica, laceratis ibidem venis, cruoris quantitas per unum, alterumve diem effluxit. Ab eo dein tempore noster æger tam in quiete, quam in motu, nulla comitante dysuria, non amplius sanguinem, sed turbidum lotium usque ad mortem reddidit, quod, etiamsi sedimentum crassum, ac nihil male olens, aut matulæ lateribus adhærescens, deponeret, attamen vix unquam omnino perspicuum evasit.

At enimvero non hic fuit malorum finis. Nam mense potissimum Majo elapsi anni M DCC XI. non levibus animi pathematibus, propter gravem, diuturnamque Sanctissimi Pontificis ægritudinem mirum in modum affectus, multas noctes vigilavit, remissâque sensim ea mentis tranquillitate, qua Vir æquanimus donabatur, idibus Junii dextеræ genæ, ac palpebrarum erysipelate corripitur. Deinceps, ut æstum in capite sibi relictum temperaret, inconsultis Medicis, totius decursu æstatis Nuceriam aquam, modico semper admixto vino, largiter prandium inter, & cœnam potavit, cauteriumque, quod supra dexterum genu multos annos utiliter gestaverat, sponte, incauteque claudi sivit; & cum in dies per autumnum novas curas sustinere coactus esset, omni interim neglecto ciborum delectu, ac persistente gelidi potus abusu, ad Kal. Decembris pervenit, quo tempore nocturnis iterum vigiliis confectus difficilem scalarum ascensum, non tam propter anhelitum, quam ob capitis, viriumque imbecillitatem cum fœdo quodam, atque ad ictericum vergente corporis habitu, experiebatur; quanquam fæces, præter morem copia minores, crocea bile essent refertissimæ. De summa rursus inappetentia, deque gravativo simul, ac tensivo capitis dolore, absque

ulla

ulla tamen siti, conquerebatur; linguam albo muco incrustatam exhibebat; pulsus erat paulo humilior, sed quietus; nulla per noctem urgebat spirandi difficultas; immo capite nimium forte depresso decumbebat.

Itaque, cum excelsus Vir, qui annum jam sexagesimum attigerat, omnium vasorum, glandularumque cacochymia ad cachexiam tendente, vel nudo oculorum testimonio laborare, simulque lithiasi tum renum, tum cystidis felleæ multo antea obnoxius esse judicio nostro videretur, congrua instituta victus norma, renovato fonticulo, exhibitisque per epicrasin pillulis anticachecticis, & quotidie juribus pullæ gallinaceæ ex decoctione ligni sassafras, radicum, atque herbarum refermentantium, & cephalicarum intra duas hebdomadas dissipatus fuit capitis dolor, atque Æger cibos melius appetere, viribus validius constare, cute nitidiore apparere incepit; ita ut pridie pervigilium Sanctissimi Natalis pomeridianis horis ad Vaticanas Ædes curru vehi, scalas ascendere, atque ingenua provolutus grati animi causa Sanctissimi D.N. pedes facillime osculari potuerit; cum matutinis ejusdem diei horis summus Pontifex Excellentissimum D. Annibalem Albanum Filium ejus (ex Germania, ubi Sedis Apostolicæ Nuntius extra ordinem plus duobus annis manserat, plenum meritis, & gloria reducem) inter S. R. E. Cardinales cooptasset, cujus sane tunc melius se habentis fratris aspectu idem Pontifex supra conceptam spem fuit recreatus.

Verum Præclarissimus Vir postero die, putans se jam convaluisse, novis periculis stomachum objecit; scilicet religione motus pisces, aliosque hujus generis cibos assumpsit, mox ventriculi doloribus, & vomitu non ingestorum tantum, sed etiam pravorum succorum saporis acido amari conflictatus est, cui nocturna tunc primum adjungitur febris, lenta quidem, sed continua, quæ illum usque ad interitum comitata est. Mæstitia insuper, ac moror, viriumque debilitas adaucta sunt. Et quanquam, præter Doctissimos Viros Dn. D. Michaëlem Angelum de Paolis, & Gasparem Realem, sedulos Pontificiæ Familiæ Medicos, quos in hac

curationefocios habui, aliis quoque Romæ celeberrimis Profeſſoribus, Dn. D, nempe Jacobo Sinibaldo, Jo. Baptiſta Foſſombrono, & Octaviano Saſſio in conſilium adhibitis, nulli rei defuerimus; ac proinde Ægrotus iterum melius agere occœperit, illum tamen hypochondriorum querelæ, tenſiones nimirum, borborygmi, ac vomitus acido-amari poſt leves potiſſimum in victu errores ſollicitabant: & præſertim ab aſſumpto cibo breves interdum rigores dexteri potiſſimum femoris, & cruris in ſcenam prodibant, quæ quidem ſymptomata, ut nos de aliquo tuberculo juxta ventriculum, vel in cava hepatis parte admonuere, ſic perpetuo metu ſollicitos reddiderunt, ne tandem melancholicus decubitus ad cerebrum, diuturnis cæteroquin vigiliis, animique moleſtiis jam debilitatum, ut Hippocrates pluribus locis admonuit, Ægrum eſſet perditurus. Etenim nunquam ipſe ab adverſa valetudine plane reſurgere, quin potius aliquid ſemper de prioribus cum corporis, tum animi viribus amittere videbatur; ita ut ſigna paternæ lætitiæ infra rationem ſummi amoris dederit, cum Excellent. Annibalem Filium complecteretur X. Januarii, die ſane Romanis lætiſſimo, atque auſpicatiſſimo, quo idem Cardinalis tunc primum Vrbem triumphali properitu invectus, plaudentium ex omni ordine civium quaſi humeris in Vaticanum reportatus fuit. Quare minimis etiam in victu, potuque erroribus, quos propter invincibilem nauſeam identidem committere cogebatur, malum ſibi perpetuo adaugebat. Et quanquam pillulis ſtomachico-diureticis lympham, quæ repente œdematoſum in manu dextera tumorem per eos dies induxerat, ad urinæ vias cum levamine derivare ſtuduiſſemus; naturam nihilominus morbo ſemper ſuccumbere magis obſervavimus. Nam, adaucta ſenſim auditus gravitate, ſomnoque contentione agitato, ſequentem diem plurimum mœrens, ac demiſſus exegit, proindeque omnes deinceps dicendi, diſſerendique occaſiones, præter eas, quæ de Divinis offerebantur, plane fugiebat.

Itaque cum inter tantas morbi vices præcipua piissimo Viro Religionis cura fuisset, Sacramentali Confessione Animam sæpissime expiavit, ac die XX. ejusdem Mensis, quo sane recurrebat festivitas S. S. Fabiani & Sebastiani, in quorum sacra Æde sepulchrum sibi elegerat, Eucharistiæ cibo refectus fuit; quinimo postero die, aucto morbo, ad durum Æternitatis iter conficiendum Viatico Corporis Christi summæ cum pietatis exemplo se communivit. Princeps autem Sanctissimus precibus ad Deum fundendis, sacrisq; faciendis nunquam fraternæ charitati, & Pastorali sollicitudini defuit: cumque resciviset, eo jam evasisse mali gravitatem, ut, corporali salute prorsus conclamata, nullam ab humanis subsidiis opem sperare liceret; quo illum præstaret alacriorem ad viam universæ carnis ineundam, fraternas ædes, quas nunquam prius inviserat, adire dignatus est. Verebamur autem, ne, sensibus jam consopitis, Ægrotus invisentis Pontificis præsentiam non persentisceret, & Princeps ultima officia Fratri dulcissimo frustra impertiretur; cum ille, excusso languore, collectisque viribus, consueto obsequio, quanquam moribundus, erexit animum, & admirationem testatus, inquit: *Vnde hoc mihi, Beatissime Pater, ut tam inusitatæ Clementiæ argumentum summus Pontifex erga humilem, nec merentem Ecclesiæ filium exhibeat?* Gratias deinde (quod audienti mihi lacrymas expressit) verbis, ac sensibus singulari reverentia demissis, plurimas egit. Et quanquam morbi acerbitas corporis vires attrivisset, virtutem tamen animi, ac modestiam in primis nec minuit, nec retardavit: qualem enim se CLEMENTI XI. toto vitæ tempore, ac Pontificatus præsertim præbuerat, talem etiam sub ipsum vitæ exitum præbuit. Tum Pontifex sanguinis affectione major *fraterni amoris præcepto divinitus tradito Christianos quidem omnes obstrictos esse, sed maxime omnium Christiani Gregis Pastorem*, respondit. Mox languentem complexus Apostolicis sententiis solatus est, & sacris stimulis ad spem vitæ perennis excitavit, atque ad supremum agonem viriliter obeundum instruxit, & inflammavit. Tunc autem velut ad extremum illud, quo dulcius expetere non potuisset, solatium a DEO

reser-

reſervatus eſſet; vix ab Ædibus receſſerat Pontifex, cum ſenſim in deterius declinavit, atque in ſoporem relapſus, levi oris tortura, & loquelæ impedimento, quoties compellabatur, correptus fuit. Poſtremo trium dierum inedia vitæ curſum apoplectica ſyncope pie, ſanctèque inter agmina ſacerdotum explevit hora ſexta poſt diem Sabbathi XXIII. Januarii M DCC XII.

Vbi primum infelix rumor Vrbem pervaſit, dolore oppreſſi omnium animi inſuetæ triſtitiæ ſigna ediderunt: nec quisquam fuit, qui ſublatum Virum humaniſſimum non defleret. Quamquam vero rigente Cœlo noctuque ad B. Mariæ Tranſtiberinæ cadaver efferretur, non cænoſæ viæ, ac longiſſimi itineris moleſtia effecere, quin Familia ſummi Pontificis, Primores, atque incredibilis omnium ordinum frequentia funus proſequeretur. Ac licet Pontifex, modeſtiæ ſtudioſisſimus, nihil præter cæterorum conſuetudinem in Fraternis exequiis admittere voluiſſet; quidquid tamen inſuetus Civium amor præſtare certaret, vetare non potuit; ut eo maxime in ſtudiis ſingulorum emineret, quod non aſſentatione extortum, nec fortunæ Principis delatum, ſed Defuncti virtutibus perſolutum, & publicæ calamitati impenſum videretur. Luculenta ſunt enimvero occulta etiam argumenta pietatis, & candoris, quibus non gratiam expectes a Principe ſuperſtite, ſed ſolummodo erga memoriam extincti gratum animum conteſteris.

Translatum ad Eccleſiam cadaver, transacta quarta, & vigeſima ab interitu hora, diſſecuimus. Porro eximius Aulæ Chirurgus D. Petrus Ciaſconus ſectionem perfecit, cui ipſe etiam interfui una cum præfatis Clariſſimis Viris Dn. D. de Paolis, & Reali. Itaque principio animadvertimus artus omnes naturali ſymmetria, & omnino flexiles, nec non externum corporis habitum ſatis adhuc carnoſum, coloris tamen ſubalbidi, & parum ad flavum vergentis; thoracem vero aliquantulum elatum, ac foris circa mendoſas coſtas œdemate obſitum. Deinde ab imo ventre, veluti in caſu noſtro a fonte, & capite morborum omnium, opus inchoavimus. Adeps ſub cute & multus, & candidus apparuit. Omen-

ti

ti moles, ac ſubſtantia, ut ipſa quoque inteſtina, nihil præter naturam oſtenderunt. Nemo interim adſtantium male olens illud miasma, quod inciſo mortuorum abdomine illico afflari ſolet, perſenſit.

Ventriculus amplus quidem pro cæterorum membrorum magnitudine, textura tamen ſuarum membranarum adeo tenuis, laxus, atque enervis inventus eſt, ut minime reſponderet validæ, compactæque totius corporis, & aliorum viſcerum ſubſtantiæ. Deſtituebatur inſuper rugis illis, quibus interior tunica inſtruitur. Venæ quædam turgidulæ, ac varicoſæ per externam ejusdem faciem ſerpebant. Fluitabat præterea in ejusdem cavitate liquidum, quod ex juribus, ante triduum exhibitis, & portione bilis conflatum, putavimus.

Pancreas mole, & colore naturam ſervabat, conſiſtentia tamen paulo ſolidius contrectatum fuit.

Hepar magnum, & parte convexa tum colore, tum ſubſtantia ſanum, cava vero alicubi ſubvirideſcens, præſertim utrinque ad ductus cholodochi excurſum. Cyſtis fellea figura non piriformi, ſed fere cylindrica, & colore non flavo, ut paſſim ſolet, ſed albo prorſus occurrit. Diſſecta ſeptem lapides inæqualis magnitudinis, & quaſi cubicæ figuræ continebat, quorum, qui ductui proximiores erant, cellulatim intra quasdam membranas, a tartaro mucilagineo compactas, locabantur. Sed interna cyſtidis membrana, cæteroquin admodum craſſa, certis locis ſcatebat albo, & purulento fluido; neque ulla uſpiam bilis tinctura inficiebatur. Interim cholodochus plane expeditus, ac liber patebat in duodenum.

Lien tumidulus, ac mollis, ſectus friabilior, deteſtus eſt.

Renes mole quidem non admodum grandes, ſed contentis corporibus morboſi occurrerunt. Nam ſiniſter multis ubique puſillis calculis etiam in ſuperficie, ſed uno potiſſimum rapide obſitus erat in pelvi, pondere ſexquiunciæ, qui falcatæ figuræ cum eſſet, cuſpides ſuas adigebat in glandularem pelvis membranam, quæ compreſſa manavit craſſo, ac fere purulento liquido, quo urina

ab eo tempore, unde turbida mingi cœpit, inficiebatur. Dexteri vero renis alioquin laxa ſubſtantia multis varicibus affecta erat, cæterum incolumis.

Veſica urinaria citra ullam noxam in apertum ſe dedit, interius alba ad inſtar eboris. In Vrethra pariter nihil vitioſum deprehendimus.

Expedito totius abdominis examine, ad peramplum thoracem gradum fecimus, cujus cartilagines, ſternum cum coſtis colligantes, pæne ad oſſeam conſiſtentiam pervenerant. Vncia cruenti ſeri, proles intercepti longo agone in pulmonibus ſanguinis, dexteram cavitatem occupaverat.

Pulmones ſubnigris maculis, extremorum vaſculorum varicibus, in ſuperficie affecti apparuerunt. Siniſter lobus, quo ſane in latere Æger diutius decubuerat, aliquantulum verſus dorſum nigricabat.

Cor magnum, ſed externa ſuperficie flaccidum, in amplo pericardio, multo foris adipe, intus vero aliquot unciis ſanguinei ſeri gravato, continebatur. Cavitates Cordis tam cruore, quam polypis penitus vacuas, validis tamen & lacertoſis parietibus efformatas comperimus.

Tandem ad caput aſcendimus, quod apprime rotundum, cranio duriſſimo, craſſaque meninge, vitreæ laminæ undique adplicata, atque adhærente, nobis objectum eſt. Tenuis vero meninx præter modum plenior, propter lympham undique in cerebri cortice inſtar glutinis concretam, una cum liquidiori parte, quæ medullæ cavitates occupabat, in conſpectum ſe dedit. Subſtantia cerebri valida, & ſtructuræ mirabilis ſe prodidit, tam in corpore calloſo, conſpicuis medullarium nervorum faſciculis efformato, quam in ſepto lucido, & prominentiis omnibus. Vnum quod ſingulare in diu melancholicis, & quietem animi a ſomno poſtulantibus, a me obſervatum eſt, videlicet glandulam pinealem viſcidulo ſero ita infarctam, ut quaſi ſepulta, ac vaginata videretur, inciſa tamen naturalem conſiſtentiam, ſed colorem aliquan-

to

to obſcurum exhibuit. De reliquo plane incolume offendimus nervorum principium.

Singula hæc, Præſulum Clariſſime, quæ ſecantibus nobis ſeſe obtulerunt, morbi tum ideam, tum cauſam, quam antea conceperamus, apprime confirmaverunt. Nam pravorum ciborum appetentia, quam *malaciam* diximus, & ſalubrium averſatio. ab ineunte ætate connutrita, ortum ſuum habuit ex languida ventriculi textura; unde extitit ille languor etiam fermenti, quod tono, & validitate fibrarum, glandulas comprehendentium, exprimitur: quo ſicuti Æger diuturnam inediam non incommode ferebat, ita cogebatur ab acrioribus, & exoticis cibis, potuque frigidiori, & vini auſteritate morbidum fibrarum irritamentum arceſſere, quod illis natura negaverat: eo tamen factum eſt, ut diuturna contractionum violentia venæ evaſerint varicoſæ. Conſultius itaque feciſſet, ſi Vir Sapientiſſimus mihi, aliisque ſæpe commonentibus obaudiſſet, ac cibos potius aſſumpſiſſet concoctu faciles, qui, & modica mole, & ſolutionis promptitudine, fibris, fermentisque etſi languidulis ultro cederent, & lente licet urgentibus obſequerentur.

Intelligis proinde, Vir Doctiſſime, ex quo fonte manaverint cum iſchiadicæ, atque ictericæ, affectiones, tum renum cyſtidisque calculi, & reliqua urinarum incommoda, tum ſurditas, virium imbecillitas, & gravativus capitis dolor cæteraque ſymptomata, quæ Nobiliſſimum Ægrum ad exitium adduxerunt. Quanquam enim ſuccis pancreatico, ſplenico, atque hepatico, optima craſi valentibus eſſet; nihilominus pravitates cibis ingenitas, neque in ſtomacho ſubigere, neque in cæteris chyli officinis penitus emendare poterat, quamobrem ſanguis, ejusmodi chylo renutritus, quocunque appelleret, inſitam ſemper tenacitatem, atque acredinem ſecum deferebat. Quare pro ætatum, locorumque, ſive partium diverſitate, diverſos morbos, juxta Hippocratis (b) monitum, efficiebat. Etenim cum ejusdem corpus vigentibus

 annis,

(b) *Lib. de Flatibus No. 4.*

annis, propter innatum ſubtiliſſimum ſulphur, æſtuaret, vegetoque fibrarum tono valeret, per id temporis ſalino-viſcidula primæ digeſtionis recrementa, utcunque ſoluta, ad eas, quæ cum externo aëre commercium habent ſuperficies valide protrudebantur. Vnde crurum ulcera, & ex criſpatis referentibus vaſis, tumiditas, nec non faucium phlogoſes interdum divexabant. Poſtquam vero per ætatem nativus cum in ſolidis, tum in liquidis vigor, calorque ſenſim langueſcere cœperunt, tunc quidem morbi vel in ſanguine, quemadmodum febres diuturnæ vel in partibus prope ventres, ac viſcera potiſſimum orti ſunt, quales fuerunt iſchiadicæ affectiones, teſtium, vel podicis varices atque auditus gravitas. Aucto deinde ſuccorum lentore, & lympha ad naturam mucilaginei tartari redacta, tartareas pariter concretiones in loculis viſcerum, in quibus minimus eſt impetus, produxit: quamobrem icteritiæ ab hepatis obſtructionibus, & calculi tam in cyſti fellea, quam in renibus, a ferruminatis tartari particulis ſuccreverunt; quorum ſane expulſio tamdiu per urinæ vias obtenta, & conſervata fuit, donec motricium, ac circumpellentium in renibus fibrarum energia eorundem reſiſtentiam valuit ſuperare. Sed inducta in iisdem propter ſenium hebetudine, nil mirum ſi (quod paſſim contingit) tubulis, ac pelvi præſertim inhæſerunt, grandioresque paulatim facti adoleverunt in lapidem, qui ſuis poſtea cuſpidibus glandulosam pelvis tunicam ſemper irritando, puriformis liquidi, quo turbidum lotium reddebatur, perpetuam ſecretionem promovebat.

In ea vero tum varicum, tum flaccidi dexteri renis obſervatione gratiſſimum nobis fuit, ſi ſummo in mœrore quidquam gratum eſſe potuit, quod rem animadverterimus, quam ſibi inobſervatam fatetur lumen illud Anatomiæ, Bartholomæus Euſtachius, (c) ſcilicet in ſanguinis mictu non ſolam renum ſubſtantiam, ſed ipſa quoque vaſa dilatari, & laxari, quod multo clarius ſuperioribus menſibus in Marchione Riario Vrbis ſenatore,

(c) *In Tract. de Renibus cap. 45.*

re, qui diuturno usq; ad mortem cruento lotio cum vesicæ lithiasi laboravit, deprehenderamus ; ut propterea idem Anatomicorum doctissimus jure exclamaverit: *nihil ad Medicorum eruditionem conducibilius esse, quam morborum causas in ipsis mortuorum reseratis cadaveribus explorare.*

Inde autem factum conjecimus, ut Lithotomi incuria vesicæ collo rudius per candelam contrectato, nunquam deinceps renalis hæmorrhagia, sed lotium duntaxat turbidum apparuerit, quod scilicet irritato uno extremo fibrarum fasciculo, qui quasi per nodum cum sphincktere colligatur, illico alterum principium, quod in sinistram pelvim distenditur, & coit in renem, contractum, & corrugatum fuerit, eaque propter grandior calculus ibidem jam contentus, penitius membranæ glandulosæ adactus fuerit, ac perpetuo stimulo puriformem succum (turbidæ urinæ causam) perinde ut ipsa turunda ab ulceribus, elicuerit. Contra vero in dextero rene, ubi nullus calculus, eadem contractio varicum oscula constipavit, ac proinde sanguineam mictionem prohibuit, sola superstite, quæ emendari non potuit, visceris laxitate.

Reliquum est, ut postremæ lethalis ægritudinis originem ex dissectione etiam supremi ventris eruamus. Quanquam enim errores in victu, dein exiguæ etiam suppurationes in cysti fellea aliquid semper in sanguinem infunderent, quo tum fœdus corporis habitus, tum febris aleretur; præcipuum tamen malum in decubitu melancholico intra cranium situm erat, ubi partim ex languore fibrarum cerebri, & membranarum ejus, ob animi pathemata, quo ad remittendum sanguinem, & lympham minus erant idoneæ, partim ex quasi connato eorundem liquidorum lentore, unde ipsa ad excurrendum fere inepta reddebantur, necesse fuit, ut succi subsistentes in gluten sensim, atque ubique cogerentur, donec omni obstructo etiam ad præcordia spiritibus aditu, animalis, vitalisque motus omnis cum apoplectica syncope interierit.

Quod autem cordis cavitates omnino vacuas; ſtomachum vero contra multo fluido, ante triduum hauſto etiam tunc refertum invenerimus; etſi utrunque rarum ſit phænomenon, nobis tamen nullum faceſſit negotium, recolentibus præcordia D. Horatii validiſſimis fibris, ventriculum e contrario imbecillibus a natura fuiſſe contexta. Quamobrem facile contigit, ut moles ſanguinis, quæ ob largam craſſioris lotii copiam, & alimoniæ penuriam decurſu morbi valde imminuta fuerat, per venas recirculans, a cavis cordis muſculis alioquin robuſtis nullo labore propelli potuerit, vel per id temporis, quo animalibus viribus ſenſim deficientibus, reſpiratio quoque paulatim defecit; unde fluidiſſimus tantummodo cruor, qui per cavam exigua duntaxat quantitate reducebatur, non fuit impedimento, quominus ultimis vitæ momentis a ſuperſtite cordis vigore ſuos extra ſinus urgeretur. Aliter vero ſe res habuit in ſtomacho, qui ſuapte natura languidus, & multo magis prope agonem iners, & piger, exhibitum, quaſi per aſſidentium vim, triduo ante mortem juſculum, impotentia circumpellendi, retinuit: conſuetum quippe eſt poſtrema alimenta, etiam apud illos, qui ventriculo valent, modo apoplexia corripiantur, poſt ſeptimum quoque diem protinus cruda, vel evomi, vel in illorum extiſpiciis intra ſtomachum deprehendi. Adeo verum eſt, primam coctionem ob influxum præcipue animalium ſpirituum inchoari ſimul & perfici.

Poſtquam ſatis, Clariſſime Præſul, noſtris obſervationibus, & ſtudiis factum fuit, unguentis delibutum, atque conditum cadaver, ſublimi in lecto, ſummo mane humeſcentibus confluentium oculis expoſitum eſt. Ampliſſima Ædes lugubri apparatu, pompaque mortuali, ſuffixis pro tempore imaginibus, velisque admirabili varietate, atque eleganti opere dependentibus, ornabatur; cerei prope innumerabiles confertiſſimi collucebant. Altaria continenti ſacrificiorum celebritate frequentabantur, & Clericorum precibus, pſalmisque laquearia perſonabant. Solemni Sacro per Athenarum Archi Epiſcopum Corradinum facto, ingens Præſulum, ac Patriciorum numerus interfuit. Funebris

nebris Oratio ob modestiam Principis nulla est habita, sed quæ cum lacrymis extabat in ore omnium tristitia, dum alter alteri virtutes, & merita defuncti commemorabat, quavis facultate Oratoris facundior ad laudem erat.

Simul omnes Eminentissimi Cardinales a Sanctissimo Patre ad Purpuram evecti, condixerant funeri interesse. Pontifex tamen moderationis tenacissimus, ne memoriam quidem extincti Fratris singulari illo honorificentiæ testimonio permisit ornari. Quamobrem, ut Pontifici pariter morem gererent, & grati animi significationem non prætermitterent, unusquisque suis in Titularibus Ecclesiis solemni ritu parentalia celebravit; quo servatus honoris modus, & multiplicata defuncto suffragia. Adeo virtuti etiam in terris prospere omnia succedunt; & gloriæ neglectus in ampliorem gloriam evadit.

Inter universa Vrbis Templa, & Regularium ordines hactenus funeralibus officiis certatur, & piis mortui manibus pax imploratur more majorum. Nos vero, quotquot ab intimo Pontificis cubiculo sumus, Viro incomparabili, quem veluti Patrem observabamus, colebamusque, magnifica molis apparatione, sacrisque celebrioribus in proximum diem XXIII. currentis Februarii, ab illius interitu trigesimum, justa solvenda paramus. Ita Religiosissimi Viri, Clarissimi Patricii, Parentis Optimi, & Sapientissimi Hominis partibus functus est Horatius Albanus, qui nominis celebritate totam procul dubio adæquabit posteritatem, utinam inusitata virtutum ejus exempla imitaturam: neque enim ipse, quem imitaretur, in omnibus forte Pontificum Familiis inuenit. Nunquam certe hactenus vel audivimus, vel legimus, viventis Pontificis Germanum Fratrem nihil sibi ex fraterna potestate sumpsisse, immo a publicis, alienisque negotiis non solum abstinuisse, verum etiam modestiori habitu, comitatu, consuetudine, atque omnibus officiis se continuisse, postquam Clemens XI. in amplissima sedis Apostolicæ Majestate consedit, quam antea in privata Albanæ Gentis fortuna fuisset. Omnibus assurgere, humaniter singulos consalutare, nullo discrimine conditionis cunctos am-

amplecti, iis conſtanter obluctari, qui honorificentius jure merito illum accipere niterentur. Nemo exterorum demiſſius coram Principe agebat, nemo religioſius cavit, ne rogando, importunus Sanctiſſimo Patri, ac moleſtus eſſet. Quem autem puras Magiſtratum, quod munus, quos honores, illo ſublato, conferendos eſſe relictos? Haud facile credent poſteri, cum in Regina Orbis Roma vix probus Civis decedat, quin petitorum ad munera vacantia ſollicitam excitet contentionem: Horatium Principi Conjunctiſſimum ſimul, & Chariſſimum, morte obita, non magiſtratum, non munera, non honores aliis deferendos, ſed ſolam moderationis eximiæ famam, ab omnibus commendatam, reliquiſſe. Tantarum autem virtutum a DEO Opt. Max. etiam in hoc vitæ curriculo præmium tulit; nihil enim ipſi defuit ad plenam ſapientis animi lætitiam. Nam illi datum eſt propitio Numine, ut Fratrem ſuum longævi imperii ſpatio glorioſiſſime regnantem, & proſpera valetudine utentem videret, ſibique morienti aſſidentem, ac benedicentem; ut maximum natu Filium Annibalem per ſtudiorum, & negotiorum ſtadia diu exercitum, & probatum, toto Orbe plaudente, ad Purpuram evocatum, ejusque decumbentis ſupremam benedictionem flexo genu cum Fratribus implorantem complecteretur; ut honeſtiſſimos, & univerſis acceptiſſimos Filios Carolum, & Alexandrum, probitatis potiſſimum, & humanitatis hæredes haberet; ut nullum denique non experiretur amore, ac benevolentia devinctiſſimum.

Sentis itaque, Præſul, philoſophicis non minus quam ſacris ſtudiis Celeberrime, quantum uno in homine amiſerit Roma, & quanto jure ſibi ereptum Aula defleat; ego vero, qui illius gratia, & patrocinio præ ceteris perfruebar, dolori meo ſolamen invenire non poſſim. Quanquam firma Pontificis incolumitas, Cardinalis Albani, & Fratrum virtus reparandam jacturam pollicentur. Vale.

Datum Romæ, Idibus Februarii MDCC XII.

JO-

JOANNI MARIÆ LANCISIO,
Intimo Cubiculario & Archiatro Pontificio,

PHILIPPVS a TVRRE,
Episcopus Adriæ.

VIrorum principum mors tum præcipue acerbior & luctuosior esse solet, cum illi summo in loco positi quam minimum de fortuna sua sumunt, & modum vitæ suæ non amplitudine dignitatis, sed moderatione animi, & mansuetudine definiunt. Nam qui eos intuentur ita de felicitate sua sentire, ut se quodammodo non sentiant, tunc maxime dignos eos arbitrantur, qui in ejusmodi bonis quam diutissime consistant; quibus eos bonis & felicitati præpropero fato atque immaturo ereptos cum vident, lamentationibus & luctu complent omnia; tanquam judicio se frustratos suo, & votis dejectos esse intelligerent. Hæc facies, hic sensus Romanæ urbis fuit, cum HORATIVM ALBANVM vita excessisse cognovit. Ille enim Sanctissimi Pontificis CLEMENTIS XI. Frater, qua cognatione in rebus humanis nulla excelsior est, nullum ad ineundam cum amplissima fortuna societatem commodius vinculum; ita tamen cum hac sublimi vitæ suæ conditione egit, ut sanguinis jura omnia amore, pietate & benevolentia erga FRATREM Sanctissimum tueri vellet, de ejus majestate, potentia, ac imperio nihil sibi vellet adsciscere. Ita major Fratre Pontificis visus, dum FRATRIS auctoritate, quæ summa olim & prævalida erat, uti noluit: & dum similis privato fuit, studiis populi, & favore hominum supra omnem principatus sortem evectus est. Quæ vero ejus modestia, quæ facilitas animi, & civilis modus, quanta in omnes humanitas, atque inclinatio voluntatis, adeundique ac agendi licentia, & propemodum demissio dignitatis; quæ tamen dignitas naturæ necessitate excellentissima erat, & cum rerum omnium principe conjunctissima! Qui-

bus ille virtutibus, aliisque maximis & innumeris, quas ego dum præsens Romæ eram, & ceteri omnes in unius animo confertissimas suspexere, cumulatus ornatusque, ita Vrbem, quæ raro diuturni in viros principes amoris est, ad se rapuit, & perpetua in benevolentia continuit; ut nemo unus esset, qui HORATIVM ALBANVM non optaret diu vivere, in cujus vita Fraternam amplitudinem omnes esse scirent, nemo agnosceret. At ubi funestissimo ejus mortis casu spes suas ac vota intercidisse Roma vidit, in omnem mœroris significationem effusa, templa, vias, fora continenti luctu & questubus implevit: non optimates, non populus, non plebs ærariaa lacrimis temperare: omnis ordo, omnis ætas Principem pientissimum, parentem suum, & virum, pene dixerim, dignatione parem lamentari, appellare.

Hanc civitatis mœstissimæ speciem pervagatus rumor ad nos tunc detulit; meque animo revolventem acerbissimam sortem in communionem doloris advocavit. Cum tu, Illustrissime Vir, spectaculum illud molestissimum ipsis etiam oculis subjecisti. Vidi enim in epistola tua elegantissima, eloquentiæ coloribus, quamquam pallido mortis afflatu corruptis, vidi expressam squalentis urbis imaginem, elatum funus, parentalia instructa, pias cærimonias, omnemque tristissimi apparatus ordinem, & feralem pompam. Inter quæ publici luctus argumenta cum me ad lacrimas commoveri persentirem, alia in parte ad mœroris levamentum contemplabar Pontificem summum atque Optimum, in postremos fraterni oris anhelitus incumbentem; piisque precibus, omnem mortalitatis labem expiaturis, cœlo inferentem felicem animam: & tres præterea Filios intuebar paternis adhortationibus intentos, constantiæque & pietatis in summo rerum articulo exemplis confirmatos. Quo adspectu ideo recreabar, quod illi terras deserenti nullum aliud accidere potuisse majus solatium reputabam, quam ut FRATREM Maximum atque Sanctissimum, liberosque spectatissimæ indolis post se incolumes, florentesque relinqueret. His vero etiam virtutes amplissimas, perpetua

petua imitatione cumulandas, tanquam hereditatis jure tradebat; ut Patrem non vultu, non cognatione, sed similitudine morum referrent. Quos inter ANNIBALEM admiramur, qui post emensum studiorum curriculum, florentibus adhuc annis gravissimæ Legationi impositus, cum magna Germaniæ parte peragrata Pontificiam Majestatem circumtulisset, & splendore laudis provincias urbesque quamplurimas imbuisset, utpote per longum tirocinium amplioribus stipendiis jam maturus, inter purpuratos Principes cooptatus est. Scilicet CLEMENS XI. qui in suprema rerum potestate sanctiora semper exempla sectatur, ipse aliquando exemplum futurus, summam Dignitatem noluit esse sanguinis accessionem, sed virtutis auctoramentum & meriti. Porro felicissimus hujus Purpuræ natalis eo ferme tempore contigit, quo Princeps optimus in extremo vitæ discrimine versabatur. Quod equidem divino consilio factum putaverim: nimirum ut Parentis imminentem jacturam honor Filio additus veluti compensaret; atque hinc intelligeret Cardinalis ALBANVS, quanta sit ea Dignitas, & quam magnis gravissimisque recte factorum documentis sustinenda, quæ re ante omnes sibi carissima, atque ipsis paternis virtutibus fuerit æstimata.

Vt vero me conferam ad eam epistolæ tuæ partem, in qua seriem & ordinem malorum, quibus egregius Princeps longa corporis ægritudine afflictatus est, accurata & eruditissima narratione persequeris; illud sane, pace tua dixerim, ex artis tuæ præscriptione susceptum argumentum maximo cum nostro periculo agis. Nisi enim doctrinæ tuæ luminibus, & facundiæ lenociniis abductos alio nos raperes, & veluti a doloris sensu removeres, quot feralis morbi articulos, quot vices describis, tot acerbissima recordationi nostræ vulnera inferres. Quare inter has mœroris inducias licuit mihi locum hunc epistolæ tuæ percurrere, in qua momenta singula diutini morbi, & recurrentia idemtidem pravi habitus phænomena enarras, & ad criterium medicum expendendo promptis ex therapevticæ fontibus subsidiis foves. Et si vita illa immortalitate dignissima ab ingruentium malorum impetu dex-

tera ulla defendi potuisset, certe isthac tua defensa fuisset. Tu enim, qui apud Principem *Comitivæ Archiatrorum honore decoraris*, præclaram hanc dignitatem ita scientia, doctrina, & rerum usu amplificas, *ut inter salutis magistros solus habearis eximius;* ut verbis Cassiodori lib. 6. Epist. seu form. 19. & officium tuum & meritum complectar. Porro hoc unum optamus, & a DEO petimus, ut artem hanc tuam, divino instinctu & ductu, felicissime, ut facis, diu impendas in tutanda ea vita, quæ cælitus nobis demissa rerum omnium inter mortales proxima est Cœlo; & in cujus incolumitate orbis universi felicitas continetur. Ita, quoniam HORATIVS ALBANVS, omni tua ope & industria nequicquam enitente, e Romæ sinu & amplexibus avulsus est, servet nobis idem DEVS O. M. Sanctissimum FRATREM, atque annos, quos illi mors immatura abstulit, CLEMENTI XI. ultra statutum naturæ terminum jucundissimos addat. In eo cum amissi Principis vultum contemplamur, omnia fere doloris argumenta videmur consumsisse: illum unum tantæ cladi opponimus; eoque sospite alia non quærimus acerbissimi casus solatia: Hunc denique nobis Pontificem in tanta temporum calamitate postulamus, qui magna possit prudentiæ, constantiæ, & fortitudinis exempla adversis rebus objicere; & demum, cedente fortuna virtuti, longissimam sibi & reipublicæ moliri tranquillitatem.

Ad hæc spes nostras & vota dum excitamus, gratias tibi, Clarissime Lancisi, & ago & habeo maximas, quod me potissimum delegeris, ad quem tuas illas absolutissimas literas mitteres, judicioque tuo exornaveris & auxeris. Tuos profecto ingenii fœtus suspexi semper & colui, quantum mihi de rebus ab instituto meo prorsus alienis judicare fas est; sed hunc maxime etiam cum admiratione persequutus sum, in quo tam multos, tam præclaros scientiæ medicæ locos complecteris; ut quæ in unius hominis tractanda cura præcepta saluberrima, & accuratissimas observationes accumulas, ea sint in posterum plurimorum incolumitati profutura. Perge igitur artem hanc tuam nobilissimam, & cælo

olim

olim dicatam, excolere & promovere; ſcriptisque tuis celeberrimis, & medendi ratione & uſu fac nobis Medicos tui ſimiles, vel ſi hoc ſperare vix liceat, doctrina & experientia tibi quam proximos. Nam quotidie turba Medicorum erumpit, qui imperitia ſua & audacia *animas noſtras negotiantes*, ut ajebat Plinius lib. 24. cap. 1. facultatem eximiam undique fœdant, & in convitium vertunt; novamque Philoſophiam, quæ noſtro hoc ſæculo omnem prope Naturam adhuc deliteſcentem in dias luminis oras eduxit, ſe profeſſos jactantes, mire eam proſtituunt infamantque. Qui enim ex Indice quopiam vel Lexico ſonare didicit ſales fixos & volatiles, alkalim cum acido acuminato pugnantem, ſulphur ramis infenſum, vel fermenta, & balſamicam virtutem, ſolidorumque & liquidorum æquilibria, elaſticam vim & fibram motricem, mechaniciſmum, & potentiarum momenta, preſſionemque aëris in noſtra corpora agentem; & qui Galenum, uti loquaciſſimum, & nullius frugis, magis audacter damnare novit, & inſolentius Ariſtoteli inſultare, quos nec legit unquam, nec a limine ſalutavit, is auctoritatem ſcientiæ ſe habere, & gravi ſupercilio in vitas noſtras impune graſſari jus faſque ſibi eſſe putat. Sed hæc extra meas oleas; fortaſſe non extra veritatem. Hoc demum abs te peto, ut quantum tu es apud me in honore ac nomine, tantum mihi de tua benevolentia tribuas. Vale, & alios fac valere.

Rhodigio Nonis Martiis M DCC XII.

CONSTITVTIO EPIDEMICA AVGVSTANA,

Anni 1711. & sequentium.

Dn. D. LVCÆ SCHRÖCKII.

Aëris status, quo Annus prægressus fuit finitus, in principio, quoque Anni 1711. perstitit, humidus nempe ac multo frigore molestus, variorumque ventorum agitationi expositus, usque dum d. 7. Eurus serenitatem, & post octiduum Zephyrus pluvias, tandemque nives frequentiores adduceret; circa finem autem mensis hujus primi Eurus denuo prævalens, cum serenitate frigus diuturnum & intensum excitaret, ut mei Thermometri liquor ad gradum 8. (quod etiam d. 3. & 13. Februarii contigit,) descenderet, præcipue postquam Zephyrus d. 4. Febr. & Caurus post quatriduum, nec non Eurus quintiduo abhinc nivem admodum copiosam sparserant; quæ sub Africo, comite pluvia & frigoris remissione, d. 18. Febr. liquari cœpit; & quamvis nova subinde nix, occidentali vento (sæpe ad meridionalem, quandoque etiam septentrionalem plagam inclinante, rarius vero ab aliis ventis interpolato,) spirante, usque ad d. 10. Martii caderet, eadem tamen pluviis supervenientibus brevi denuo resolvebatur. Interea, præter Febres quotidie vel alternis diebus recurrentes, licet rariores, in vere tamen crebriores, & in principio sæpe continuarum speciem præ se ferentes, primum teneriori ætati, in progressu autem adultis magis infestas, ut & catarrhosarum ægritudinum multitudinem, Variolæ benignæ in primis, usque in Aprilem frequentes, ast circa Solis in signum Cancri ingressum, una cum Febribus evanescentes, continuarunt, nec non Pleuritis, notha, atque Coxendicum dolor (diaphoreticis, Tinctura præsertim Bezoardica, juxta cum eccoproticis, utrique malo opem ferentibus,) multos lecto adfixerunt.

Ver

Ver cum ventorum varietate, Zephyro tamen prævalente, aura nebulosa, humida & temperata (catarrhosis ideo morbis, præsertim Odontalgiis, Apoplexiis etiam letalibus opportuna) primo erat præditum, quæ circa Aprilis medium in serenitatem mutabatur. Majus frigidiusculus potissimum Euro spirante comparuit, in medio tamen caloris sat acris per decendium particeps, paucosque dies serenas per totum reliquum suum decursum numerans, crebrioribus autem tempestatibus grandinosis, e longinquo tamen nobis tantum se ostendentibus, viciniæ autem admodum damnosus. Cum Junio Eurus, interdum ab aliis diversis ventis interceptus, serenitatem caloresque magnos proferebat, usque dum post solstitium æstivum Zephyrus dominium obtinebat, & mutabilem aëris statum, sæpius vero pluviosum producebat; quæ humida aëris intemperies postea etiam continuabat, diesque caniculares magis temperatos quam fervidos efficiebat. Et licet postmodum cum Sol in Libra versaretur, Eurus serenitatem quandoque redderet, antequam tamen signo hoc excedebat, Zephyrus, aliquoties valde impetuosus, pluviis frigidis denuo molestus exstitit; quin & pluviosa illa intemperies usque ad finem Anni perstitit, nisi quod in Decembri crebræ nebulæ, & serenitates quandoque, Euro præcipue, Austro & Africo intervenientibus, compareret. Cæterum præter Catarrhos nihil epidemicorum malorum prioribus istis temporibus observabatur; post Canis tamen occasum Variolæ denuo multos infantes invaserunt, confluentium jam specie gravius aliquos adfligentes & negligentius habitæ non paucis letiferæ; paulo post tamen, usque ad Anni exitum, & in Januarium usque Anni sequentis, ulteriusque, sed rariores discretæ mitioresque comparentes. Diarrhœæ circa finem Novembris, & per Decembrem in multis, prævio utplurimum vomitu, torminibusque stipatæ, prompte tamen stomachum roborantibus cedentes, notatæ fuerunt.

Circa finem æstatis, & per autumnum Lues illa, quæ bubulo generi per Germaniam Italiamque tam infesta fuit, postquam ex Hungaria versus Danubium sensim progressa, ubique luctuosa

sui

ſui veſtigia reliquit, noſtra quoque confinia attigit, ac inſignem ſtragem, integra etiam numeroſa bovilia evacuantem, apud nos, ac plurimis vicinis in locis edidit; quam non aëris ex vitio, ſed contagio per boves ex regno illo adductos exortam fuiſſe, vel inde ſatis nobis potuit, quod illa primum loca, ubi paſcuis frui illis advenis contigit, invaſerit, armentis vero omnino pepercerit, ad quæ illi, vel alii ab his infecti haud pervenerunt, atque ubi conſortium illorum, ad quos contagium jam penetraverat, evitatum fuerat. Miaſma vero hoc per ſalivam animalium infectorum, quo gramina inter paſcendum conſpurcarunt, ſe primo, poſtea etiam per exhalantes vitioſas a corruptis humoribus viſceribusque particulas ulterius, his in terris, propagaſſe, atque cauſtica acredine infeſtum, fauces, ventriculos ac inteſtina hoſtiliter invaſiſſe, inque ſpasmodicos motus non tantum nervoſas partes irritaſſe, ſicque ob conſtrictos exin vaſorum ſanguiferorum tubulos inflammationem excitaſſe, ſed ipſam etiam eorum ſubſtantiam ad putrilaginem diſpoſuiſſe, credibile videtur: Id quod lingua in quibusdam inflammata, & veſiculis rubris referta, ventriculi, præſertim omaſus, & inteſtina non minus inflammata, & non tantum ſanguineæ, ſed fœtidæ etiam & purulentæ excretiones, ut Dyſenteriæ malignæ ſpeciem utplurimum præ ſe tulerint, nec non inteſtina hepati contigua bile ſuffuſa teſtabantur. Vnde etiam, quæ in prima invaſione notata fuerunt ſymptomata potiora, adpetitus nempe dejectus, difficilis reſpiratio, calorque præternaturalis ortum habuiſſe videntur. Cæterum caro lue hac demortuorum boum quamvis pluribus, egenis præcipue in cibum primo venerit, nec ſiniſtri quid ipſis inde accidiſſe reſcitum fuerit, tutius tamen eſſe iisdem abſtinere, tum ratio ſuadet, qua ex viſcerum obſervata labe promte etiam eandem carnibus communicari, quia & nauſeam, facile exin oriundam, multum nocere poſſe evincitur, tum exempla confirmant, quibus noxium quandoque exſtitiſſe carnium contagioſa labe infectorum animalium eſum conſtat: Vid. præter alios Nob. D. Roſini Lentilii Miſcell. med. pract. part. 2. pag. 519. Liceat etiam memorare exemplum, ab Exc. Dn. D. Johan-

hanne Mayero, Arch. Elect. Palat. & Physico Neoburgensi, Anno 1712. d. 16. Julii ad me perscriptum, duobus nempe rusticis, cum bovem ægrotantem mactassent, &, quia lienem pulmonesque male constitutos invenerunt, sepeliissent, carbunculos in brachiis fuisse exortos, cum febre acuta, vomitu & diarrhœa, duos autem canes, qui carnes istas degustaverant, eodem die mortuos fuisse. Ex Hungaria quidem Venetias advectorum boum dysenteria laborantium carnes innoxias quondam Medici aliqui Patavini insignes pronunciarunt, ast tutius esse talibus abstinere, celeberrimi olim Jenenses Medici, Guern. Rolfincius in Ord. & meth. spec. comm. lib. 2. sect. 3. cap. 60. & Joh. Theodor. Schenckius hist. gener. humor. cap. 2. judicarunt. Prout etiam Collegium Medicum Augustanum circa Casum hunc ab Illustr. Senatu requisitum, hujusmodi carnium ulteriorem venditionem, ad noxas inde emergendas præcavendas, dissuadere tutius duxit, atque per Senatus Decretum impetravit.

Circa principium Anni 1712. Zephyrus, interdum ad unum alterumve latus declinans, cum frigore nivem, sed rariorem sparserat; & licet sæpius aër serenus postea redderetur, semper tamen nebulosus una fuerat: frigus quidem in progressu remissius, ast brevi post, flante Euro vel Austro, denuo intensius factum est: usque dum d. 3. Febr. Zephyro redeunte, pluviis, quæ per decendium durarunt, obortis cessarunt. Varius abhinc aëris status, quoad temperiem tolerabile frigus, crebriores autem nives attulit, usque dum circa Æquinoctium vernum Eurus temperatiorem aërem redderet, mox vero diversis sub ventis humida & pluviosa constitutio usque ad Solis in signum Tauri ingressum valde molesta exstitit, quam Euro prædominante, calida & sicca excepit, sæpius tamen postea variando: Sole vero Leonis signum occupante, occidentales venti pluvias multiplicarunt, & d. 6. Augusti cum serenitate calores magni oborti fuerunt; qui etiam, licet circa finem mensis hujus, delapsis pluviis, remiserint, mox tamen denuo comparuerunt. Cæterum hucusque præter consuetos hyemales catarrhosos insultus, in mensibus vernalibus Tus-

ſes ferinæ puerilem ætatem admodum adflixerunt, eccoproticis repetitis, abſorbentibusque, nervinis, ac demulcentibus ægre profligatæ; Febres etiam quotidianæ non valde contumaces, purgantibusque præmiſſis, per antimoniatas calces, arcanum duplicatum, & corticem Peruvianum &c. devictæ, per æſtatem plures occurrerunt; in Auguſto autem non paucæ Diarrhœæ, in nonnullis quoque Dyſenteriæ, ut & Choleræ, ſed benignæ, omnes facile, poſt rhabarbari nonnihil toſti uſum, inprimis pulveribus dictis præcipitantibus, coraliis, unicornu foſſili, quandoque etiam tormentilla, ſucco catechu &c. curatæ. Haſce ægritudines in progreſſu menſis Febris catarrhalis exceperat, ſine ſexus ætatisve diſcrimine, magis tamen adultos quam pueros, cum febrili inhorreſcentia, ſubſequente calore, cum cephalalgia, & hinc productis pervigiliis, quas interdum deliria nocturna comitabantur, oculorum item, dorſi & artuum dolore, ac tuſſi ut plurimum invadens, & inſtar ephemeræ, altero, vel tertio, quartove die, ſponte, aut impetus ubi vehementior erat, poſt moderatum ſudorem, modo per volatilia, modo fixa medicamenta, pro ſubjectorum diverſitate, excitatum, recedens; niſi quod tuſſis quandoque pertinacius inſiſteret. Qui morbus uti multis, remotis etiam in locis, ita noſtra quoque in Vrbe plurimos invaſerat, ut vix domus eſſet, ubi eo laborantes non deprehendebantur; atque nobis ex prægreſſa humida aëris intemperie, ſimiles in corpore noſtro particulas augente, ac magnis dein ejusdem caloribus, lympham in corpore fundentibus & agitantibus, ſubito tamen tempeſtatis frigidæ aliquoties obortæ interventu, quæ tranſpirationem ob poros inde occluſos ſufflaminabat, condenſatam generata mihi videbatur. Nec aliam cauſam Pleuritides hanc in menſe Octobri excipientes, non admodum refractariæ habebant, atque ideo ſudoriferis moderatis præcipue, ac ſatis promte cedebant. Aliorum morborum minime ferax erat Autumnus, qui ſatis temperatus & ſerenus in principio, in progreſſu autem, præſertim Zephyro utplurimum, & quidem nonnunquam multa cum vehementia ſpirante, humidus ac pariter temperatus ſe habuit; ſicque continuavit

hæc

hæc temperies: ante ſolſtitium tamen quatriduanum frigus, & tale etiam in fine Anni, Euro flante, experti fuimus.

Non prætereunda hic eſt Lues admodum gravis & funeſta, quæ in Vere equos potiſſimum extra Vrbem & in Vicinia, rariſſimos in Vrbe invaſit, multosque trucidavit, poſtea etiam bobus, feris, quin & porcis, anſeribus atque gallopavonibus, quibusdam in locis, non pepercit, & adultum usque in Julium tragœdiam ſuam ludere perrexit. Oriebantur fere ſemper in pectore, aut etiam in inguine, aliisque locis tumores duri, qui paulo poſt in amplius ſpatium ſe diffundebant, & intra breve temporis ſpatium interimebant. Hos ab ictu crabronum, qui copia & magnitudine inſolita præditi obſervabantur, ortum habuiſſe mihi credibile videbatur. Vti vero cadavera boum elapſo anno demortuorum, nec ubique alte ſatis in terram defoſſorum & putreſcentium Inſectis hiſce pabulum gratum exhibuiſſe, (in cavernis enim & ſub terra nidos ab eis fieri, carnibusque veſci, Ariſtoteles lib. 5. hiſt. animal. cap. 23. Plinius lib. 11. hiſt. nat. cap. 21. aliique teſtantur,) ſicque multiplicationi & augmento eorum, humorisque venenati, quem glandula in imo abdominis, cui aculeus nigricans & cavus, juxta nobil. D. Johannis Muralti relationem in Eph. noſtr. Dec. 2. Ann. 1. obſ. 56. implantatus eſt, majori acredini velificaſſe, non improbabile eſt: ita venenatæ etiam hæ atomi in humoribus animalium ab eis ictorum ſeſe multiplicare, atque dein alia quoque animalia ſic inficere potuerunt: quale exemplum in prædio vicino Illuſtr. cujusdam Baronis equum hac lue defunctum, & in fovea non alte ſatis effoſſa, terra obrutum exhibuiſſe ſcio, cujus ideo pes unus extra terram prominens a ſervo cum ſecuri amputaretur, proſiliens exin humor in ejus oculum, mox tumorem & inflammationem excitaverat, alterum etiam oculum, & ſucceſſive totum caput occupantem, atque cum ope medica deſtitueretur, mortem brevi accelerantem. Salis ex aceto potum adverſus crabronum virus præfatus Plinius lib. 32. cap. 9. & Caſp. Schwenckfeldius Theriotr. Sileſ. pag. 526. remedio eſſe tradunt, eque veſtigio ſuxiſſe vehementius, ſuctuque infixos aculeos, vel

potius humorem virulentum revulsiſſe: Inter alia ſane remedia, theriacam, allium, bolum vulgarem, nitrum &c. cum aceto propinata, quibusdam (uti etiam in ſuperius memorata boum lue,) profuiſſe, ab aliis non infeliciter tumores ſcarificatos, aut etiam ex inciſa cute fuiſſe extractos, relatum fuit.

Anni 1713. principium, ſub variis ventis, potiſſimum occidentalibus, frigore, quod cumprimis in medio Menſis Januarii intenſum valde fuerat, & ſerenitate, usque dum Sol Piſcium ſigno adproximaret, gaudebat: Vbi poſt plurimas pluvias cœlum nebuloſum, verſus finem autem Februarii ſerenum, cæterum valde temperatum reddebatur; quæ temperies, ſub mutabili cæli facie etiam usque ad Æquinoctium vernum & ulterius continuabat. Reliquus vernalis & æſtivus decurſus quandoque temperatus, utplurimum autem pluvioſus, & ſæpe una frigidiuſculus exſtitit. Menſem vero Septembrem, in quo Eurus ſpirabat, ſerenitas commendabat; in reliquis autem tribus menſibus crebræ nebulæ pluviæque (quibus in Octobri nives ſæpe intermiſcebantur,) aderant. Humida hæc præpollens aëris conſtitutio, Zephyro majori ex parte comite, multorum ſuperveniendorum morborum timorem nonnullis pariebat, nihil tamen ſingulare apud nos inde evenit. Attamen præter varias catarrhoſas moleſtias, Variolæ diſcretæ, rarius confluentes, nec mali moris, per totum Annum, frequentiores tamen poſt ſolſtitium æſtivum, & per reliquum Anni; præterea etiam Febres tertianæ ac quotidianæ, ut & quandoque Icteri, facile omnes ſanationem admittentes, ſparſim, in Majo plures infantes Morbillis benignis laborarunt; in Decembri non pauci Febre petechiali, cujus in pagis vicinis multum graſſantis contagium in Vrbem delatum fuerat, interierunt, brevitamen iterum per DEI gratiam malum ceſſare contigit.

CON-

CONSTITVTIO
Anni 1712. apud Labacenſes in Carnioliæ
a
Dn. D. MARCO GERBEZIO,
Apud eosdem Phyſico, & Medico ord. medice conſiderata, & Auguſtam Vindelicorum d. 28. Decembris 1712. communicata.

FRigori alias Hippocrates non videtur imputare ſingularem inſalubritatem, dum 3. Aph. 17. ab eo *corpora firma, agilia, & bene colorata* reddi aſſerit: quam id tamen inſalubre eſſe ſoleat, ſaltem dum modum excedit, docuit nos præterquam hyems Anni 1709. ſi quæ alia nivoſa, & frigida, quoque currentis Anni 1712. hyems ob non multo demiſſiores nives & frequentes aquilonares ventos ſimiliter ultra modum frigida. Sub ejus ſiquidem decurſu plurimi a Febribus catarrhalibus, tuſſibus, raucedinibus, pleuritidibus, phthiſibus, cephalalgiis, gravedinibus, hemiplegiis, cachexiis, hydropibus, & aliis a variis modis peccante lympha dependentibus indiſpoſitionibus fuere apprehenſi. Quamvis tamen forte per ſe non tam frigus fuerit cauſa tantarum indiſpoſitionum, quam prægreſſa elapſi Anni 1711. auſtrina, & pluvioſa autumni conſtitutio, quæ a præſentis anni perrigida hyeme excepta humiditates, elapſo autumno in corporibus aggregatas, occluſis cutis poris, & per id impedita inſenſibili tranſpiratione, in corporibus retinuit, coagulavit, ſtagnare, & extravaſari fecit, præſertim dum ſubinde tamen etiam intercurrerint auſtrini flatus, qui eas rurſus ſoluerunt, & exundare fecerunt. *Si viciſſitudine quadam*, dicit Valleriola lib. 2. cap. 4. locor. com. *aquilonius flatus auſtrinum ſequatur, fluxionum tum morbi fiunt.* Quemadmodum & nos *in Chronologiæ noſtræ Med. An. 1. §. XX. & XXI.*

Sic Ego ipſe mox ſub anni ingreſſu cum pluribus aliis a febri catarrhali apprehenſus eram, ſed brevi liberatus introſumptione mannæ granatæ in jure diſſolutæ quantitate unc. trium, & ſudatione ad tales pulveres ſpecificos mane cum decocto herbæ theæ aſſumptos: ℞. Spec. diamarg. frig. diatrag. frig. ʒij. diaphor. ana. ℈ß. ſuccin. alb. præp. flor. ♃ ana. gr. iij. M. f. pulv. in triplo. Aliis præterea ſubinde venæſectione ſanguinem imminuebam, & alia pectoralia propinabam, puta decoctum pectorale cum ſyr. de alth. Fern, de farfora, aut ſimilibus ſpecificis dulcificatum. Item Trochiſc. bechicos, ol. amygd. dulc. cum ſacch. cando, vel Julapio violato &c.

Certus puellus quinquennis non pridem pro capitis, & reliqui corporis ſcabie abigenda, neſcio quo, perunctus, & præterea ab extra perfrigeratus in eam dyſpnœam inciderat, ut ſuffocandus videretur. In ſubſidium vocatus ſuaſeram, ut eum ſyr. Mannati unc. j. & jalap. pulv. ℈j. expurgarent. Hinc in jure diſſolutam ſpermat. Ceti ʒj. propinarent. Nec non ad ſudorem cogerent his pulviſculis: ℞. ſpec. diamarg. frig. ♄ diaphor. ana. ℈ß. pulv. March. ſuccin. alb. præp. ana. gr. iij. flor. ♃ gr. j. ſacch. perl. gr. iij. M. F. pulv. in triplo. Et ſæpius cochleatim propinarent de tali mixtura appropriata: ℞. Extract. helen. fumar. ana ʒj, croci gr. V. ſubigantur in Aq. aſthmat. chærefol. ana ℥iß. ſyr. de hyſſopo. ℥ß. M. f. potio. Atque, niſi malum remitteret, utrique brachio veſicatoria applicarent. Dictum, factum, & puellus præter parentum expectationem convaluit.

Hyemem quidem cum majore amœnitate excipere velle videbatur Ver, utpote ſub cujus ingreſſu ex amœnis Solis radiis adhuc reſiduæ nives ſucceſſive optatiſſime diſſoluebantur. Poſtquam autem in Aprilis progreſſu ſæpius intercurrere incæpiſſent pluviæ auſtrinæ, a 20. Aprilis usque ad 25. autem ex Euro priſtina hyemalis auræ aſperitas, adeo deſolati evadere incæperamus, ut adhuc vel tunc nobis non meliora de corporum valetudine, quam de futura ſatorum ubertate ominari triſtes occæpiſſemus. Quando enim in noſtris oris nives, & hyemale frigus

eo

eo usque, & ultra æquinoctium vernum protrahuntur, experientia annua edocti nunquam messem opimam, fructus arborum copiosos, & vindemias lætas nobis adpromittere audemus. Emori siquidem accidit vel in ipsa radice hyemalia sata, flores arborum fructiferarum emarcescere, & primos vitium pampinos a pruinis, & nocturnis auræ asperitatibus exitialiter aduri: quemadmodum id etiam, ut postea dicetur, hoc ipso anno evenit. Nec minorem stragem valetudo humana perpessa est, Corpora siquidem hyemali asperitate enervata, & per tot intercurrentes auræ vicissitudines alterata, nec non per tot vernas pluvias nova humorum illuvie repleta, non poterant non solum ab adhuc hyemalibus indispositionibus opprimi, verum & vernis subjacere, potissimum eis, quæ a peccante lympha, quales sunt omnis generis vulgo defluxionibus imputari soliti affectus, produci solent. Non minus autem Majus erat inconstans, & inamœnus, quam Aprilis, utpote fere quotidie versus vesperum pluviosus, quin imo subinde & tempestuosus, quemadmodum secunda Maji, qua excussum ex nubibus fulmen arcis horologio adjacentis turris tectum magna parte dissiecerat. Junius erat quidem nonnihil ordinatior, & versus exitum utcunque æstivus, aliquoties tamen æque tempestuosus: quin imo ad festum S. Medardi ex aquilone plane frigidus. Vt adeo neque ipse plane inculpate transire potuerit.

Certus archi-hypochondriacus jam tribus annis consequenter semper circa dimidium Aprilis deterius affectus, & præsertim de capitis gravitate & obfuscatione quadam lamentatus 13. Aprilis inexpectate factus epilepticus intra bihorium obiit. Obiisse quoque observati sunt alii repente eodem tempore facti epileptici. Memorabile est a jam dicto hypochondriaco notatum discrimen inter auram civicam, seu Vrbis arci subjacentis, & inter auram sublimem arcis ipsius Labacensis. Asserebat is enim, quod quoties adiisset (solebat autem diebus amœnis facere frequentissime) arcem, consedisseque aliquamdiu sub tilia, supremitatem montis amœne coronante, vel obambulasset; se semper notabiliter melius sen-

ſenſiſſe, caputque habuiſſe ſerenius; quamprimum vero redux domum verſus ſubjacenti urbi appropinquaſſet, ſe illico rurſus deterius ſenſiſſe. Vt adeo plane dubitare non liceat de veritate eorum, quæ nos in *vindiciis noſtris Medicis de aura Labacenſi* §. *37.* de diſcrimine inter ſalubritatem urbium, & locorum libera auræ expoſitorum, campeſtriumve docuimus.

Ad repentinam Junii circa feſtum S. Medardi perfrigerationem pleuriticus factus Jacobus Vbez expertus Chirurgus corpore ultra modum obeſus, & plethoricus eluſis quibuscunque adhibitis remediis quoque intra triduum obiit, cæterum homo apparenter ſaniſſimus. *Obeſi* videlicet *facilius moriuntur, quam graciles* ex Hippocrate.

Æſtas habuit quidem ſua intervalla utcunque connaturalia; quod toties tamen intercurriſſent tempeſtuoſæ pluviæ cum tonitruis, fulgurationibus, & fulminationibus, ſubinde etiam cum grandine, cum communiter ſubſecuta notabili auræ perfrigeratione, quemadmodum 21. Auguſti, qua mane hora media ſeptima fulmen in ſuburbio Tyrnau dicto octo nautarum caſas, non obſtante denſiſſima pluvia, in cineres redegerat; pro vix temperata, & vernam temperiem aſſecuta haberi poterat. Ob quam cauſam ſata tardius maturata meſſem triſtiſſimam colonis præbuerant.

Adhuc parum ſiquidem illud, quod hyemalem rigiditatem, & ultra æquinoctium protractas nives ſubterfugerat, perque vernas pluvias in lolium converſum non erat, per toties iteratas corruſcationes adeo exuſtum fuit, ut ariſtæ vel ſteriles plane evaſerint, vel grana macra effœtave, & potiore farina orbata progenerarint.

Neque humana valetudo interea minimum paſſa. Vidimus ſiquidem, quod, quæ per Junii, Juliique decurſum ob immiſtas ſucceſſive per hyemem, & Ver in corporibus aggregatas humiditates utcunque ſubſidere incæperat, mox ſub Auguſto labaſcere viſa ſit a febribus tertianis intermittentibus, ſubinde & quartanis, & tertianis nothis, continuis, diarrhœis, dyſenteriis, vo-

vomitionibus &c. impetita. Quæ febres vel in eo fuere singulares, quod non solum raro consuetum typum in paroxysmis observaverint; verum etiam, quod communiter post aliquot paroxysmos in continuas mutari solitæ fuerint, similiter adeo inordinatas, ut etsi typum tertianarum duplicium præseferre viderentur, tamen subinde 24. & plures horæ intercurrerint, quibus in pulsu nulla fere alteratio animadvertebatur, urinis fere crassis, & lateritio sedimento refertis existentibus, desuper vero tamen rursus insistente continua alteratione, persæpe cum maculis petechialibus scarlatinis saltem per brachia dispersis, sæpe etiam cum diarrhœis & vomitionibus, vel copiosissimis sudoribus: vix tamen aliquando cum ægrorum interitu, etsi semper cum tardissima integræ valetudinis recuperatione. Quod Medici communiter febriliter cum succo pancreatico justo acidiore effervescenti bili, sed multæ pituitæ admistæ imputabant; & vel propterea non tam ardentes, acutasve febres producenti, quam potius nothas, minus acutas, & diuturnas. *Quando æstas sit similis veri, sudores in febribus multos expectare oportet. Hipp. 3. Aph. 6.*

Curabantur autem febres illæ, si quandoque perstitere intermittentes, pulvere Cornach. diebus a febri liberis justa dosi assumpto, & sale febrili Mynsi. una alterave hora ante paroxysmos in aqua card. ben. vel cent. minoris propinato. Siqua vero eas in continuas degenerare accideret, præterea venæsectio celebrabatur in petechialium macularum absentia, alias vero scarificatio dorsi cum subjunctis cucurbitulis. Quamvis viderim apud unum alterumve opificem, cui etiam actu prostantibus petechiis, sed pro pulicum morsibus habitis, erat sanguis venæsectione emissus, & qui tamen æque conualuit, ac alii, quibus sanguis emissus non erat. Vnde conjicere licebat eas solita sibi malignitate non fuisse præditas. Per reliquum morbi decursum autem insistebatur usui pulverum pan. rub. de gem. frig. CC. phil. præp. ℥ diaph. arcan. dupl. bezoardico min. additis, si diarrhœa symptomatica urgebat, troch. de terr. sigill. unicorn. foss. &c.

Certa filiola, quæ ſimili febre continua cum maculis petechialibus, & dyſenteria detinebatur, convaluit ad ſubinde pro neceſſitate injectos clyſteres primum abſtergentes, poſtea adſtringentes, & ad quotidianam intro ſumptionem pulv. pan. rub. troch. de terr. ſig. CC. phil. præp. unicorn. foſſ. & ſmaragd. præp. cum ſacch. roſato dulcificatorum. Quodque præterea linguam haberet aridam, eam humectabat mucilagine ſem. cydon. aqua prunell. extr. addito Rob diamor. & lap. prunell. eluebatque frequenter os aqua & aceto invicem commiſtis, abſterſa lingua dentiſcalpio, non intermiſſis externis adſtringentibus.

Certus nobilis denique plane adhuc pluribus habebat opus. Laborabat is vero hemitritæo, febre ex æſtu febrili continuo, & febre intermittente cum rigore & duplicato æſtu alternis diebus intercurrente conſtante, & quod deterius erat, ſemper cum quadam veluti Cholera ſeu excretionibus numeroſiſſimis per ſuperna, & inferna materiæ variæ veluti æruginoſæ. Hic erat primum purgatus decocto ſen. c. rhab. Mynſ. Hincipſi vena ſecabatur, & pro attemperatione æſtus febrilis præter mixturam cordialem ad intro porrigebantur pulv. de gem. frig. CC. phil. præp. ʒium diaphor. arcan. dupl. Aſt intercurrerat tertius paroxyſmus cum ea violentia, vomitibus, & alvi dejectionibus, ut æger, ſi ſæpius taliter invaderetur, malo ſuccubiturus metueretur. Hinc poſtridie illius paroxyſmi loco arcani duplicati memorato pulveri Cort. peruviani & troch. de terr. ſigill. ana ℈ß. erat additus. Veſperi autem ante ſomnum pridie quarti paroxyſmi febris intermittentis talis bolus: ℞. Conſerv. menth. roſar. Elect. dioſcord. fract. ana ʒß. cort. peruv. ſubtil. pulv. ℈ij. troch. de terr. ſig. gr. vij. M. cum ſacch. F. bolus. Et non ſolum quieverat ea nocte utcunque æger, verum & a vomitionibus illis, aluique dejectionibus fere liber erat, præterquam totus debilis, & a continuante æſtu febris continuæ totus anxioſus. Qui propterea pro poſſibili cordialibus & caponis jure cum gelatina permiſto reficiebatur. Quodque expectaretur acceſſus quarti paroxyſmi mox a meridie, quatuor horis ante cum fuit ægro talis mixtura ſpecifica propi-

pinata : ℞. Aq. cord. ſaxon. ſecundæ, card. ben. ana ℥ß. ſyr. coral. ℥ij. cort. peruv. ſubtil. pulv. ℥ß. ⊖ abſynth. gr. V. M. f. pot. Et deſideratiſſime emanſerat, quem adeo non minus nos, quam æger ipſe metuerat, paroxyſmus. Vt adeo nobis nihil ſuperfuerit expugnandum, quam adhuc febris illa continua, viriumque proſtratio : quibus proinde diligenti continuatione pulv. de gem. frig. CC. phil. præp. ʒij diaphor. & ⊕ perlat. nec non mixturis cordialibus opem ferre eo usque conabamur, usque dum ſucceſſive & iſta feliciter ſopita fuere. Certe ſi in quo alio, in hoc manifeſte periculoſo caſu ſe Herculem exhibuit cortex peruvianus, rite ob conjunctam Choleram ſtomachicis aſſociatus.

Autumnus denique usque ad extremum Octobris erat ſatis commodus, ut adeo Vindemiæ quidem in optata aêris temperie potuerint peragi, ſed vel ex eo triſtes, quod magna botrorum pars, uti in conſtitutione verna dictum, aut in primis adhuc pampinis vere emarcuiſſet, aut æſtate a tantis corruſcationibus, & rubiginoſis pluviis, ipſis etiam arborum foliis, & arboreis fructibus proinde copioſiſſimis maculis notatis, & ad putredinem proniſſimis notanter infenſis, aduſta penitus arida e vitibus decidiſſent, poſtea autem, & toto Novembri, Decembrique Menſibus usque ad 13. Decembris adeo pluvioſus, ut fere non interceſſerit dies, qua non pluiſſet, aut ſaltem nubilum, & ad pluvias proclive non fuiſſet, & ex Auſtro jugiter (excepta 20. & 21. Novembris, qua primæ nives ex Euro ceciderant, & 8. Decembr. qua per quinque continuos dies Aphricus, vehementiſſime furebat) flante veluti tepidum. Hinc non mirandum, quod interruptis dictis tum continuis, tum intermittentibus febribus econtra turmatim irruiſſent febres Catarrhales, hemicraniæ, vertigines, hemiplegiæ, arthritides, & poſt 20. Novembris repente perfrigeratam raucedines, gravedines, tuſſes, pleuritides, obauditiones &c.

A 13. Decembris ex Aphricum excipiente leni Aquilone demum ſaltem a prandiis ſerenum cum ſucceſſiva aêris perfrigeratione usque fere ad anni exitum, niſi quod poſtremis diebus conſtanter obnubilatum cœlum nos Solis radiis privaverit, Atque adeo

adeo apparet totum hunc annum, excepta hyeme, quæ saltem frigoris acerbitate excesserat, fuisse valde insalubrem, & ob tot pluvias, coruscationes, & potissimum prævalentes ventos Meridionales, non minus terræ fructibus, quam hominibus magnopere infensum. Num vero & animalibus, quæ etiamnum crepare continuant? sub judice lis est. Interea certum est, tot æruginosas pluvias eorum pascua non reddidisse salubria, quin potius insalubria. Quamvis probabilius videatur, istam interitus animalium continuationem potius contagii semel eis impressi propagationi esse imputandam, quam pascuorum vitio: eo, quod & alibi terrarum grassetur tale malum, ubi forte tamen tot corrosivæ pluviæ non cecidere, quot apud nos.

Duo hemiplectici fere plane æqualiter affecti, id est uterque cum immobilitate brachii dextri, & loquendi impotentia, fuere fere æqualiter percurati, ita ut etiamnum fere pro lubitu moveant brachia, & loquantur libere. Purgabantur videlicet hac potione: ℞. Mass. pil. cochiar. 3j. dissolvatur in tantillo aq. apopl. adde syr. de stœchad. 3ij, spir. lil. convall. gutt. VII. M. f. potio. Hinc uni eorum, qui plethoricus erat, emittebantur ex dorso mediante scarificatione circiter quatuor unciæ sanguinis. Vtrique vero erat injunctum, ut pro corroboratione spirituum bis de die assumerent, castaneæ quantitate, de hac opiata: ℞. confervæ flor. beton. salviæ, anthos, majoran. ana. ℥ß. spec. contra apoplex. ʒiß. specific. cephal. Michaël. ℈j. spir. ceras. nigr. lilii conval. ana. parum M. cum syr. flor. tunicæ F. opiata. Cui superbibatur unum vel alterum Cochlear aquæ apoplecticæ.

Item, ut spinam dorsi cum nucha ungerent unguento nervino, & ol. lumbr. terr. atque os frequenter eluerent spiritu lil. convall. cui theriaca esset admista.

Quinta morbi die fuit repetita potio purgans, atque subsequentibus septem diebus sudor procuratus decocto lignorum cum ligno rorismar. & visco querc. Et, uti dixi, successive convaluit uterque.

Non

Non multo abſimilius tractatus fuit etiam certus mercator ex hemiplegia ſaltem oris torturam, & palpebræ dextri oculi, ita, ut eam citra manus ſubſidium occludere non poſſet, reſolutionem paſſus. Purgabatur is nempe his pilulis : ℞. Extr. cephal. 3ß. caſtor. gr. j. Reſin. jalap. pin. ſub. gr. VII, ſpir. mac. gutt. j. M. cum ſpiritu ceraſ. nigr. f. pil. N°. IX. Nucham calide unxerat ung. nervino & ol. ſuccini ; pro corroboratione utebatur eadem opiata, qua duo illi hemiplectici, & poſt triduum repetitis pillulis ſudabat ad potum decocti ſudoriferi per octiduum, prætereaque partem affectam fovebat ſaccullis ſpeciebus nervinis refertis, & in vino albo decoctis. Et eatenus reſtitutus fuit ſucceſſive, ut vix animadvertatur, quod aliquando fuiſſet læſus.

Armamentarii Cæſarei præfectus tamen, poſtquam jam antehac ter fuiſſet a ſimillima hemiplexia ſimillimis remediis feliciter reſtitutus, circa dimidium Novembris brachio ſiniſtro, quod alias prioribus vicibus erat intactum, reſolutus cum omnimoda loquendi impotentia, fruſtra adhibitis quibuscunque, ad initium Decembris interiit.

Ex quartanariis certus ſexagenarius ad ſolas has pillulas: ℞. pil. ♆ Schroed. 3ß. extr. gentian. cent. min. ana. gr. IV. Reſin. jalap. pin. ſubt. gr. V. M. cum tinct. ♆, f. pil. N°. IX. Et ad ſectionem ſalvatellæ manus ſiniſtræ, atque ad gr. iij ♆ emet. Nec non ad continuatum uſum hujus tincturæ convaluit: ℞. Eſſent. abſynth. Elix. propr. parac. tinct. ♆ ſpir. ♎ ♐ci ana 3j. M. Doſis gut. XXX. ex aqua abſynthii. Alii tres quartanarii vero priusquam fuere liberati, præterea uſi ſunt ſuis temporibus his pulveribus ſpecificis : ℞. cort. peruv. ſubtiliſſime pulv. ♑ij. ♎ ♐ci, ♄ diaphor. ana gr. Vii. M. f. pulv. Aliorum affectuum curationes, utpote magis obvias, ſtudio prætermitto, excepto ſolo adhuc Materialiſta illo, qui 20. currentis Decembris in ædibus Carpentarii ad eccleſiam S. Floriani ex diuturnis Coli inteſtini doloribus, & oſſis pubis, iliique apoſtemate obiit. In eo ſiquidem illud erat ſingulare, quod ex aperto apoſtemate infra os pubis ob commodiorem puris evamore aliquot digitis

cuationem cum pure genuinæ alui fæces profluere animadverſæ fuerint. Propterea demortuo poſt octiduum circiter ægro, jam pridem penitus exhauſto, erat inquiſitum in dictarum fæcum tranſitum; & deprehenſum, quod colon inteſtinum, ea, qua coxam ſpectat, parte fuerit ad imperialis numi amplitudinem exeſum, perforatumque, & inde facto ſucceſſive cuniculo per pure excavatos muſculos, partes illas contegentes, penetraſſe ex læſo inteſtino fæces illas alvinas usque ad inciſum locum. *Induta eſt ſcilicet caro hominis putredine, & ſordibus.* Job. cap. 7.

CONSTITVTIO

Anni 1713.

a

DN. D. MARCO GERBEZIO,

Medico Labacenſi, communicata d. 15. Januarii A. 1714.

ADeo varius erat apud nos Labacenſes, quoad auræ temperiem hujus anni 1713. decurſus, ut fere vix præterierit octiduum, quo ob jugem omnis generis intercurrentium ventorum viciſſitudinem alia non fuiſſet introducta aëris conſtitutio. Solus Januarius ſibi hyeme aliqualiter conſtabat, æſtate Auguſtus, & autumno poſterior Novembris, & anterior Decembris pars cœlo ex ſolito maturius partis nivibus, easque ſecuto flatu aquilonio ſerenato. Cæterum vero toto reliquo tempore varietas, potiſſimum cum pluviis, & auræ aſperitate conjuncta: proindeque ſicut terræ frugibus maxime incommoda (qui propterea exceptis montanis locis, ubi ſolum natura ſua aridius eſt, non ſolum crevere perpauci, verum & impuri, & viciis, zizaniisque pleniſſimi, arboreis fructibus quidem itidem ſaltem in montanis exiſtentibus utcunque

que copioſis, verum & ipſis ob nimias pluvias veluti eviratis, & ſolita ſapiditate deſtitutis, conſequenter minus ſanis, plurimisque hominum eis indiſcrete veſcentium febrium diarrhœarum, dyſenteriarum, vomitionum, & ventris corroſionum cauſa) ita ſanitati humanæ maxime importuna. *Mutationes* ſiquidem *temporum*, teſte Hipp. 3. aph. 1. *pariunt morbos.* Quod ea tamen non tulerit ſingulares aliquas, præter copioſas defluxiones, epidemias, qualium alias feraces eſſe ſolent ſimiles annorum conſtitutiones; exiſtimo in ſingulare noſtrum commodum feciſſe, quod dictæ illæ varietates nunquam repente irruerint, ſed ſucceſſive, & veluti inadvertibiliter, neque diu tales perſeverarint, neque magnæ fuerint: quod tamen requiritur ad inducendos in corpora ex aëre morbos populares. *Magnas* ſiquidem, dicit Hipp. citato loco, *mutationes facere morbos.* 3. aph. 7. autem dicit: *ſi annus magna ex parte talis fuerit.* Quod ipſum ſentit & Galenus *Comment. 1. in lib. 1. Hipp. de morbis vulgaribus.* Quandoquidem igitur hic annus, juxta dicta, maxima ex parte fuerit varius, & frequentiſſime pluvioſus: tales conſtitutiones vero ſolent eſſe defluxionum, ſeu morborum a peccante lympha dependentium feraces; mirum non eſt, quod potiſſimo tempore præ quibuscunque aliis affectibus viguerint defluxionum morbi.

Curationes eorum non adduco, ſed relego benevolum Lectorem ad *Chronologiam meam Med.* elapſo Vere Francofurti una cum Intricato Extricato meo Medico recuſam. Ne vacuæ tamen omnino ſint hæ paginæ, aliorum morborum hoc tempore obſervatorum, & ſolum breviter meminiſſe hic lubet certæ nobilis Matronæ, elapſa quadrageſima a me ab hydrope aſcite feliciter percuratæ, elapſo autumno vero ex eodem malo tamen, ſed per errorem defunctæ. Hæc tota elapſa æſtate citra querelam vixerat: quod ea vero horariis fructibus nimium indulſiſſet, & alias licentioſius pro ordinario mulierc ularum more victitaſſet, ſub initium autumni de novo cruribus intumeſcere occæperat, ſucceſſive & abdomine; ſed quod

cum

cum nescio quo in ventre motu : se concepisse suspicari incæperat, & propterea omnia remedia, ne inde forte abortus periculo sese exponeret, negligere, usque dum exacto, sua opinione, gestationis tempore, dum parituram sese existimaret, vitam cum morte commutarit. Apertum propterea Cadaver, ut fœtus eximeretur: ast ejus loco aliud non repertum, quam ingens in abdomine aquarum colluvies. Vt adeo manifeste conjicere licuerit, motum illum, quem fœtui illa imputabat, aliunde non fuisse, quam a flatibus, aut colluviei illius aquosæ in abdomine contentæ, & sub corporis motu, aut ventris contrectatione perceptæ fluctuatione. Si infelix mulier alias tempestive ad rem feciſſet (quamvis gravidas a similibus generosis remediis indigentibus malis citra abortum liberare, sit ex nostra in Intricato Extricato nostro medico tradita doctrina, perarduum) forte non minus juvari potuisset, quam adjuta a me fuit Sutorissa illa, cujus ut talis curatio proposita fuit *in Chronologiæ* meæ Med. Anno I. §. CXXI. In simili siquidem peccantium humorum aggregatione remedia etiam valentiora, qualium hydrops præ aliis affectibus indiget, non tam fœtum, utpote rem domesticam, & naturæ congenerem, quam humorem peccantem, utpote quid a natura alienum, citra abortus consecutionem, aggrediuntur. Prouti id pluribus deductum a me fuit in jam allegata *Chronol. mea Med. Anno II.* §. *CXXVII.* & alibi. Vt taceam, quod in tali casu præstare videatur saltem matrem etiam cum aliquo abortus periculo salvare, quam Matrem & fœtum evidenti periculo exposi-tum, relinquere. De imaginariis conceptibus alias si quis plura legere cupit, inspicere potest Sachsium *in Scholio ad observ. I. Anni I. Decuriæ I. Ephem. Nat. Curios.*

Meminisse item lubet duorum febricitantium, quorum uterque in sextum usque mensem intermittenter febricitabat, non obstantibus variis a suis Medicis sibi ordinatis remediis, quos Ego tamen solis sequentibus mox ad anni principium celerrime liberaveram. ℞. *Pil. ♀rear. Schræd.* 3ß. *extr. gentian. cent. min, ana. gr.* iv. *Resin. jalap. pin. sub. gr.* vii. *ol. mac, cont.* ij. *M.*

cum

cum tinctura tartari F. pil. No. lX. Sumantur die a paroxysmo libera. Hinc pro ventriculi corroboratione, & cruditatum correctione sumantur quotidie mane ex jusculo de sequenti tinctura in diuturnis febribus specifica guttæ XXX. ℞. *Essent. absinth. agrimon. Elix. propriet. parac. ſ. acido tinct.* ♆ *spir.* ☉☌*ci ana.* ʒj. *M.* Atque ab extra lienis regioni applicetur Emplastrum *de Cicutacum ammon.*

Sique videretur, memoratæ pilulæ adhuc semel iterentur. Et exacte observata interea victus regula uterque constanter convaluit.

Ad certum quinquagenarium hypochondriacum sæpe sæpius ventris corrosionibus, & nocturnis vigiliis tortum pro dando consilio vocatus, dum vidissem, quod ei a Medico suo Ord. frequentissime ad vesperum pilulæ de cynoglossa aliquot granis laud. op. acutatæ concederentur; earundem tam frequentem usum absolute dissuaseram veritus, ne eæ forte successive caput ad apoplexiam disponerent. Quod in eo vero mihi non obsequeretur patiens, utpote ab earum usu semper, uti ipse asserebat, alleviari solitus; ei ultimatim cum suo interitu obtigerat, quod Ego ipsi pridem prædixeram. Sæpe siquidem etiam ea, quæ prodesse videntur, obsunt.

Prosperiore sorte sibi econtra procuratum fuisse per sex hebdomadas frustra desideratum in arthritide vaga somnum, mihi eodem tempore fide dignissimus narraverat certus Soc. JESV pater, charta, in qua multo tempore involutus in officina aromataria asservabatur crocus, capiti obvoluta. Vt adeo non vane suaserit Wedelius apud Friccium in singulari suo tractatu *de virtute Venenorum Medica cap. XXIII. de croco*, crocum sacculo incluſum, & infantum, si qua dormire non possunt, capitibus suppositum, cum admonitione tamen, ut, ne is eis forte nimium soporem inducat, postquam obdormivere, is iterum subtrahatur.

Adjicio rarioris illius affectus, quem ob involuntariam, & juſto copioſiorem crudæ, & facto hauſtui analogæ urinæ profuſionem, Diabetem vocant Medici, ſuccinctam, ſed feliciſſime pernem, Diabetem vocant Medici, ſuccinctam, ſed feliciſſime peractam curationem, Certus in honorifica dignitate conſtitutus 52. annorum Sacerdos, temperamento atrabilarius, & ob plurima negotia, vitamque ſedentariam factus, uti dicitur, hypochondriacus, inter reliqua hypochondriacis familiaria accidentia ſucceſſive demum etiam de urinæ ardore, & multo in urina ſabulo lamentari cœperat. Hinc præter referandis obſtructionibus dicalamentari cœperat. Hinc præter referandis obſtructionibus dicarita plurima remedia etiam abſtergentibus, leniter diureticis, & uritæ acrimoniam obtundentibus uſus eſt, quale præ aliis erat deconæ acrimoniam obtundentibus uſus eſt, quale præ aliis erat decoctum Foreſti, & ſyr. de althæa Fernel. Taceo ſtomachica, & alia, quæ ſubinde ab urgentibus circumſtantiis exigi videbantur. Inde ſublatus quidem fuit moleſtiſſimus ille urinæ ardor, ſublatum etiam cum urina excerni ſolitum ſabulum; verum ejus loco inducta memorata illa involuntaria, & nimia crudæ, & potui colore plane analogæ urinæ profuſio cum ea maraſmodica corporis contabeſcentia, ut venerabilis æger omni prorſus appetentia, & ſomno deſtitutus ſine fine ſitibundus proxime interiturus videretur.

Hinc itum in conſilium, & concluſum, ut poſthac cura tota eo dirigeretur, quo urinæ nimiæ illi profuſioni corporis ſubſtantiam eatenus depaſcenti idoneis remediis occurreretur.

Statutum propterea, ut æger ab omni difficulter digeſtibili abſtineret, vitaret vinum, & ejus loco pro ſiti, quamvis pulſum vix alteratum haberet, biberet jus carnis bubulæ perfrigeratum, & ab omni pinguedine per præviam per pannum lineum colaturam liberatum, ſubinde autem emulſionem amygdalarum dulcium, exhilarato quandoque ſitiente ore cochleari vini cydoniorum, vel granatorum acidorum, quandoque etiam granis ipſis pomorum granatorum. Pro cibo veſceretur juribus caponis, in quibus concuſſus ſit vitellus ovi rec. contuſis,

amyg-

amygdalatis, avenatis, hordeatis, & pultibus ex ovis, & pulpa panis triticei paratis, malis cotoneis &c. ſique poſſet, carne vitulina, caponum, pullorum, avicularumque montanarum. Mane etiam & veſperi aſſumeret bonæ caſtaneæ magnitudinem de hoc ſpecifico:

℞. *Conſerv. roſ. rub.* ℥iij.
rad. ſymphil. maj. ℥ij.
ſpec. diatrog. frig. ℥ß.
coral. rub. præp.
terræ ſigil. ana ℥j. *M.*
cum ſyr. cydon. F. electuarium.

Regionem renum ungeret ungu. roſato refriger. Gal. & Comitiſſæ. Spinam dorſi autem & pectus ungu. reſumptivo. Quibus conſtanter continuatis rediit ſucceſſive tantus appetitus, ut ſibi a cibis vix temperare valuerit. Item ſomnus, vires, & carnium conſumptarum recuperatio ad admirationem.

CONSTITVTIO

Anni 1714.

a

DN. D. MARCO GERBEZIO,

Medico Labacenſi, Labaci in Carniolia obſervata.

SI unquam aliquis annus fuit irregulariter conſtitutus, fuit apud nos Labacenſes annus 1714. cujus conſtitutionem quoad aëris temperiem in præſenti communicamus: excepta ſiquidem ſola hyeme, quæ fuit cum paucis nivibus aquilonia, & per totum tolerantes frigida, & ſicca, totum reliquum ejus reſiduum, Ver videlicet, æſtas & autumnus, excepto Novembri menſe & dimidio Decembris, quorum dies in accepta aëris amœnitate decurrerant, erat meris varietatibus, & veluti quotidianis pluviis ſubjectum. Vnde tot, tantæque aquarum exundationes, ut nec ſata matureſcere, nec gramina defalcari, ſiccarique, nec ſemina opportunis temporibus terræ mandari potuerint; quæque terræ mandata fuere, aut prorſus non adoleverant, in ſemine ſuffocata, aut adulta a meris viciis, zizaniis, & loliis adeo conſpurcabantur, ut uſui eſſe vix potuerint, aut ab uredine aduſta grana effæta, & farina fere deſtituta tulerint. Vnde inſueta annonæ penuria, & propterea præſertim Croatiam verſus, fere communis inter plebejos fames.

Qua ſtante aëris conſtitutione qualiter humana valetudo ſubſtiterit? nemini credo difficile fore conjicere, qui ex Hippocratis *lib. tertio aphor.* & alias novit, qualium tales annorum conſtitutiones ſoleant eſſe feraces corporum indiſpoſitionum; præſertim, ſi is præterea perpenderit, qualem victus rationem in ſimili rerum penuria, & caritate fuerit obſervare neceſſe, & quali, quamve inſalubri qualitate debuere fuiſſe præditi non ſo-

ſolum terræ, verum & arborum, vitiumque fructus, utpote dicta uredine adeo exeſi, aduſtique, ut vix fuerit reperire pyrum, pomumue, vel etiam botrum, qui integer, immaculatus, & connaturali ſuo ſapore præditus fuiſſet: quamvis & talium parciſſimus fuerit quæſtus. Subſtitit videlicet, ſi unquam aliquis, lamentabiliter. Eo, quod ſimiles temporum conſtitutiones, ſoleant eſſe ex Hipp. citato loco, & noſtra *in Chronologia Medica* tradita doctrina, morborum feraciſſimæ.

De hyeme quidem nobis non erat, quod adeo quereremur, utpote quæ utcunque tolerabili ſuo frigore ſiccitateque corpora potius reddebat *firma, agilia, & bene colorata*, adeoque bene valentia, quosque tulerat morbos, eorum ſaltem ſolum accidentalis extitit cauſa; quatenus videlicet humiditates a prægreſſo pluvioſo anno in corporibus noſtris aggregatas altius impreſſerat, coagularat, & a diſcuſſione per inſenſibilem perſpirationem impediverat.

Quod ipſum puta & de Novembri menſe, Decembrisque anteriore dimidio, utpote ſimiliter leni aquilone perflatis, & potiſſimum amœna ſerenitate illuſtratis. Aſt tanto majores querelæ nobis fuere contra Veris, æſtatis, & reliqui autumni (utpote adeo pluvioſorum, ut vix intercurrerit duorum triumve dierum ſerenitas, Solisve illuſtratio, quæ a pluviis, aut ſaltem nubilo cœlo cum plane inſueta aëris aſperitate non fuiſſet interrupta) decurſum: Qui propterea tantis cum ægrotis negotiis nos oneraverat, ut iis expediendis vix ſuffecerimus. Quin imo, poſtquam affinem nobis Styriam ad Judenburgum peſte infectam perceperamus, nobis plane de adhuc deterioribus metuere inceperamus. A quibus tamen præſervavit nos hactenus gratioſum Numen.

Morbi autem, a quibus adeo impetebamur, erant præter omnis generis defluxiones ſimilibus temporum conſtitutioni-

bus ſemper familiares, arthritides, colici dolores, pleuirides, hydropes, febres tam intermittentes, quam continuæ, & ex eis multæ plane malignæ, diarrhœæ, dyſenteriæ, vomitiones, lumbrici, variolæ, morbilli, & rubeolæ: nulli tamen funeſtiores, quam febres petechiales, & præſertim Decembri Menſe variolæ. Quibus propterea etiam multi præſertim Auguſto menſe, & Septembri plane ſuccubuere. Quamvis, qui victus rationem obſervarant, riteque curabantur, potiſſimum reconvaleſcerent.

Singulare quid duobus ſtatribus acciderat: Vtrumque prævio totius corporis rigore febrilis incaleſcentia apprehenderat. Hinc plane intolerabiles lumborum Puncturæ. Deſuper unum petechiæ ſcarlatinæ ſeu purpureæ, alterum petechiæ nigræ, & variolæ puriſſimo ſanguine ſoliti puris loco ſuffuſæ. Et ille tertia morbi die, hic ſeptima inopinate ſuccubuit.

Certa etiam 10. annorum herrula cortice peruviano vix a febre quartana liberata in variolas confluentes denſiſſimas inciderat, quæ ſucceſſive etiam eo perductæ fuere, ut contractis cruſtis inſtantanee abſceſſuræ crederentur, herrulamque priſtinæ valetudini more ſolito reſtituturæ. Aſt ecce quàm inexpectatum fatum! præterquam enim, quod cruſtæ etiam ſæpius oleo amygd. dulcium perunctæ nullatenus receſſiſſent (perſiſtente interea ſemper febre acuta continua, & tuſſicula) ultimatim eæ eo deductæ fuere, ut ſi quam caſu tamen abſcedere accideret, ea poſt ſe ardentiſſimum ulcus absque omni pure relinqueret, usque dum miſerabili herrulæ ultimatim, 21. ſcilicet morbi die, e vita excedere fuerit neceſſe. Vsque adeo de variolis, niſi cum eis & febris, & reliqua accidentia recedant, nunquam venit triumphandum.

Certus Mercator Goritia Labacum cum intenſiſſima & ea continua febri in maximo frigore delatus, de intenſiſſimis & faucium, & artuum doloribus lamentabatur: a quibus demum etiam idoneis remediis liberatus erat. Sed deſuper (perſiſtente ad-

adhuc febre) toto corpore minutis, & denſiſſimis hydatidibus, ſeu veſiculis aqua refertis, adeo fuit perſperſus, ut quis eum undique fervidiſſima aqua fuiſſe perfuſum, peruſtumve citra dubitationem juraſſet. Et non obſtantibus quibuscunque remediis quoque ipſe 18. morbi die obiit.

Certus Lib. Baro econtra usque ad deſperationem aſciticus, dum proxime exſpiraturus crederetur, ſuperveniente tumidiſſimo ſcroto, inflammatione, & abſceſſu, ſponteque evacuatis inde aquis præter omnem expectationem convaluit. Vtque adeo deſperandum nunquam: ſed dum ſpiramus, ſperemus.

Carbonum ſuffocatorum illorum, quibus fabri ferrarii uti conſuevere, vapores eſſe nocentiſſimos, nemo facile eſt, qui neſciat: noxios vero æque eſſe ordinarios illos ab aperto igne combuſtis lignis relictos, non facile credo fuiſſe obſervatum. Accidit tamen, quod elapſo Decembri ex intenſo frigore domum reverſus faber ferrarius ſeptuagenarius, eo quod ſeſe ad talium carbonum ignem excalefeciſſet, in eum ſoporem, cum maximo ſtertore inciderit, ut is ab adſtantibus omnibus pro fortiſſime apoplectico, adeoque ex ſententia Hipp. 2. *aph.* 42. pro omnino deſperato haberetur, ſucceſſive quidem clyſtere acri, frictionibus, ſternutatoriis, veſicantibus, & volatilioribus antiapoplecticis rurſus excitatus, ultimatim vero, decima tertia videlicet morbi die tamen e vivis ſublatus.

Simillimum fatum accidiſſe recordor ante annos Iggenſi ruſtico in noviter calefacto, & non pridem exſtructo fornicato cubili, qui vero libero aëri expoſitus ſeſe tamen rurſus recollegerat. Sed ſeptuagenario illo longe junior erat.

Singularis molis calculum in veſica geſtare absque eo, quod ab eo ſaltem ſubinde urinæ excretio intercipiatur, meo judicio pro raro habendum eſt. Factum id tamen fuiſſe detexerat nobis nuperrime diſſectum corpus noſtri Labacenſis Eccleſiæ Decani. In ejus ſiquidem veſica ad digiti craſſitiem corrugata deprehenſus

sus fuit trium unciarum calculus, qui tamen urinam nunquam intercepisse fuit observatus, quin potius is, postremo præsertim anno, continui urinæ crudissimæ profluvii extitit causa. Sed sciendum venit, calculum hunc ab ægro semper fuisse pro hernia habitum, quem propterea a pluribus annis semper sursum cingulo hernioſis consueto religatum gestabat, impediebatque hoc medio, ne is unquam ad vesicæ orificium devolvi, & urinam omnino præcludere potuerit: quin potius, quatenus totum contractæ vesicæ spacium sua mole occupabat, causa erat, ne a renibus jugiter affluens urina ibidem subsistere potuerit, sed potius veluti guttatim jugiter excerni debuerit. Juvaret propterea quoque forte alias (nisi lithotomiæ remedio periculoso & sæpe impossibili sese subjicere mallent) tali medio uti, ut taliter saltem ab eis alias consueta urinæ præclusione liberi viverent.

MVN-

Illustris Dn. G. G. LEIBNITII,

De

Ætiologia Barometri, occasione n. 3. & 4. appendicis ad Centur. 1. & 2. Ephemeridum novarum Societatis Cæsareæ Naturæ Curiosorum.

BArometrum, quod vocant, Hydrargyro aëris pondus indicans, primus invenit Torricellius, primus Gerikius sub nomine virunculi meteorologi aliquandiu occultatum ad prædictiones mutationum aêris publice adhibuit. Sed cum observaretur aërem, imminente pluvia, leviorem fieri solere; siccum vero & serenum, ponderosiorem ostendi; cum contra tempore ad pluviam vergente, vaporibus aqueis magis oneratus videri posset; problema perplexum varie agitatum est, & inprimis egregii Medici & Naturæ consulti, mihique amici, Ramazzinus & Schelhamerus de ea re inter se contulerunt. Mihi in mentem jam olim venerat, pluvia imminente levari aëris columnam, quod ea guttulas jam jam cadentes, & pluviæ mox materiam præbituras, non amplius sustineret; contra sereno tempore, aquam in minutissimos vapores dilatatam, misceri aëri, nec descendendi aêremve penetrandi vim habere; ac proinde una cum columna a subjecto Mercurio sustentari. Proposui & experimentum, quo ad oculum appareret, gravia solida descendentia in gravi fluido non gravitare in fundum fluido subjectum. Nempe tubus aqua plenus in una parte libræ bilancis suspenditur, & gravi aliquo aquæ innatante, aut aliter in ea suspenso, & tubum vel lancem gravante, totum per pondus in opposita lance ad æquilibrium redigitur: mox eodem gravi in aqua descendente (sive resecto filo sive aqua in cavitatem gravis admissa) levior fit lanx tubi, & pondus oppositum præponderat, donec grave cadens fundum attingat.

Mo.Bot. Garden,
1902.

tingat. Itaque occaſione data ſententiam meam Celeberrimo Ramazzino per literas ſignificavi. Virum acutum, & rationi cedere facilem tetigit meditatio mea, cumque etiam experimentum, adjuvante Cl. Gratiano, ſumſiſſet, laudabili candore publice profeſſus eſt, veritati a ſe manus dari. Sed Antagoniſtæ haud minus celebri nondum ſatisfactum video.

Objicit *primo*, vapores aquoſos natantes in aëre eum premere; at corpus ſuſpenſum ex filo in experimento D. Ramazzini non premere aquam. Sed reſponſio eſt facilis, diſcrimen inde nullum oriri ad rem faciens: ſufficit enim, quod utrobique corpus grave in fluido deſcendens cum eo non gravitet; quod tamen antea gravitabat in lancem oppoſitumque pondus, ſive a filo ſive ab aqua ſuſtentaretur. Objicit *ſecundo*, hac cauſa ſuppoſita Mercurium ergo non deſcenſurum, niſi cum actu pluit: ſed reſpondetur, etſi aqueæ particulæ ab aëre ſeparari & cadere incipiant, non tamen ſtatim ad nos pervenire aut pluviam formare; ſed interdum a vento, in ſuperiore regione aërem agitante, vel alia cauſa diſſipari aut retardari. Objicit *tertio*, Mercurium ſæpe deſcendere & varie mutari, nulla pluvia cadente. Solutio ex præcedenti patet: nam fieri poteſt & ſolet, ut particulæ deſcendere incipientes rurſus ſole vel vento, vel alia cauſa diſſipentur, imo plane alio ferantur, novo aëre ſubſtituto; quod etiam jam notavit Cl. Ramazzinus. Objicit *quarto*, alias magnas mutationes in Barometro notari ex aliis cauſis, verbi gratia, a validis procellis. Hoc concedo, neque enim omnes mutationes ponderis columnæ aëreæ ex hac ſola, quam adduxi, cauſa oriri puto; ſufficit eam ſæpe valere & principali phænomeno (ut jam Dn. Ramazzinus ait) ſatisfacere, cum ſcilicet Mercurii deſcenſus pluviam aut nivem, aſcenſus ſerenitatem nuntiat. Sane ventus vehemens etiam aëris pondus ſuſpendere poteſt, unde jam Gerikius notavit, in magnis tempeſtatibus Mercurium Barometri deſcendere. Sed & aliter mutare venti pondus columnæ aëreæ poſſunt, ex. gr. duo venti ſibi occurrentes aërem interceptum com-

compriment, & reddent denſiorem adeoque graviorem; contra in diverſa tendentes, diſtrahent eundem & reddent rariorem & leviorem; aër autem rarior guttas aqueas minus ſuſtentabit, & ita ex duplici capite levior erit. Harum aliarumque cauſarum interventio facit, ut regulæ prædictionum ex Barometro multas exceptiones patiantur. Objicit tandem *quinto*, Experimentum Ramazzinianum nonnihil differre a meo. Nam ego corpus cavum propoſueram, quod nataret in aqua Tubi, mox aqua repletum in ea mergeretur; Ramazzinus ſuum grave ex filo ſuſpendit, & mox filo reſecto cadere permiſit. Sed reſpondeo primo nullam eſſe rationem differentiæ, ut oſtenſum eſt ad objectionem primam; ſecundo ſi Cl. objector ſumere experimentum digneretur, cavo natante debite ſubſtituto in locum gravis ſuſpenſi ex filo, eosdem eventus reperturum, cum eadem ratio ſubſit. Obiter addo in Epiſtolæ meæ ſecunda linea (p. 95.) vocem *mehercle* eſſe delendam, ex alia credo non bene ſcripta lectaque natam, quæ qualis fuerit nunc non divino.

Dn. D. RVDOLPHI JACOBI CAMERARII

Stationes Barometri ſupremæ & infimæ.

ANNI	1710.		1711.		1712.		1713.	
JANVARIVS.	16	0	19	7	16	4	14	6
FEBRVARIVS.	16	8	14	0	19	6	16	0
MARTIVS.	14	0	15	3	18	0	16	3
APRILIS.	14	2	14	2	14	2	12	2
MAJVS.	16	6	12	4	11	2	16	6
JVNIVS.	14	8	14	6	14	6	13	6
JVLIVS.	14	6	14	5	12	6	12	5
AVGVSTVS.	14	6	11	5	12	8	14	5
SEPTEMBER.	16	6	15	4	14	1	14	7
OCTOBER.	16	3	15	0	14	4	14	1
NOVEMBER.	14	4	14	2	15	0	20	0
DECEMBER.	16	2	20	0	17	1	17	10

SVpplendum erat, quod deeſt Tabulæ Motuum Mercurialium in app. Ephem, ult. p. 77. ſub finem, & continuandum ulterius per decurſum annorum ſequentium, ut pleno conſtet ſchemate de his etiam noſtrorum temporum motibus: Et ne veniret ſolum, una & altera reflexione ſuper id, quod exhibet, videbatur comitandum. Scil. Reverſus ad ſcalæ ſuæ ſummum Perambulanus ille Mercurius phænomenon præbet curioſis non indignum, quod attendant, hinc obſervando & meditando ad ſuam reducant cauſam. Præſuppono, conſtare ſatis ex priore ſchediasmate Perpetui Mobilis alternos aſcenſus & deſcenſus mihi decem minutis palmi romani, vel ſubdividendo viginti ſcalæ gradibus, comprehendi, nec ab ipſo tamen omne hoc ſpatium omnibus annis peragrando abſolvi, ſed eum paucioribus quaſi contentum eſſe uno anno præ altero, adeoque differentiam motus annui ab imo ad ſummum, non ſimpliciter annorum, ſed hujus vel illius anni, non raro decem iſtis minutis eſſe minorem. Ita quidem in meo tubo per aliquot annos ſupremam ſtationem non obſervaveram, nec dubito, ab obſervatoribus curioſis alibi obſervatum fuiſſe idem: Poſtquam igitur poſtliminio quaſi rediit mercurius ad ſcalæ ſummum, ne hoc quidem animadverſione videbatur indignum, quandoquidem de hujus in ſpecie phænomeni ratione, quantum ſcio, necdum ſatis conſtat. Res ipſa ex inſpectione tabulæ ad Januarium & Decembrem 1711. patet; rei ratio ut quæratur, ſcrutabor.

Quatuor potiſſimum ſunt cauſæ, quæ in altum tubi promovent grave mercurii fluidum. Sub libero aëre de jugis montium in depreſſas convalles ſi deferatur barometrum, altius ipſum altiorem aëris cylindrum arguit: Quod ſi vero includatur recipienti, tam ab aëre per acceſſum effluviorum e fermentantibus & effervescentibus quaſi farcto; quam a denſiore per detruſum embolum compreſſo; nec minus ab expanſo per vim caloris & amplius quoque ſpatium prætendente, attollitur. Singula enim hæc diverſa quidem, in hoc tamen tertio conveniunt, ſcilicet in urgendo mercurium, ut in tubo aſcendat, plus, minus, prout illa vis

vis fuerit major vel minor. Jucundum eſt lectu, quo ſtudio, qua veriſimilitudine, phænomeno ſtationum ſcalæ altiorum applicentur quatuor iſtæ cauſæ: Ipſas autem hic non æque proſequar, quæſiturus modo, ſi liceat, Quid ſtipet aërem ſupra Provinciam, vel ſuper quamcunque terræ partem, cui ſubſunt barometra in motibus (quo usque?) correſpondentia; Vti Recipiens Vitreum ſuum concludit aërem. Sed quod intendo, paucis huc redit: Quæ ſit cauſarum iſtarum cauſa? id quidem doceri optarem. Scilicet cur ſit hoc non altero anno ſuprema altitudo? Cur redeat poſt annos, ubi olim fuerat, quo per plures annos non pervenerat, Mercurius? Cur fiant iſtæ cauſæ raro, & quando fiunt, qua de cauſa veniant?

Eſt aliquid, poſſe prædicere, ſub quali aëre poſſit conſpici altus Mercurius: Nempe, poſtquam per obſervationes conſtat, ſub hyberno, rigido, frigido, ſicco, ſerenante euro, euroborea, id fieri; maxime, ſi jam aliquamdiu altus, & decentus per dies, ſuperveniente vi nova quacunque fiat altior. Quisquis vero novit, uti obſervatores non poſſunt non meminiſſe, quam ſæpe vis venti ſtringat fortiter, & gelu ſæviat acriter, nec tamen æque alta, non ſuprema, tunc notetur ſtatio, ille non poterit non ſolicitus eſſe de quærenda cauſa ulteriore. Dicant, qui poterunt, cur e. g. hyems illa ſine pari Mercurium utique elevarit, nec tamen deduxerit ad ſcalæ ſummum? Quod tamen præſtitit dies Decembris 1711. poſt coronationem Caroli VI. Imperatoris Auguſti, (feliciter!) quem probe meminerint multi, non fuiſſe comparandum in frigore cum Januario 1709. Plures regererem inſtantias, ſi explicari ſatis & intelligi poſſent, absque eo ut eatur in rem præſentem, vel obſervationes veſtiantur quaſi ſuis circumſtantiis, quod ſine prolixiore meteororum cum barometro per dies, menſes & annos non poterit fieri collatione. An gelu non tam tubum quam mercurium ſtringendo & denſando altitudini faveat majori, vel minori potius, modo ſeponam: Interim uterque per tot annos ſat bene ſuum facit officium. Sed ad aërem rurſus; favet ipſe gelidus altiori gradui, ſic eſt, non pari tamen

paſſu

paſſu ambulat cum ipſa, modos & gradus habet, adhuc determinandos, quando & quomodo vis illa plagæ ſeptentrionem inter & ortum mediæ tollat plus, minus, teneat aliquandiu, vel brevi remittat, nondum laxato aëre, nedum quieto vento; inprimis quæ ſic efficacem cauſam hoc anno procuret, vel cieat, alio neget; elaterem aëris per annos in tantum enervet, poſt annos reſtituat & intendat? hujusmodi phænomenorum & cauſarum ut ratio eruatur, adhuc allaborandum eſt.

Vanus fuero, ſi hoc prætendam ab illis, qui poſtquam phænomenon ad cauſam, altitudinem ad preſſionem majorem, deduxerunt, quod reliquum, ultra & ſupra eſt, caſui tribuent, ſeque ita expeditos credent. Quid vero aliis ſuppetit, quod conſtans, nec incerto nimis caſui ſubeſt, ut præfici poſſit Atmoſphæræ ad ordinandos mercurii in fiſtula motus. An concedendum Illis, qui ſubjiciunt infera ſuperis? Qui prolixa dederunt Artis ſpecimina, ulterius a meteoris ad barometrum extendere & applicare dignabuntur rogati ſuos planetarum aſpectus, vel quamcunque cœli faciem. De agendi modo, ubi res prius ipſa fuerit expedita, ſoliciti dein erunt ſyſtematis mundani Harmoſtæ. Volebant aliqui nuper notare iſtos ter (pace Copernici) oppoſitos ad belli finem, ita DEVS velit! quos ſub initium conjunctos, cum acceſſu tertii, ſtupuit terra. Qui autem refragantur aſtrologis, quid ipſi ſint excogitaturi pro commovendo globo noſtro ad mutandum aërem ita, ut ad leges quasdam & regulas poſſit reduci, poſthac erit expectandum.

Eſſet adhuc unum & alterum phænomenon collaterale, imo ſub ipſo inſtrumentorum uſu multum eſt ſubinde, quod diſquiri meretur; Verum iſta de ſummo hic ſufficiant, quia paucis de imo ſcalæ videtur etiam aliquid addendum. Exhibet autem ſtationem infimam menſis inter alios October 1711. famoſus ex capite non uno: Notabilis fuit tum in terra ſubtus concuſſio, non quidem quantum mihi conſtat per patriam meam, apud Sarmatas tamen & Gallos, deſuper floridus ſtatus, hoc tantum ſenſu, quod fuerit florum vernalium in campo abunde, circa & poſt

vin-

vindemiam, nobis multo ſed vili muſto ex uvarum minus maturarum putredine infelicem; quin memorabilem autumnum, mutatione in publico a mutata. Iſto tempore ad lapſum Mercurii in aëre mira & inſolita vis ab occaſu ventorum cum largis fuit pluviis, ita tamen, ut & noctu Luna & Sol die altero alternarent cum nubibus fugacibus; imo ut ſera fulgura & tonitrua poſt paucos dies audirentur noctu, ſed cum barometro jam non humili, verum circa ſextum gradum conſpicuo: memorabili exemplo, meteororum turbulentorum eorundem vel ſimilium cum gradu tamen ſcalæ non eodem, ſed per caſus bene vario. Denique menſis ille forſan notabilis etiam in cœlo, ubi ſecunda vice Marti jungebatur Venus; hinc ſtationaria, retrogreſſura, cum ſemiſextis Keplerianis non inefficacibus conjunctorum ſolis & Mercurii. Tunc humile adeo ac raro alias barometrum; tunc etiam invaluit, quæ a prima cœpit in ſcorpio, dira vaccarum lues; quam cum ſtupore legent poſteri. At, quam triſtis per eosdem annos humano quoque generi Peſtis! Occaſione cujus incidit, quod ad prius quidem de altiore ſtatione ſpectaret, prætenſum alicubi phænomenon; Quaſi ſolito altius fuerit obſervatum peſtilenti tempore & loco barometrum. Ego inſolitam ab æſtate in autumnum per iſtos annos peſte alibi graves altitudinem in tabulis non video; propriam loco cuicunque laboranti mihi dubiam pluribus obſervationibus determinandam relinquo.

Eram pro clauſula his additurus quædam de Hyeme præcoce Novembris, & ſera Martii, ac Aprilis, niſi aurem vellicaret Stoicus, talium in ep. 23. 67. parum curioſus, ut, quibus eadem forte mens eſt, moleſtus ultra eſſe deſinam: Interim benevolæ Obſervatoris & Contemplatoris cujuscunque Epicriſi lubens iſta ſubmittens.

)o(

MVN-

MVNGOS
ANIMALCVLVM
ET
RADIX
DESCRIPTA
A
MICH. FRID. LOCHNERO,
S. CAES. MAIEST. ARCHIATRO EIVS.
QVE PERSONAE IMPERIALIS MEDICO, S. R. I.
NOBILI, AVLAE CAESAREAE PALATIIQVE LATERA-
NENS. ET CONSISTORII IMPERIALIS COMITE, ACA-
DEMIAE LEOPOLDINO - CAROLINAE NAT. CVRIOS.
EPHEMERIDVM DIRECTORE, REIPVBL. NORI-
BERG. MEDICO SENIORE.

NORIBERGAE,
Sumptibus WOLFGANGI MICHAHELLES,
Typis Jo. ERNESTI ADELBVLNERI.
ANNO M DCC XV.

MUSEUM
ANATOMICUM
ET
RADIX
DESCRIPTA

INter myriades calamitatum, quarum gravitate tarditatem ſuppliciorum luxuriae noſtrae compenſare ſolet, lento quidem gradu ad vindictam procedens ira Divinae Majeſtatis, (quippe, Seneca teſte,

Solet Ira certis Numinum oſtendi notis;)

Purpura quaedam maligna, in Vrbe hac noſtra patria hactenus graſſari coepit, ad eum tandem provecta malignitatis gradum, ut a Lue illa, quam πυρφόρον Θεὸν vocavit Sophocles in Oedipo, ſymptomatum diritate et truculentia vix differat.

Hoc malum non adeo ſenſere, nec adhuc ſentiunt ſervitia et ſine nomine vulgus; ſed potius quibus largae ſuppetunt facultates, et propitiore fortuna opes pro voto affluunt; non cadaveroſi ſenes aut decrepitae aniculae, ſed potiſſimum e ſequiori ſexu puerperae, in florentiſſima aetate conſtitutae, virginesque μέναυδραι, ut eas Athenaeus Dipnoſ. Libr. IV. nominat, nominisque rationem exponit ejusdem eruditiſſimus commentator,

Cui caſa dat nomen bona, quae caſa continet omnes
Cum Phoebo Muſas, totumque Helicona,

Animadverſ. in Ath. p. 194. ſcilicet, quae ſunt annis plenae maturitatis, et ad patiendum geſtientes, ut facete nequitiarum diſertus Arbiter Petronius in Satyra jocatur.

Cum ex parte contraria ſexus virilis infrequentius hoc malo infeſtetur, aut ſuccumbat. Succubuere tamen, quos inter Collega deſideratiſſimus Wurfbeinius Junior, qui pro ſalute aegrorum purpurae amoliendae vitam ipſam mancipavit, et ante Parentem, nunc caelitibus pariter adſcriptum, defloruit, ac morte ſua illud Ovidianum Met. l. 7. fab. 26. confirmavit, in

---- ipſos ſaeva medentes
Erumpit clades, obſuntque auctoribus artes.

Eſt tamen ut plurimum malum παλιμβόλον, quod prae ſe ſaepius levamentum fert, ſed interius malignitatem occultat, ut Palladius Sophiſt. notat. in 6. Epidem. comm. 15. hocque ipſo lui non diſſimilis Atticae, cujus Thucydides meminit, et quam eruditiſſimo commentario illuſtravit Cl. Fab. Paulinus: κρεῖσσον λόγῳ τὸ εἶδος τῆς νόσου, τάτ' ἄλλῳ χαλεπώτερος ἢ κατὰ τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν, *genus morbi majus, quam ratione comprehendi, & in aliis rebus acerbius, quam humana natura ſuſtineri poſſit.*

Apparet enim in principio quieta lues, tacitoque progreſſu incrementa paſſim accipit, raro ſymptomatibus validis ſtatim affligit, ut aegrotos ſaepius, medentes, adſtantesque decipiat. In inſidiis quippe occulta latet, et e Medici ſi non incuria, mora tamen levidenſi, novis actutum aucta viribus, vires acquirit, ut immania atque vitae noſtrae infenſiſſima ſymptomata produant;

Qualia non Capaneus, non audax Amphiaraus
Sperneret, in verſo nec Moenas torva corymbo:

quae curandi peritiae obicem ponunt, eamque intervertunt, imo aegrum pro! dolor peſſundant, inque cenſum Libitinae referunt.

Abſtineo ab ulteriori mali hujus delineatione, in aliam differenda occaſionem: nec diſquiro anxie, an priſcis plane ignotum?

ignotum fuerit, vel Patrum noſtrorum memoria demum cognitum? cum Hippocratis noſtri, e Celſi elogio, omnis Medicinae Parentis, τρηχίσματα, aſpretudines miliaceae, ac ἐξαντήματα οἷα τὰ τῶν χωνώπων δήγματα, et rubra illa ἐπανθίσματα, ab illo deſcripta ſatis evincant, veteſtioribus Medicis artisque noſtrae Principibus innotuiſſe; ſed et quod in aliis morbis fieri aſſolet, aliquando deſiiſſe ſeque ſubduxiſſe, longa vero annorum peracta ſerie rurſus productum fuiſſe, ut quod de Siphilide immortalis gloriae Fracaſtorius canit, huic quoque Purpurae applicare liceat:

Non ſemel in terris viſam, ſed ſaepe fuiſſe
Dicendum eſt, quamvis nobis nec nomine nota
Hactenus illa fuit. Quoniam longaeva vetuſtas
Cuncta ſitu involvens, et res et nomina delet,
Nec monumenta Patrum ſeri videre nepotes.

Sic Ebn-Sinae tempore malum hoc recruduiſſe videtur, ſub nomine *Bothor* expreſſum; nec *Tabardillo* Hiſpanorum, cujus Valleſius meminit, a purpura hac noſtra multum differre credo.

Hoc certiſſime affirmare auſim, circa praxeos meae initia ante triginta paene annos, dilectiſſimae noſtrae patriae hanc Purpurae ſpeciem plane fuiſſe incognitam, utpote quae petechialibus Hungaricis, olim malignitate quoque infenſiſſimis, ſucceſſerit, Lipſienſibus nomine Purpurae Puerperarum, deß Frieſels/notiſſima, ab illisque peculiaribus diſſertationibus deſcripta.

Quamprimum hic morbus noſtris innotuit, aedes vix ullas praeteriit, ſine omni malignitatis nota, ut ſimulata lenitate expers gravioris mali videretur; ſequentibus annis rarior quidem, malignior tamen apparuit, ut quos nunc arripit, plerosque, non tamen omnes,

Auferat atra dies et funere mergat acerbo.

Hinc vana utplurimum et irrita medicorum in hoc conamina, ut inefficacia deprehendamus remedia, quae effectus alias suos (ut Soldurii milites apud Caesar. Libr. 3. Comment. de bell. Gall.) nobis probarunt, adeoque

-- musset tacito Medicina dolore.

Visum nonnullis, hanc purpurarum tragicam malignitatem et letalitatem a visceris, vel partis etiam solidae, inflammatione deducere ortum, id quod Anatome practica confirmat; neque absolute id negandum: cum tamen sola sanguinis omnimoda corruptio, et seri acrimonia quodammodo corrosiva, ad homines e medio tollendos per purpuram hanc sufficiat, nil opus est, ad partium viscerumque inflammationes confugere, nisi luculentissimi testes hoc nos edoceant.

Interim Purpurae hujus truculentia adeo hominum civiumque mentes invasit, ut crederent, morbum hunc omnis eludere remedii efficaciam sylvamque caeduam alexiteriorum omnium non sufficere huic debellando hosti; id quod jam olim Philosophus Poëta libr. VI. de Rer. Natur. expressit:

Aerumnabile erat, quod ubi se quisque videbat
Implicitum morbo, morte damnatus ut esset,
Deficiens animo maesto cum corde jacebat
Funera respectans, animam et mittebat ibidem,
Idque vel inprimis cumulabat funere funus.

At postquam nonnullae hac lue correptae, inque orci faucibus constitutae aegrae restitutae essent, gratiosissimae arti debitus redire incipit honos, et cognoscunt, divinitus quidem tanquam autoramenta peccatorum nostrorum, immitti hanc purpuram; sed coelesti auxilio quoque curari posse.

Inprimis tanquam Θεῶν χεῖρας in hoc morbo experti sumus nonnulla noviter in officinas nostras introducta exotica, quae inter

ter *ſerpentaria Virginiana*, Pulverem Bezoardicum Anglicum Comitiſſae de Kent ingrediens; *Pedra Cordial* ſive *Lapis Bezoar de Goa*, et pretioſa licet, efficaciſſima tamen, Radix *Ninzin* ſive *Genſeng*, ſiſarum nempe montanum Coraeenſe, radice non tuberoſa, ut alia alexiteria praeteream, quibus omnibus in averruncanda hac malignioris Purpurae ſpecie illud inſcribendum, quod M. Varro Libr. X. Rer. div. qui erat de diis ſelectis, ajebat: HOMINIS EST HOC OPINARI, DEI SCIRE.

Interim dum Medicorum eſt, *ut acrius omnes*

Incumbant generis lapſi ſarcire ruinas,

quaeſita undique remedia ad expugnationem hoſtis vaferrimi, ſollicitataque commercio literario aliena experientia, de qua fama retulit, in Belgio ex Indiis allatam repertu dari radicem, quae primo morbi maligni acceſſu, et priusquam vires acquirat eundo, exhibita, eum aliquando penitus auferat, crebrius tamen in intermittentem febrem minus periculoſam convertat et terminet. Expoſui hunc rumorem, aegris noſtris adeo ſalutarem, ſolertiſſimo Pharmacopoeorum noſtrorum Dn. Dieterico, qui de aegris optime merendi ſtudioſiſſimus,

contraque minantia fata

Pervigil,

nullis in conquirendis iis, quae aegris ſolatio poſſunt eſſe, parcit ſumtibus; ambo tamen in expiſcando hoc alexicaco remedio extitimus aeque infelices, cum nemini tale equidem innotuerit, in votis potius et rumore, quam re ipſa reperiundum.

Non tamen plane inutile fuit ſcrutinium noſtrum et remedii tam generoſi conquiſitio, cum Dn. D. Falckius Tilſita Boruſſus, hanc tranſiens urbem, Dietericianamque invitens Pharmacopoeam, radicis ex Indiis per Chirurgum allatae meminerit, qua in debellandis malignis uteretur feliciſſime: Audito hoc ſtatim ad amicos Amſtelodamenſes literis Dietericus inquirit in hanc radicem,

cem, neque deſtitit priusquam laudatum adeo obtinuiſſet alexiterium; voti et remedii compos, alacritate conſueta mihi Pharmacopolium viſitanti oſtendit, et ſi quid de radice hac, *Mongus* dicta, mihi conſtaret, ut ſecum communicarem, inſtantiſſime petiit.

Amici juſtiſſimis obtemperaturus precibus, quicquid de hac radice collegeram, eruo, cumque altum apud omnes, qui de materia medica ſcripſerunt, de novo hoc exotico ſilentium deprehendiſſem, in gloriam optimi Creatoris, et Proximi emolumentum, ut publici juris facerem, a viro amiciſſimo me exorare paſſus ſum, ſpe firma fretus, fore alios, in amoeniſſimo naturali ſtudio longe perſpicaciores, impoſterum altiore concepta conſilio hac de radice manumiſſuros, defectumque hunc meum ſuppleturos.

Antequam vero operi me accingam, radicem *Mungos* diſtinguimus ab Avicennae *Meiſce*, ſive Plempii *Mâsj* comment. in Canon. Medic. Abuali Ibn-Tſina Lib. II. Tract. II. p. 200. (vel uti ab Arabicae linguae peritiſſimis *Mex* vel *Max* effertur,) quod *Mungo* quoque ab Orientalibus vocari, teſtatur Garcias ab Orto, fortaſſe lingua ſua Luſitanica, uti credit Cl. Plempius Lib. 2. c. 21. licet et hoc averruncandis febribus deſtinatum: Sic enim modo laudatus Auctor: *Eſt* MVNGO *ſemen viride, quod per maturitatem fit nigrum Coriandri ſicci magnitudine, pabulum eſt equorum, interdum etiam ab hominibus editur. Guzuratae & Decan incolae in* febribus *hoc modo utuntur. Febricitans cibo abſtinet per decem, nonnunquam per quindecim dies: poſt quos hujus fructus decoctum illi propinatur, in quo nonnihil pulpae remanſerit: deinde cortice delibratum Mungo, & inſtar oryzae coctum febricitanti exhibent, panem vero triticeum, non niſi poſt multos dies. Naſci etiam ferunt hoc Mungo in Palaeſtina.*

Poſt Garciam optime, uti ſolet, hujus ſeminis, (apud orientales frequenter elixi et butyro conditi, cibi loco in delitiis habiti) et Plantae ſub nomine *Mungo*, ſive *Phaſeoli orthocaulis*, de-

descriptionem exhibuit, oculisque expositit Fabius Columna Lynceus, spectata generis nobilitate & doctrina maxime conspicuus, qui e Jo. Fabri elogio, eo ingenii sui acumine processit, ut genuinae Theophrasti ac Dioscoridis insistens menti, innumeras ab aliis perperam nominatas plantas, speciei, loco, ac nitori suo restituerit, in Not, et Addit. ad Histor. rer. medicar. Nov. Hispan. Nard. Anton. Recchi p. m. 887. Cl. Plempius l. c. Pisi speciem esse contendit. Maximus Salmasius in Homonym. Hyl. Jatric. c. 78. plurima de *Bunco*, *Bungo* et *Mungo* habet, operoseque probare nititur, *Meisce* sive *Mex* Avicennae differre a Mungos Garciae ab Orto. Fructum quoque *Mangostam* hodoeporicorum scriptores nonnulli corrupte *Mongos* nominant, de cujus fructus deliciis Cl. Bontius Hist. nat. et Medic. Ind. orient. Lib. VI. c. 28. canit:

Cedant Hesperii longe hinc mala aurea fructus,
Ambrosia pascit Mangostam et Nectare Divos.

Nihil tamen vel Phaseolo orthocauli vel fructui Mangostan cum radice nostra *Mungos* commune, quae nomen ab Animalculo ejusdem nominis obtinuit. Nec enim operam omnino lusero, nec me labor iste gravabit, si ab intimiori Animalculi hujus descriptione, de cujus nomine radicis nomen fluxit, quaedam praemittam.

Vocatur autem a Lusitanis *Mungo*, Batavis *Muncos*; in Catal. Exoticor. in Ambulacro Horti Acad. Lugdun. Batav. conspiciendorum. *Mungathia Zeylon.* aliis *Mongutia*, hinc radix quoque *Mungos* et *Mongus* audit. Garciae ab Orto in Arom. et Simplic. Medicam. Histor. Lib. IV. cap. 44. *Quil* vel *Quirpele* vocatur. Exhibet sciuri figuram, eo tamen paulo major, et gestibus tardior, pilis ornatur glaucis in cauda longioribus, ex atro ad decorem interpunctis. Mus. Leyd. Catal. modo citatus n. 18. *Viverram Indicam gryseam*, mox n. 19. e *gryseo ruffescentem* declarat, ut hoc ipso illam *Mongutiam* a *Quirpele* distinguere

videatur Excell. Rajus in Synopſ. Method. Animal. quadruped. p. 197. ſeq. notatus ideo a Celeb. Kaempfero,

Quem non lucri maleſana cupido
Compulit, aut fulva pretioſum littus arena,
Ire per Auroraе thalamos Solisque cubile;
Humani ſed amor generis, ſtudiumque juvandi,

in elegantiſſimis et omni eruditione ſcatentibus Amoenit. Exotic. in peregrinationibus per univerſam Orientem collectis, Faſcic. III. Obſervat. X. p. 574.

Domi alita haec *Mongutia* facile manſueſcit; hinc Cl. Kaempferus ipſe Mongutiam nutrivit, quae cum illo dormivit, et caniculae inſtar domeſticae per urbem et campos ipſum ſecuta eſt. Sicut et genus ſylveſtris muſtelae *Quauhtenzo* praelonga cauda, fuſci pili molliſſimique, mitiſſimum animal, ad cognitos et domeſticos accedit, illosque comitatur, cujus meminit Fernandez Hiſtor. Quadruped. nov. Hiſpan. T. I. cap. XXVII. p. 9. et Nieremberg. Hiſtor. Natur. Libr. IX. c. 31. p. 171.

Ex hactenus allatis concluderem, animalculum hoc idem vel certe ſimile eſſe *Sciuro Getulo Caji*, Anglice *de Barbary ſquirrel* dicto, quippe Mungos inſtar Sciuri cauda umbram facit: unde ex Graeco σκιὰ umbra, & οὐρὰ cauda, nomen trahit. Vel muſtelae illi Libycae, quam γαλῆν λιβυκὴν nominat Cluſius, et Exot. Lib. V. cap. XVII. p. 112. delineandam ſculpendamque curavit, et modo citatus Nierembergius. Hiſtor. Natur. Libr. IX. cap. 32. ex Cluſio intulit. Nullumque mirum ſciuro aſſimilari, cum Sciuri olim muſtelarum accenſerentur generi, et hodie adhuc ſciuri noſtrates, Germanice **Eychhermelin** / ſive *muſtelae quercuum* nominentur, quos poſtea corrupte **Eychhörnlein** dixere. Nam aliquae Germanae provinciae, teſte Jo. Fabro Bambergenſi Academico Lynceo, muſtelam domeſticam *Hermelin* vocant, Italice *Donnola*, Cremonenſibus *Benola*, quod ex Arabico *Belula* detortum vult Sylvaticus, teſte Cl. Laur. Legato in Muſeo Coſpian. Libr. I. cap. 6. p. 23. Hinc *Armelini* muſtelae illae omni nive candidiores, excepta caudae extremitate, quae nigra ſemper reperitur. Vid. Fabri Expoſit. in Animal. Novae Hiſpaniae Nard. Ant. Recchi p. 885.

Vi-

Videtur pariter Mongutia persimilis *Cacamitzli* Fernandez Hist. quadr. T. I. cap. XL. p. 12. vel sciuro Indico *Surikatjes* dicto, a Neuhofio in de Zee en Land-Reize door versheide Gewesten van Ost-Indien p. 294. descripto. Nec dubium ullum, Animalculum *Mungs* sive *Mings* et *Minx*, a D. Lawson in Carolinae descriptione, dictum, a vocabulo Mungos detortum et contractum esse, cum reliqua, quae de hoc Animalculo viverraeaemulo referuntur, aptissime in Monguthiam quadrent; nec sciurus ille Indicus in serpentis caudisonae rictum se praecipitans, cujus p. 244. meminit, aliud quid, quam pugnam Monguthiae cum serpente innuere videtur.

Nec abludit multum Animalculum Sinense domesticum *Sum-Xu*, ad felem minorem accedens, nigri et subinde crocei coloris pilos habens, quod Sinenses cicurant, collumque aureo circumdant cingulo, eoque delectantur maxime, cum murium sit avidissimus venator, teste Rev. Patr. Athanas. Kircher. Chin. Illustr. P. IV. cap. VII. p. 194.

Sic *Quirpelen* sive *Monguthiam* in India quoque alere solent ad glires muresque exstirpandos, quos acerrime prosequuntur, e Garciae testimonio loc. cit. indicio certe evidenti e mustelarum genere esse, quae capitales murium hostes, de quarum innato odio Plinius jam olim retulit, modico cerebri mustelini coagulo immixto, mures a caseis arceri, et mustelae cinere sparso eosdem fugari. Vt adeo majorem mustela utilitatem rusticis in frumentorum horreis, quam cati, praestet, cum mures, glires imo et talpas voret, quod nitidissimus Hortorum scriptor Ferrarius in Flora sua retulit. Hinc Carolus Figulus ob id mustelae nomen fecit ex Μῦς i. e. Mus, et ϛέλλω surripio, quasi *mustela fur* sit *murium*: quamvis Vossius vocem *tela*, voculae *muris* productionem credat. Vid. Excell. Charlton Exercit. de Different. et Nominib. Animal. p. 20. Si cuivis in re obscura conjectura licet uti, Goropiano more a Germanica Lingua totam vocabuli essentiam et genuinam significationem derivari posse, credit modo laudatus Jo. Faber l. c. Mus enim Latinis, idem Germanis

animal eadem voce **Maus** aliquibus signat, **stehlen** furari significat. Vtramque si vocem in unam *mustelae* contrahas, habebis murium furem, quae huic essentialis proprietas. Haec Faber.

Quod hactenus de muribus, gliribus, talpis, hoc de cuniculis monet illustr. Willugbeius, quos e meatibus subterraneis et foraminibus expellunt mustelae sylvestres, Anglis *thes Ferrets*, Belgis *Frett* dictae: his enim *Mongutias* sive *Quirpeles* aequiparat

Eoum nobis qui dat Linscotius *orbem.*

Libr. IV. Itiner. cap. 31. cum Not. Cl. Paludani, et Reverendus Dn. Phil. Baldaeus, Verb. div. Minist. in Regn. Jafnapatnam Insulae Ceylon in accuratiori littoris Malabarici, Coromandel et Zeylon descriptione p. . . . . Vti enim mustelae sylvestres in cuniculorum venatione ad illorum foramina dimissae, dum cuniculos unguibus scalpunt, eos exire cogunt, sic et Mongutiae, naturae quasi instinctu et sponte, serpentes, ubicunque locorum invenerint, venantur cum illisque congrediuntur. Hinc in Catalog. Leydens. vocatur *animal omnium serpentum generibus inimicissimum.*

Nutriunt igitur Quirpeles domi, ut cum serpentibus inibi obviis praelientur, quod a felibus quoque fieri Cl. Bontius testatur; imprimis cum illo serpentum genere, quod coronatum seu diademate insignitum creditur, et hinc *Regulorum* nomen obtinuit. Vocantur et *viperae pileatae*, Gallis, teste Tavernerio, *serpents au Chaperons*, Lusitanis *Cobras de los Capellos*, quos nonnulli quasi pilis capillisque instructos interpretantur, quod tamen absurdum, cum id nominis obtinuerint, quod in superiori capitis parte veluti tegmen quoddam habeant, instar plani pilei, quod et, prout concitatur, surgit versatile, ex relatione R. P. Kircheri Chin. illustr. qui insuper annotavit, in inferiori maxilla SS. literam natura esse insculptam, licet incognitum, cui usui. In Act. Anglic. Philos. Mens. Jan. 1668. corrupte vocantur *caprae capellae.*

A Cey-

A Ceylanenſibus hoc ſerpentum genus *Noya* vocatur, teſte Rob. Knox dans la Relation ou Voyage de Ceylon P. I. chap. VII. p. 74. Laceſſitum hoc ſerpentum genus peculiare habet, quod utroque cervicis latere cutem inflare, ut in orbem planum ſive compreſſum, inſtar alae vel vittae, extendere ſoleat. Vitta illa in dorſo exactiſſimam imaginem exhibet conſpicilli albido colore delineati, cujus orbiculi, in expanſa utrinque vitta, et quae hos connectit arcus, in ipſo capite expreſſi ſunt. Cl. Bontius Not. in Garc. ab Orto ſcribit, ſimiles eſſe bullis illis, quales Indicae ranæ paluſtres coaxantes in temporibus attollunt, quae bullae coronae ſpeciem Auctoribus fecere.

Suppeditat haec vipera celebres illos lapides, *Pedras de Cobras* dictos, quos tamen Generos. Thevenotius et Tavernier, terris multum jactati et undis, artificiales eſſe credunt, a Brachmanibus illos plerunque vendentibus compoſitos, non deſumtos e ſerpentum capitibus. Conſule poſt alios plurimos de his lapidibus excell. Rajum Synopſ. Animal. quadruped. et ſerpent. Gener. p. 318. Kircher. Chin. illuſtr. Blancard. Collect. Med. Phyſ. Cent. I. n. 16 p. 26. et Cent. III. obſ. 95. p. 288. Imprimis autem Excell. Menzelium, digniſſimi qui Patris veſtigia calcat, Dec. II. Ann. IX. obſerv. 76. qui rigoroſum horum lapidum inſtituit examen.

Hos ſerpentes pileatos ſive Regulos, *Noya Rodgerah* Ceylanice dictos, ſecundum Knoxium circumferre ſolent religioſi quidam gentilium, ſeu potius circumforanei, ſtipem horum ſerpentum geſticulationibus emendicantes: hinc *Viperae Indicae geſticulariae* nomen huic ſerpenti inditum in Catal. Muſ. Leyd.

Religioſos hos ophiuchos *Jogves*, *Goegis*, *Gioghi* et *Sjoges* in India nominant, nec diſcrepant ab illis, qui apud Arabes *Fakir* audiunt, conſtituuntque Braminenſium ſectam viliorem. Quatuor quippe Neuhofius recenſet, vocanturque primi generis *Cenravvaghi*, ſecundi *Samaroth*, tertii *Biſnoth*, quarti *Jogves* vel *Sjoges*, quos Kircherus *Eremicolas Idololatras* interpretatur. Omnes religioſorum horum ordines ſanctitatem affectant, precarium exercentes quaeſtum, dumque cineribus ſe aſpergunt,

vaccinoque ſtercore corpus jam ſordidiſſimum uberius inquinant, tam peſtilentis putoris effluvia exhalant, ut prae illis cloacae omnes latrinaeque balſamum ſpirare videantur.

Stupenda hac ſorditie apud ſtultiſſimam plebeculam venerationem ſanctimoniae et venantur, et revera accipiunt. Mulierculae imprimis ſordidos hos myſtas omni dignantur honore, usque adeo, ut eorum membra, mephitim certe exhalantia, et quae pudor nominare prohibet, et oſculentur & alia committant turpiſſima dictu, apud modo laudatum Neuhofium fuſius recenſita. Videantur quoque de his Sjogis Dn. Bernier Voyag. contenant la deſcription des Etats du grand Mogul . . . et Andertſen et Siverſen Itiner. a Cl. Oleario edita Libr. IV. p. 205. ſeq. aliique, quos pagina vix capit.

Ex hac ultima Fanaticorum ſecta nonnulli omnes percurrunt regiones, et circulatorum more has conſpicillo inſignitas viperas ſecum geſtant, quas demulcere, orique colloque aptare ſolent. Revocant hoc ipſo nobis in memoriam, matronas iſtas Romanas, quibus Dracones fuere in deliciis, et quarum meminit Martialis Libr. VIII. Epigr. 86:

Si gelidam collo nectit Glacilla Draconem.

Hinc ſtatuae paſſim obviae matronarum, ſerpentes foventium, quas collegit margaritum illud Auguſtae Vindelicorum et Germaniae noſtrae, ſolertiſſimus Welſchius (quo elogio illuſtrem Welſerum Pignorius mactare ſolebat) in Tract. de Vena Medinenſ. p. 447.

Has dum innoxie ſic tractant Indici ophiuchi viperas, plebeculae perſuadere conantur, eas ſe incantaſſe, ne nocere queant, radiculaeque portiuncula velamento femoris illigata cicures reddidiſſe; quamvis neget Knoxius pileatas has viperas ſive Noyas eſſe noxias; contrarium tamen experientia edoctus probat Cl. Bontius Not. in Garc. ab Orto cap. 45. Spectatoribus, qui ad geſticulationes et tripudia harum viperarum ab Jogys illis inſtituta concur-

currunt, radiculas praedictas venales obtrudunt, nec quenquam facile salientem viperam accedere patiuntur, nisi emta particula munitum, quam tamen non integram exhibent, sed in particulas, ne noscatur, uncialis longitudinis divisas, quas sapore et externa facie Sarsaparillae similes, paulo tamen crassiores judicat Excell. Kaempferus.

Postquam hanc radiculam dextra sua incluſit religiosus circulator, Viperam e vase in terram excutit, et bacillo vel obverso quem muniverat, pugno, leviter irritat. Haec repente ad offendentem conversa, imae innitens caudae, corpus procerum erigit, vittas iracundiae indices in orbem expandit, et rutilantibus oculis, sibilante sono vibrat subinde linguam, apertis faucibus caninorum dentium letiferam aciem monstrat, tremula tamen timidaque in magistri pugnum intenta. Tum ille cantilenam, et secundum Jo. Hug. Linschotanum et Neuhofium, musica quoque instrumenta modulari incipiens, pugnum nudum varie et ad mensuram quodammodo a dextra ad sinistram et viceversa, nonnunquam sursum deorsumque movet. Anguis in magistri pugnum oculis defixus, motum illum, quocunque vergit, capite totoque corpore lepide imitatur, ita ut caput ad duarum spithamarum distantiam (immota cauda) huc atque illuc, a dextra ad sinistram vertat, et hocipso speciem quandam tripudii exhibeat, horae octavam partem durantis. Tanto enim temporis spacio vipera exerceri potest, antequam fatigetur, et erecti situs motusque pertaesa effugiat. Ejus igitur lassitudinem fugamque ut antevertat circulator, mature cantum abrumpit; quo ipso simul vipera humum demittit corpus et saltare desinit, stipem sive mercedem a circumstantibus petente, et in ollam viperas recondente sacrificulo mendicante. Haec post Linschotanum, Langhansium Neuhofiumque multo fusius accuratiusque Excell. Kaempferus, qui et assuefactionis et exercitationis viperarum, venenique privandi modum pariter descripsit; nec enim longiori esse, pluraque exscribere mihi animus: digniſſima interim sunt, quae legantur.

Haec

Haec, quae hactenus de Indicorum circulatorum cum pileatis viperis gesticulatione et lusu recensuimus, Draconis refricant memoriam, quem *Cocconas* Byzantinus, et *Alexander* Abonoteichita, corradendis pro Æsculapio nummis circumducebant, aut etiam pro Apolline ipso tanquam e tripode responsa quaerentibus daturum, apud Lucianum in Pseudomante; cujus vestigia in nummo Antonini Pii ΑΒΩΝΟΤΕΙΧΕΙΤΩΝ Paphlagoniae adhuc supersunt, cum serpente peculiare caput habente, et sese erigente, adjuncto nomine ΓΛΥΚΩΝ, cujus nummi pariter mentio apud Excell. Valentium de Numm. Graecis p. 40. Edit. in Fol.

Tripudiantes Indicas viperas ex Acostae testimonio cum Monguriis, de quibus hactenus sermo, committere solent; quotiescunque autem animalcula haec ex internecino et innato quasi odio cum serpentibus congrediuntur, radicem postea, ab illis *Mongus* et *Mungos* dictam, praemorderi referunt. Praemorsa radice pedibus anterioribus saliva consperfis, caput primum, deinde corpus reliquum sibi demulcere, postea serpentem aggredi, nec illum, donec occiderit, dimittere. Haec Garcias ab Orto. Addunt alii, si contingat morderi Mongutias serpentis astutia roboreve victum, relicto hoste pro alexipharmaco hanc quaerere radicem, ejusq; esu illico restitutam certamen redintegrare, id quod αὐτόπτης Marcellus de Boschower, (qui ob fortia in India patrata facta, Principis de Migonne titulum obtinuit,) Dn. Baldaeo retulit.

Sed hactenus relata in dubium vocare videtur Cl. Kaempferus, fidem rei indigenis relinquens; cum hoc tantum de Mongutia exploratum habuerit, a vipera morsam, vel lucta fatigatam, dimisso victore e palaestra in campum excurrere, et obvias depascere herbarum radiculas, mox pastu, ut opinatur, refectam, rursus comparere ad certamen, cum hoste, si adhuc adsit, redintegrandum. Alunt enim Mongutia sive Muncos rura calentis Asiae omnis, usque ad Gangem etiam in iis regionibus, in quibus haec radix, de qua nobis sermo, nunquam germinat.

Id

Id quod animo lubentiſſimo accipimus: firmant enim viri hujus in hoc ſtudiorum genere expertiſſimi opinionem, Jo. Hugo Linſcotanus, Garcias ab Orto, Baldaeus et Herbertus de Jaeger, Cl. Kaempferi elogio attentiſſimus in Oriente Botanicus, vir inter philoſophos et gymnoſophiſtas eximiae auctoritatis, qui de radice ligni Colubrini illud memorant, quod de radice Mungos vulgo narratur. Eſt autem illa ligni Colubrini officinarum amara radix, cujus modo citati Auctores meminere, non ex arbore *Caniram*, quae in Hort. Malab. T. I. p. 67. deſcribitur, et nucem illam vomicam officinarum profert; ſed ex alia arboris hujus, minus tamen cognita ſpecie, nempe, Arboris cajusdam Tymorenſis, Nuces vomicas quidem ferentis, triplo tamen minores vulgaribus, et fructu integro Nucis moſchatae magnitudinem vix excedentibus. In Prodr. Paradiſ. Batav. Cl. Dn. Paul. Hermanni vocatur haec arbor, *Nux vomica minor Moluccana, lignum Colubrinum officinarum ſuppeditans.* Figuram ejus elegantiſſime aeri inciſam invenies in eruditiſſima Dn. D. Seuteri Diſſert. de Nuce vomica Lugd. Batav. habita. Forte hujus quoque fructus ſemina ſunt, quorum uſus per biennium continuatus efficit, ſumto ſcilicet unico ſingulis diebus, ne morſum inferant et ictus viperae pileatae, ſive *Cobras de Capelos*, ſupra a nobis deſcriptae; quamvis vim hanc alexiteriam vomicae Nucis officinarum ſeminibus tribuant Illuſtris Horti Malabar. Auctor loc. cit. et Neuhofius.

Interim haec, quae hactenus de Mongutia in conquirendo ſibi contra ſerpentis morſus alexipharmaco retulimus, revocant in memoriam alia animalia, quae plurimis plantis pro uſu medico exoptatiſſimo indagandis anſam dedere,

- - ſuumque illis nomen tribuere, hominesque
Vſum naturae nutu docuere, docentque.

Sic de *muſtelis* Peripatus libr. 9. Hiſt. Anim. c 6. teſtatur, illas acuto praeditas ingenio, inde colligendum eſſe, quoniam cum

ſerpentibus praeliaturae, ruta prius ſe muniant, deinde audacter pugnam aggredientes palmam reportent. Addit Jacob. Vitriac. in Hiſtor. Orientis, omnes quidem ſerpentes, et Baſiliſcum quoque a Muſtela interimi, cum hoc tamen diſcrimine, ut Baſiliſco interemto ipſa etiam pereat. Vid. plurima huc facientia apud Guilelm. van den Boſſche Hiſtor. medic. de Animal. Natur. L. II. c. 47.

Quae ſi vera forent, nemo certe miretur, Indicam hanc muſtelam, Mongutiam, radice pariter Mongus devorata, vulneri per ſerpentes illatum abigere venenum, virusque depellere, adductum et mentem Poëtae:

Parva loquor, quin bruta etiam rapit impetus artis
Phoebeae ad ſeſe ratione carentia, ſolo
Naturae motu & ſolo utilitatis amore.
Vis divina adeo id decus atque ea gloria in arte
Spectatur, qua brutae etiam ad ſe pellicit ultro;
Vt duce natura tantum cognoſcere vires
Plantarum valeant, hominemque ſubinde docere.

Aſiatici igitur, ut ad Virtutem radicis Mongus pariter deflectat calamus, et inprimis, teſte Excellent. Kaempfero, qui Sumatram Javamque incolunt, ſive uſum a muſtela edocti ſint, ſive caſu quodam invenerint, radicem pro explorato habent antidoto, ſive venenum extrinſecus illatum, ſive intrinſecus aſſumtum fuerit.

Vocatur Planta radicis Malaice *Hampadaru-Tanah* a Cl. Kaempfero, ab Herberto de Jaeger vero Epiſtol. ad Georg. Eberhard Rumphium Muſeo Mul. Excellent. Valentin. annexis, et quidem Epiſtol. VI. *Hampaddoe Tanah*, pauco diſcrimine. Si Malaicam hanc vocem latine interpretari animus, *Fel terrae* ſignifi-

gnificat, a ſapore amariſſimo omnium fere partium, praeſertim radicis, quae immenſam bilis amaritiem exhibet. Sic Dracontium quoque Auctor Gloſſarii Veteris *Fel Terrae* vocavit, reprehenſus ideo a Cl. Rhodio, Danorum eruditiſſimo, Not. in Scrib. Larg. compoſ. 227.

Eſt autem amarities radicis noſtrae non adeo taedioſa ac illa, quae in *Pudravvali* deprehenditur.

Deſignatur hoc nomine Pudrawali Planta ſcandens humique repens, tantaeque amaritudinis, ut Javae Incolae extremis vix tangere digitis audeant, cum ſaepius iterata manuum lotione vix ſeparari queat: hinc nullius in Medicina uſus, ceu hoc refert Cl. Rumphius ad Herbert. de Jaeger Epiſt. 7. p. 45.

Memorat modo laudatus Collega noſter, in Moluccis, Amboina et Tymor, arbuſculam marini et quidem petroſi ſaxeique littoris accolam repertu dari, tantae pariter amaritatis (Vitruviana haec vocula,) ut in ſcriptis Botanicis, a ſe congeſtis, hanc ob cauſam *Regem Amaroris* nominaverit. Vocatur Malaice *Bonhati*, a Ternatenſibus *Soulamu*, quaſi *Amaroris Ducem* dixeris. Fructibus eſt viridibus planisque ſimilibus corculis, foliis oblongis ingentibus, flore ad *Goelogtsjmetjoe* accedente. Fructum radicisque fruſtum miſit Herberto de Jaeger, annexo hoc joco, ut certamine cum Rege hoc Amaroris noſtro *Hampadda-Tanah* ſive *Mungos*, et *Pudravvali* inſtituto, uſu exploretur, quis triſti amaritie vincat. Quod ſi Rex amaroris occubuerit, nil referre regerit, cum miles quidem exiſtat Amboinenſis, Ducis tamen inſignitus titulo, maximi apud Moluccarum Inſularum Incolas nominis, quo in debellandis ſumme rebellibus morbis, imprimis ad averruncanda animalium venena utuntur.

Virtute hac alexicaca optime convenit cum *Hampadda-Tanah*, de qua nobis ſermo, licet in plurimis aliis differat, et circa Radicis Mungos veram matrem maxime inter ſe diſſentiant Cl. Rumphius et Cl. Kaempferus. Prior enim eam *Clematitem Indicam foliis Perſicae fructu Periclymeni Bauhini* credit, et cum Herberto de Jaeger in duas diſpeſcit ſpecies, colore flo-

rum distinctas, rubro nempe et albo, quae ultima species optima censetur, cum gentiles in Coromandelensi tractu viventes, florum albedini semper primatum tribuant.

Jam supra innuimus, hos in Historia naturali Indica duumviros Monguriae, opem medicam contra serpentis ictus quaerentis, salutem in radice arboris, lignum Colubrinum proferentis, posuisse: cum igitur Clematites haec fructu periclymeni flore rubro allegetur, et constet insuper, primam speciem ligni hujus a Garcia ab Orto productam, esse Plantam fruticosam, quam in Horto Fageliano in Vico Leidenhorstiano, milliare circiter Lugd. Batav. distante, vigentem sub nomine *Periclymeni Zeylanici herbacei foliis variegatis diversicoloribus maculis ornatis* deprehendit Cl. Seuterus in laudata jam de Nuce Vomica Dissert. eandemque esse credit ac Cl. Breynii Prodr. 2. Periclymenon Sinense variegatum, flore sanguineo amplo, et Thjudamaram Horti Malabarici; nullum dubium supereſt, radicis Mungos natales, in hac quaesiviſſe forte planta.

Maxime tamen ab his dissentit Cl. Kaempferus, et aliam luculentam nobis radicis hujus promit descriptionem. Dolent autem mecum omnes, qui physica studia amant, Cl. Rumphii in Historia naturali expertissimi, Academiae nostrae quondam Plinii Indici, monumenta literaria intercidisse; pauca enim hucusque, Museo excepto, viderunt lucem, caetera, quae inter Hortus Amboinicus, a Cl. Kaempfero laudatus, injuria Reipublicae literariae, suppressa jacent, quod si exstaret opus Plantarum Rumphianum absolutissimum certe, ad conciliationem sententiarum inservientia nonnulla supperterent.

Interim hoc destituti Thesauro, radicis Mungos descriptionem mutuemur ex Cl. Kaempferi Amoenitatibus exoticis, firma spe lactati, viri hujus laboriosissimi Historiam Asiaticam non modo affectam, sed jam paene confectam, DEO volente propediem prodituram, qua plurima in Democriti pureo delitescentia, in dias luminis auras producet vir incomparabilis, seculi nostri Decus, Peregrinatorum gloria. Hic enim

De-

Doctor adeſt, aperitque libens, quod maximus olim
Neſciit Hippocrates; non ipſe Epidaurius Heros
Phoebigenaeque duo.

Creſcit autem ex ejus relatione Planta radicis, cui ab ama- "
ritie Indi, a viverra Luſitani, nomen dedere, in Java, Ceylana et "
Sumatra Inſula, fortaſſis, uti opinatur, in aliis regionibus. Al- "
titudine ſurgit pedali & longiori, faciem eminus conſpecta exhi "
bens Centaurii minoris. Radix illi una eſt & ſimplex, ſpitha- "
mam longa, digiti craſſitie, crebro vagoque flexu intorta; Cor- "
tice firmiter adnata, fungoſa, rufa, rugoſa, ſubſtantia lignoſa, "
dura, fibrarum exorte & fragili, coloris albidi, ſaporis amariſſi- "
mi, inſtar Gentianae, ſed ſubtilioris, & haud aeque ingrati. Cau- "
le aſſurgit recto, tenui, aequali, ramulis raris, alterne adverſis, "
quos folia ornant pari ordine diſpoſita, rariora, anguſta, longi- "
tudinis uncialis, figurae lanceatae, ſtylis ſingulis ex ſurculorum "
axillis in duarum vel trium digitorum transverſorum longitudi- "
nem exſurgentibus, tenuibus, deciduis inſiſtunt Floſculi circi- "
ter quinquaginta, plures, pauciores praeparvi, in plures faſcicu- "
los digeſti, et in umbellam tantillam, quam ungue obumbres, "
conglobati, pulchre rubentes: qui per microſcopium cogno- "
ſcuntur nudi, tubulati, extremitate in quinas et ſenas lacinias "
diviſa. Areſcente floſculo ex umbilico ejus ſemen minutiſſimo "
pediculo protruditur, in aliis geminum, i. e. e duobus ſeminibus "
ad baſes concretum, faſtigiis divaricatis, in aliis ſimplex et unum "
inaequalis rotunditatis, et ex quadantenus compreſſo utcun- "
que turbinatum, oſſeum ſeminis coriandri magnitudine, cute "
veſtitum carnoſa adnata, per ſiccitatem rugoſa, coloris promi- "
ſcue vel nigricantis, vel ex viridi pallentis."

Hucusque Excell. Kaempferus, cui tanto lubentius ſubſcri-
bimus, cum artis ſaluberrimae ſit peritiſſimus, ac avtopſia haec et
alia

alia exacte adeo didicerit, ut juste ac merito plurimis praeferendus Auctoribus aliis, qui

--- Sapiunt alieno ex ore petuntque
Res ex auditis potius quam sensibus ipsis.

Et certe quae de radice memorat, apte his, quas apud sedulitate praecellentem Pharmacopoeum Dietericum manibus tractare licuit, conveniunt; sunt enim digiti saepius minoris crassitie, crebro vagoque flexu intortae, ut

--- Sinuoso volumine multo
Serpentes referant.

Exprimit sic externa radicis Mongus figura, id quod de ligno Colubrino meminit Acosta, dum ait: Tantam habet lignum hoc cum Colubro similitudinem, ut qui non norit, aut de die viderit, sed ad lunae splendorem noctu conspiciat, vivum colubrum esse existimet. Vid. quoque Cl. Paludanus Not. in Linschot. Libr. IV. cap. 31.

Cortex firmiter alias adnatus, fungosus, rufus, rugosus, a nostris propemodum abrasus ablatusque. Quoad internam substantiam lignosa radix, dura, fibrarum exors et fragilis, coloris albidi, saporis intense amaricantis instar Gentianae, sed subtilioris et haud adeo ingrati, et hinc quoque majoris et penetrantioris efficaciae; ideoque quoad saporem et alexipharmacam virtutem radices arboris *Pilipoc* aemulatur apud Nieremberg. Hist. Natur. L. IX. p. 338.

Retulimus jam, Indis radicem hanc explorati antidoti loco esse, sive venenum extrinsecus illatum, sive intrinsecus assumptum fuerita Serpentibus. Hinc radicem hanc Mungos dicendam jure Serpentariam quoque reor,

Serpentinam hoc nomine vero.
- - - - - - Quod radix morsibus anguis
Atque venenosis aliis ferat ictibus almas
Suppetias.

Illud enim praestat, quod de Radice ex Anglia, notha ipsi sub nomine vernaculo *Snaqroel* transmissa, praedicat Cl. Cornutus de Plantis Canadensibus pag. 115. et Virginiae ille Encomiastes, ibi natus et hanc pariter inhabitans provinciam, Libr. II. cap. IV. p. 196. dans l'Histoire de la Virginie, ubi radicem contra venenum serpentis caudisonae ad coelum usque extollit, a serpentaria tamen Virginiana distinguit; vocanda igitur erit nostra ad differentiam Americanarum *serpentina Asiatica Mungos.* Confer huc, quae de Dictamno Virginiano habent Act. Philos. Anglic. Mens. Maji 1668.

Maximam tamen radix haec nominis famam sibi acquisivit a vi illa alexipharmaca et stupenda plane, quam in destruendo exitiali illo viru Macassarico, ullo vix alio remedio superabili exhibet,

Ac fert praesentem numinis instar opem.

Celebes Insula est Indiae Orientalis, quae ex Aquilone in Africum perpetuo tractu leucas prope ducentas excurrit, atque, ut aliae ferme vicinae, plura in regna dividitur, teste Reverendissimo Patr. Maffejo e Societ. Jes. Histor. Indic. L. X. p. m. 201. Inter haec Celebes Insulae regna Macassarense, a metropoli sic dictum, eminet, cujus Rex male ab Auctore Part. IX. Itiner. Orient. Indiae a Fratribus de Bry editis, Rex in *Madegascar* pro *Macassar* dicitur. Hi Macassarenses populi apud plerosque hodoeporicorum scriptores ob venenata arma spiculaque pessime audiunt, quibus sauciati sine ulla mora fato perfunguntur, partibus laesis

in

in putredinem resolutis. Id quod de Brasilianis quoque testatur Piso Hist. Nat. et Med. Libr. I. p. 14.

Audiamus de Macassarensibus Excell. Bontium, Medicum quondam Bataviae in Java majori primarium, Histor. natur. et Medic. Ind. Orient. L. V. cap. 28. p. m. 85.

„ Si aliquis vel leviter laesus ad simplicem sanguinis miss. „sionem, vel in extrema calce, nutabundus statim, tanquam „ebrius, in terram mortuus concidit; sed et carnes intra dimi„diae horae spatium a septico hoc veneno, ita computrescent, „ut tanquam mucus a subjectis ossibus manu avelli queant, et „quod mirere magis, sit, e. gr. aliquis in femore vel altius laesus „superficialiter a telo alio, veneno non intincto, et sanguis eti„amnum calidus in subjectos pedes defluens tangatur simpliciter „hisce venenatis telis, ocyor Euro aura pestilens vulnus versus „ascendet, eademque celeritate et modo hominem e vivis ra„piet. Haec non sunt nugae, sed oculata hoc confirmavit ex„perientia. Haec Bontius. Sunt autem spicula ista, e relatione scriptoris Part. VIII. Itiner. Orient. Ind. Fratr. de Bry, e piscium spinis confecta; (quippe Maffejo supra laudato teste Hist. Indic. Libr. VIII. p. 166. *ad fabriles usus Macassarenses spinis piscium pro ferramentis utuntur*) Neuhofius tamen tela illa deleteria accuratius examinans refert, pedalis ut plurimum longitudinis, ex arundine scissa, apice e dentibus piscium subtilissima, toxico illo lethali imbuta impraegnataque esse.

Arbor venenum illud suppeditans indigenis Ipu, Javanis Malaisque Vpa dicitur, et a Neuhofio arbori, caryophyllos ferenti, quoad proceritatem ac folia assimilatur. Crescit secundum Excell. Kaempferum in abditis sylvarum Insulae Celebes locis, praesertim in provincia Turasia; Neuhofius in IV. minoribus Insulis, Macassarensibus vicinis, et a populo *Bougis* Belgis *Bokjes* dicto inhabitatis, veneniferas has arbores pariter repertu dari narrat. Tavernerius Voyag. d'Ind. Livr. III. pag. 19. ex Insula Borneo afferri hoc Venenum credit.

Triplex dicitur arboris varietas vel ſpecies, ſolius ſucci malignitate majori vel minori differens. Sic Tangaracarum ſive Plantarum deteſtabilium, quod facultate ſingulari deleteria polleant, tres quoque ſpecies recenſet Clar. *Piſo* Hiſt. nat. et Med. L. V. c. 17. p. 301. ſeqq. Colligendi modum accurate, more ſolito, recenſuit Celeb. Kaempferus, quo Ben. Lect. remittimus. Dum effluit e vulnerato arboris cortice virus, lactei pinguisque ſucci aemulum, non ſine evidentiſſimo vitae periculo colligitur, hinc plerumque morti ob patrata facinora adjudicatis, ejus collectio committitur, qui adverſo vento arboris corticem vulnerant, manantem exinde ſuccum longis arundinibus excipiunt, ac extra vulneris arborei viroſam exhalationem in vado conſtituti vaſi vitreo, ſed caute pariter infundunt ac obturant, et hoc vitae ſuae λύτρον Regi offerunt. Confer quoque de veneno per odorem lethifero in Orientali India, quae habent Act. Phil. Anglic. Menſ. Mart. 1666.

Hunc ſolum veri ſecreti conſcium credidit Tavernerius, tragico hoc exemplo Angli, a Rege Macaſſarenſi ope lethalis hujus teli interfecti, confirmans, licet non omnia in Tavernerii volumine contenta avthentica eſſe, ab ejus Amico Generoſo Dn. de Brueil per epiſtolam Alepo Syriae exaratam, Excell. quondam Faber Heilbronnenſium Podalirius monitus fuerit, uti patet ex Ann. IX. Dec. II. Append. p. 413. id quod ab Auctore Libri Gallici, l'Eſprit de Mr. Arnaud, (Rev. *Jurii* foetum credunt,) pariter factum, qui ſubleſtae fidei Tavernerii narrata nonnulla pronuntiat, additque, Gallum *Chapuzeau* dictum, calamum concinnando Itinerario commodaſſe, cum Tavernerius, poſtea Baro d'Aubonne vocatus, ante iter in Indias ſuſceptum, Nobili cuidam vel Germano vel Vngaro, a camerae ſervitiis extiterit.

Vegetabili hoc veneno poſtea lanceas ſuas, pugiones, imprimis autem tela, quorum jam aliquoties mentio facta, imbu-

unt Macaſſarenſes, et hoc non ex arcu, ſed per tenues arundinaceos tubulos, (even gelyk man en Holland, ſcribit Neuhofius, met ronde proppen van potaerde uyt ſpatten na het gevogelt ſpat, i. e. Sicuti in Belgio globulis argillaceis, per tubulos ejectis, aviculis inhiant) oris flatu explodunt in hoſtes, hinc a Belgis *de Macaſſerſe vergiffige ſpatters* vocantur, graphiceque a Neuhofio aeri inciſi exhibentur. Tavernier modum hunc tela emittendi gallice exprimit, *avec une Sarbatane*. Th. Herbertus Anglus in Itinerar. verſionis Belgicae L. V. Lamberti van Boſch *Sempitane* vocat.

Contra lethalia veneno hoc inflicta vulnera, omnis olim in *homerda*, ſtatim et in copia aſſumpta, ſalutis ſpes poſita erat, Vid. Act. Phil. Anglic. Menſ. Mart. A. 1666. ut vomitu exinde per nauſeam enormi excitato virus corpori illatum deſtrueretur et illuderetur, licet non ſemper optatiſſimus ſordidiſſimo et abominando huic remedio effectus ſucceſſerit. Tandem revelatis alterius pharmaci a Macaſſarenſibus olim arte nulla, quam cruciatu extorquenda erat, quae radicis noſtrae Mongus ſive Mungos uſum patefecit. Indorum quippe Medici, Idiotae licet, et nullis literis tincti; eximii tamen ſunt Botanici, facilique negotio omnis generis medicamina ex undiquaque in ſylvis conquiſitis conficiunt. Quae ſtupenda ſagacitate interne et externe illos adhibere videas, praecipue in morbis a veneno natis. Teſtatur quoque Cl. Piſo, tanquam oculatus teſtis, in caſtris membra militum, jamjam ab Europaeis Chirurgis amputanda, Barbaros recentibus, Gummi, ſuccis et balſamis a ferro et igne liberaſſe et feliciter reſtituiſſe; imo moribundos ex venenatorum fungorum eſu, aliorumque *toxicorum noxa*, ſolo potu Infuſi radicis Jaborandi in inſtanti a letho vindicatos, Piſone aliisque Galeni nepotibus haud parum pudore ſuffuſis, poſt tot Alexipharmacorum et Theriacalium Antidotorum irritos conatus. Haec ingenue confitetur Cl. Piſo Hiſtor. Natur. et Medic. Braſil. l. 2. p. 24.

Aſſu-

Aſſumitur autem radix Mungos cum ad praeſervationem, tum ad curationem, ab inferendo vel jam illato veneno, drachmae unius vel dimidiae pondere, cum hauſtu aquae dulcis vel cujusvis liquoris, ſive rudi frictione ſuper lapidem, ſive cultiori modo in pulverem redacta: nec inconſultum ajunt, ipſi loco affecto pultem e pulvere radicis noſtrae cum ſputo vel aqua factam impo-nere.

Latius fuſiusque haec a citatis hactenus Auctoribus de Veneno Macaſſarenſi ejusque antidoto ſpecifica Mongus ſive Mungos tractata, in compendiolum a nobis redacta ſunt, evolvenda ab iis, qui plura hac de materia ſcire deſiderant. Forte nonnulla quoque rarioris commatis hauriendа, e Tractatu Gallice inſcripto, Relatión du Royaume de Macaſſar; nec enim libellus jam nobis ad manus.

Propter hactenus recenſitas alexiterias radicis hujus contra ſerpentum, ac Macaſſarenſe furiale venenum, multis ſucceſſibus infallibilem virtutem expertus eſt adverſus canis rabidi morſum in brutis aeque ac hominibus Cl. Kaempferus, imprimis ſi miſceatur cum celeberrimo illo pulvere contra morſum rabidorum, quem in Tr. de Venenis L. 3. c. 19. ſuppeditavit Poncettus,

Purpurei columen Coetus, ſacrique Senatus
Gloria, & Heſperii lucida gemma Soli.

Et quod caput rei eſt, radice hac, (cujus e Java copiam ſecum aſportavit vir hic χαριέσατος) in febribus putridis morbisque malignis redux in patriam feliciſſime utitur.

Hanc virorum in Indiis Celeberrimorum de viribus radicis Mungos praemonitus experientia, quam nunc Excellent. Kaempferus in Germania pariter feliciſſimo ſucceſſu toties confirmavit, Amſterodamique fama quotidie adhuc comprobat, conſilium cepi, ut duce analogiſmo, in purpura illa valde maligna,

cujus in diſſertatiunculae hujus fronte mentio injecta, radicem pariter hanc exhiberem, ad malum illud pertinaciſſimum averruncandum.

Nec ſpes me fefellit, cum pluribus ad ultima ſalutis detruſis radix utilis admodum extiterit ac ſalutaris, virtute ſua balſamica ſulphureo ſalina alcalina, aptiſſima ad maſſam ſanguineam liberandam a miaſmate illo virulento, interitum corpori noſtro minitante.

Exhibui autem vel ſolam vel aliis medicamentis alexipharmacis, ad morbi malignitates per poros eliminandas immixtam. Factum tamen in nonnullis, ad vomendum pronioribus, et gravato nimium ac peccante materie ventriculo, ut cum euphoria et optimo ſucceſſu vomitus produxerit, natura modulum agentis exterioris eludente, uti notum eſt, alia Bezoardica quoque, quae inter ſerpentaria Virginiana, imo Acoſta teſte contrajerva ipſa, nonnunquam vomitum provocaſſe. Criticus hic vomitus et ſalutaris confirmat, Excell. Schelhammeri effatum ejusdem veritatis eſſe, ac *magni Charta Galeni, ac Coi celebris ſcripta verenda ſenis.* Sic enim Machaon ille Cimbriae: Vomitoria ſaepius diritati malignorum in principio exhibita obicem ponunt, praeſertim ſi cardialgia, oris amaror, incarcerati in ventriculo flatus, ructuum cauſae, aliaque non ſuadere tantum, ſed poſtulare videntur. Quod commode Ipecacoancha fieri poterit, remedio quodammodo alexipharmaco, teſte Piſone Hiſtor. Natural et Medic. Braſil. Libr. V. c. VI. p. 233. et 303. Edit. ſec. quo partes illas venenatas ſtomacho inflammationem minitantes eliminare eamque antevertere licet. Rarius tamen vomitus radicis hujus effectus, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ſudor.

Repetitis autem vicibus, non ſemel aut bis exhibenda, ſed generoſo hoc remedio aſſidue, nec minus fortiter pugnandum, ac milites in anguſtias redactis copiis, adverſus truculentiſſimi hoſtis aciem conſueverunt. Accenſenda enim haec radix Mungo-

gos non illis levioribus ac mitioribus diaphoreticis, quae neque obſtinatiſſimum a miaſmate in malignioribus morbis productum coagulum reſolvere, nec particulas involutas promovere poſſunt, ſed illis potius, quae potentius incidunt, ac in arctius contractas mali cohortes irruunt.

Solam in pulvere exhibui ad drachmam ſemis vel ſcrupulos duos in aqua appropriata vel Thee regio *de bou* dicto, Herb. ſcord. Rad. Scorz. montan. et contrajerv. mixto.

Sed puto vix paucis triſtem arridere ſaporem,
Eheu, quam paucos Juppiter aequus amat!

Effectus tamen ſalutaris et dulcis, a radicis amarore proveniens, huic obviam ibit nauſeae. Minime omnium ſapor hic aliquantulum ingratus Medicum deterreat, quo minus aegris hoc remedium commendet et imperet: medicorum quippe, Galeno noſtro ſic ſentiente, adulatorum eſt, cubantis delitiis ſtatim ſubſcribentium, ejusque voluptatem non ſanitatem pro meta gerendarum habentium Libr. 12. Meth. med. cap. 1.

Optimum ſenſi radicis hujus effectum, dum felici mihi eſſe licuit, ut ingruente morbo illam ſtatim exhiberem. Datur quippe aegrotorum cohors, cui *Suada* nulla, quamvis maxima olim Athenienſium Dea, arbitratu Themiſtoclis apud Herodotum Libr. 8. conſuadere poteſt, ut Medicum tempori accerſat, id quod fere communiſſimum Patriae noſtrae vitium, ut rariſſime primo morbi acceſſu, plerumque ubi numeroſis prius conquiſitis remediis ex empiricis phaleratis, Exteſticulatoribus vaniloquis vetulis lotio-phyſicis, et quibus non! ſero et jam provecto morbo medicum accedat, quaſi vitae mortisque arbitrum, qui fata jam morituri pro arbitrio diſpenſare valeat, ut verbis eruditiſſimi Medici juſtiſſimas querelas exponamus noſtras, cum in hoc caſu pro! dolor nimis verum experiamur, quod Corn. Tacitus

citus L. V. Annal. ajebat: *Brevibus momentis ſumma verti poſſe.*

Quod ſi miaſma malignum, quoad maximam partem Radicis hujus in principio ſtatim exhibitae uſu everſum, perque corporis ſpiracula, cutis nempe poros, remotum, ſuccedant huic radici leniora diaphoretica, ne nimium ſudoribus ſolliciten-tur aegri, corpusque madore nimio exſolutum fatigetur, ad-eoque cum lympha ſimul vitam eduxiſſe Medicus videatur, ac de illo jure dici poſſit, quod de Vindicta Marii et Syllae Pharſalicorum eruditiſſimus Vates Lucanus Lib. 2. quere-batur:

Ille quod exiguum reſtabat ſanguinis urbi,
Hauſit, dumque nimis jam putida membra
reſcidit
Exceſſit medicina modum, nimiumque ſecu-
ta eſt,
Qua morbi duxere manus.

Nec etiam opus, ſolam ſemper per ſe exhibere radicem Mongus, quippe cum alexipharmacorum varium habeamus delectum, ſuo quisque arbitrio, ut res poſtulaverit, quae volet accipere et huic radici adjungere poteſt.

Suppeditavit nobis India jam ab aliquot annis *il Piedra cordial*, ſive lapidem Bezoar, a loco, in quo hactenus a Pl. Re-verend. Patr. Soc. Jeſ. Caſpar. Antonio componitur, de Goa di-ctum. Figurae eſt vel ovatae, vel rotundae, coloris intus cine-rei, extus nigricantis ſplendens, maculisque aureis diſtinctus. Hunc pariter R. P. Nicolaus Momitius praeparat, literis N. M. in ſuperficie impreſſis dignoſcendum. Deſcriptiones hujus la-

pidis

pidis variae exſtant, quarum optima in Pharmac. Fulleriana et dans le Traité des maladies les plus frequentes, et des remedes ſpecifique pour les querir etc, par Mr. Helvetius p. 139. Vires e Luſitanica lingua in Belgicam transtulit, et Muſeo Amboinenſi, elegantiſſimo operi, inſeruit Nobiliſſ. Rumphius Libr. III. Artic. 86. pag. 338.

Ad hujus imitationem globulos, illorum de Goa aemulos, apud diligentiſſimum Dn. Dietericum formandos curavi, quibus malignae purpurae

- - - - duros avertere caſus,
Parcarumque colos tardare & lubrica penſa,

ſaepius licuit; quorum deſcriptionem, ne proximi emolumentis ullo modo deeſſe videar, heic publici juris facio; praeſertim cum nunc compoſitionem radix haec noſtra Mungos quoque ingrediatur.

℞. *Rad. Mongus*
Angel. Afric.
Serpent. Virgin.
Contrajerv. ana ℥j.
Pulv. e typh. Cerv. Zuvoelf. ℈jv.
Chel. 69. marin.
Corn. capr. Bezoard.
Alc. phil. praep. ana ℈ß.
Spin. viper. ∃j. *M. F. Pulvis ſubtiliſſ. ſuper* Porphyrit. laevigandus et probe miſcendus, cui poſtea adde Gelat. Viper. et Vnicorn. ver. q. ſ. ut inde formari poſſint globuli, foliis auri obducendi et caute ſiccandi, poſtea ferro laevigandi.

Differunt quidem quoad ingredientia ab illis globulis, quos nobis Goa mittit: conſtant enim hi e lapidibus pretioſis, margaritis, coralliis, Bezoar Orientali aliisque, quorum loco noſtros alexipharmaca potius ingrediuntur, debellandae purpurae malignae

ali-

aliisque febribus peſſimi moris deſtinatos. Ambram Moſchumque in Indicis exſtantem, omiſimus, ne ſequiori ſexui incommoda haud contemnenda pariat; et loco Aquae roſarum pro maſſa humectanda, fl. Tunicae, vel meliſſae ſubſtituenda.

In Infuſo quoque radix Mongus felici exhibetur conamine. Piſonis hic obſervatio, quam Hiſtor. Braſil. Natur. et Medic. L. II. p. 25. de Infuſo habet, meretur certe attentionem. Luſitanos nempe et Braſilianos, medicamenti nativi Infuſum raro igni, ſed aëri et rori nocturno verſus Orientem exponere. Vnde frigidiuſcula aura ſubtiliſſimusque ros vicem correctoris attenuatione ſua probet, dum medicamenti acrioris et calidioris vires moderatur. Sed climatum certe hoc in caſu habenda ratio.

Vlteriore laude radicem noſtram Mongus extollerem; ſed vereor, ne quis auribus meis illud inſuſurret, quod Catonis tempore de Braſſica nimium laudata a Satyrico dictum legitur: *Braſſica dia Catonis.* Plura et certiora cum DEO et die de remedii hujus efficacia viribusque edoctus, impoſterum libenter ſuppeditaturus.

Dn.

DN. D. ALARDI MAVRITII EGGERDES,

Sereniſſimi Ducis Supremi Magiſterii in Pruſſia Adminiſtratoris, Ord. Teuton. magni Magiſtri Conſiliarii & Archiatri, nec non in Sileſia Protophyſici, Academici Naturae Curioſi,

APHORISMI,

Peſtis eſſentiam, ejusque cauſam, nec non infallibilem ea mtam avertendi, quam extinguendi methodum continentes.

PRÆFATIO.

SIcut non omnes, qui de rebus ſcripſerunt, ſcribendi finem, qui eſt utilitas in veritate fundata, attigerunt; ita pauci, vel verius loquendo adhuc nulli, quantum quidem conſtat, talia de peſte ſcripſerunt, quæ firmo veritatis fundamento undequaque innituntur. Neminem enim adhuc legi Auctorem, qui luem hanc recte perfecteque definiverit, minus, qui eandem curare potuerit. Quod certe alia ex cauſa provenire non potuit, quam quod ejusdem natura, eſſentia, veraque cauſa ignorata fuerint. Cum itaque per continuos ſeptem annorum labores, quibus Sileſia noſtra ab hac lue quotannis ex Polonia, & hoc ultimo etiam ex Bohemia, plurimos, graviſſimosque inſultus, quos tamen plerosque feliciter repreſſimus, perpeſſa ſit, talem notitiam acquiſiviſſe mihi videar, qua non ſolum immanem hanc luem perfecte noſcere, & definire, ſed etiam eandem infallibiliter depellere & ſuffocare didicerim. Non ſolum ex ratione officii mei, quod me publicæ ſalutis commodo adſtringit, ſed ex ipſa etiam conſcientia mea me ad hoc teneri judico, ut hanc de peſte acquiſitam notitiam, eamque depellendi, extinguendique metho-

dum non prolixo orationis filo, ſed ſuccincto, & Aphoriſtico verborum ſtylo luci publicæ, & æquiſſimo Candidiſſimorum Acad. Leopold. Nat. Curioſorum judicio exponerem. Faxit Medicus altiſſimus, ut hoc ad publicæ ſalutis, quae jam ubique immaniter pernicioſa hac lue diſcerpitur, reparationem vergat.

Aphoriſmus primus.

Peſtis eſt intoxicatio hominis facta a veneno contagioſo, plurimis, quos apprehendit, exitiali.

II.

Venenum hoc contagioſum a priori eſt incognitum, a poſteriori tamen & ab effectibus evidenter cognoſcitur.

III.

Actio hujus veneni in corpore humano ſemper eſt univoca, maturatio nempe materiæ morboſæ, ejusque in actum deductio; unde morbus, qui poſt tempora prius in homine eventurus erat, poſt ſuſceptum venenum peſtilentiale ſubito producitur.

IV.

Illos morbos producit, ad quos aliquis apparatus morboſus, ſive parvus ſive magnus ille ſit, in corpore humano præexiſtit.

V.

Tempore peſtis omnes iſtos morbos fieri neceſſe eſt, ad quos homines, qui veneno peſtilentiali inficiuntur, habent diſpoſitionem.

VI.

Actio hujus veneni ſemper modificatur a diſpoſitione ſubjecti. Producit enim in illo Apoplexiam, quod inclinat ad Apoplexiam, quod ad Epilepſiam, Epilepſiam; quod ad pleuritidem, pleuritidem, & ſic de omnibus aliis morbis loquendo.

VII.

VII.

Homines perfecte ſani, nullumque apparatum morboſum in ſe habentes, non facile ab hoc veneno inficiuntur, ſed illud innoxie in veſtibus & cute circumferunt. Si autem ſubitaneo terrore concutiantur, aut gravi mœrore afficiantur, ſtatim in ipſos venenum, quod ſecum portant, agit: Solent tamen hi morbum plerumque ſuperare.

VIII.

Vnde tres hominum claſſes in peſte neceſſario conſtituendæ ſunt. Prima eorum, qui veneno peſtilentiali correpti ſuccumbunt. Secunda eorum, qui eodem correpti, illud ſuperant. Tertia eorum, qui licet cum infectis agant, dormiant, & converſentur, veneno tamen peſtifero non lædantur.

IX.

Hi licet pro ſe ſint felices, aliis tamen tempore peſtis valde ſunt pernicioſi, cum veneno, quod inſcii in veſtibus circumferunt, alios inadvertenter inficiant.

X.

Per hujus phænomeni ignorantiam multa abſurda in medicinam irrepſerunt, nempe quod homines per ſolum terrorem, per ſolam imaginationem, aliisque ridiculis modis inficiantur; quod tamen nunquam fit, neque fieri poteſt.

XI.

Qui veneno peſtilentiali correpti illud ſuperant, hoc potius proprio naturæ robori, quam medicinarum virtuti habent attribuendum, ſicut, qui ab eo intacti manent, non hoc remediis præſervativis, ſed perfectæ ſuæ ſanitati, ſingulariqueque alicui prærogativæ in acceptis referre debent.

XII.

Homines veneno infecti, ſi parvum habent apparatum mor-

morboſum, & ad leviores morbos diſpoſiti ſunt, facile ſuperant peſtem. Si ad graves morbos, ut Apoplexiam, Epilepſiam, Anginam, pleuritidem, febres petechiales, ardentes, dyſenterias &c. raro evadunt.

XIII.

Hinc in peſte multo facilior, & certior eſt prædictio Salutis & mortis, quam in quibusvis aliis morbis gravioribus.

XIV.

Medici antiquiores, videntes tam diverſos morbos complicari cum peſte, putabant tempore peſtis, omnes alios morbos tranſire in peſtem, neſcientes veram veneni peſtilentialis actionem; cujus opinionis ipſe etiam fuit Galenus.

XV.

Diſtinctio veneni peſtilentialis in Arſenicale, Mercuriale, Antimoniale, vel Aconitale eſt ens rationis absque ratione excogitatum, hoc enim venenum in quocunque ſit corpore, & qualiacunque illud ſequantur ſymptomata, ſemper idem eſt.

XVI.

Venenum hoc peſtilentiale non conſiſtit in ☉ volatili acerrimo, prout vult Sylvius, alias in peſte ſemper talia ſequi deberent ſymptomata, qualia ejusmodi ☉is actionem ſemper & neceſſario conſequuntur: ſed hoc eſt contra manifeſtam experientiam; ergo Sylvius & omnes cum illo ſentientes, ſunt in gravi errore.

XVII.

Primaria hujus veneni actio non eſt humorum (prout ego cum multis aliis diu ſenſi) per coagulationem & diſſolutionem corruptio, & ſpirituum turbatio, ſeu peſſundatio; ſed eſt illa, quae Aphorismo tertio dicta eſt,

XVIII.

XVIII.

Omnes peſtis cauſæ naturales, quæcunque a Medicis, præter venenum peſtilentiale, excogitatæ ſunt, ſive e cælo & ſyderibus, ſive e terra ejusque exhalationibus, rerumque corruptionibus eæ petantur, falſæ ſunt.

XIX.

Solum venenum peſtilentiale, quod ex partibus orientalibus Aſiæ & Africæ in fomite quocunque provinciis Germaniæ infertur, naturaliter peſtem producit absque ulla alia concurrente cauſa ſive procatarxi: unde Germania tamdiu a peſte manet libera, quamdiu hic fomes illi non infertur.

XX.

Ex hoc ſolo veneno omnes, quæ ante nos fuerunt peſtes, ortæ ſunt, & orientur omnes, quæ adhuc futuræ ſunt.

XXI.

Peſtium differentiæ non ex venenorum, ſed temporum, locorum, & ſubjectorum diverſitate petendæ ſunt.

XXII.

Quocunque tempore, ſive hiemali ſive æſtivo, hoc venenum in corpus humanum diſpoſitum & apparatum morboſum habens defertur, toties potens eſt producere peſtem: minus tamen hyeme quam æſtate furit, frigore ejus activitatem coercente, & expanſionem impediente.

XXIII.

Si graſſante aliqua Epidemia v. g. Dyſenterica, febrili, catharrhali, vel alia, interveniat venenum peſtilentiale, diu ſub talis Epidemiæ larva latere poteſt peſtis, antequam dignoſcatur.

XXIV.

Signa peſtis diagnoſtica & pathognomica duo tantum ſunt,

unt, ſed ſimul ſumpta, translatio nempe morbi per contagium, & frequentior morientium, quam convaleſcentium numerus. Quoties hæc duo ſigna adſunt, toties de præſentia peſtis certi eſſe poſſumus. Nulla habet ſigna antecedentia propria, ex quibus illa futura cognoſci poſſit.

XXV.

Venenum peſtilentiale per ſolum contagium de homine in hominem, vel per contactum, vel per Aporrhæas, & de corpore mumiato in corpus mumiatum ſolo contactu traducitur.

XXVI.

Soli homini infeſtum eſt hoc venenum: unde credendum, quod Dominus Deus in ſolius hominis pœnam illud produxerit, vel toties producat, quoties eum hoc punire vult.

XXVII.

Extra corpus humanum hujus veneni nulla eſt prava actio; adhæret omni rei, quæ eſt imbuta mumia humana, in qua ſicut ſemen in agro ſeſe extendit & multiplicat.

XXVIII.

Multiplicationis hujus cauſa eſt ſpiritus vitalis reſidens in mumia humana, qui ſi evanuerit, ipſum etiam venenum evaneſcit & deſtruitur.

XXIX.

Quicunque hominem peſte laborantem, ſeu rem veneno peſtilentiali coinquinatam contrectat, & quicunque ſphæram exhalationis peſte infectorum ingreditur; & quicunque cubicula, in quibus peſte infecti decumbunt, intrat, niſi vel naturali vel ſupernaturali gaudeat ſecuritatis prærogativa, præſentiſſimo ſeſe exponit vitæ periculo.

XXX.

XXX.

Hoc periculum nullis medicinis præſervativis, ſed ſola diligenti ſui cuſtodia evitari poteſt.

XXXI.

Vnicum, optimum & infallibile avertendæ peſtis remedium eſt, ejus propagationem per debitas diſpoſitiones & præcautiones inhibere: harum primaria & univerſalis eſt, provinciam ſanam ita in confiniis cuſtodibus munire, ut ex regionibus infectis, neque per homines, neque per res infectas venenum peſtilentiale illi inferri poſſit.

XXXII.

Secundariæ & partiales ſunt: Primo, ut, ſi non obſtantibus diſpoſitionibus generalibus, nihilominus in loca aliqua, & domus venenum peſtilentiale irrepſiſſet, ita illa cuſtodiantur, ne contagium ex illis ulterius ſerpere poſſit. Secundo ut hominibus, qui in iisdem locis & domibus concluſi ſunt, neceſſaria vitæ alimenta ſubminiſtrentur. Tertio ut de medicinis tam ſpiritualibus quam corporalibus ipſis rite provideatur.

XXXIII.

Si hæc omnia ſecundum noſtræ cuſtodiæ regulas debite ordinentur ac diſponantur, tam certo peſtis, ubicunque illa ſit, extingui poteſt, quam certo oris flatu candela extinguitur.

XXXIV.

Valde credibile, imo probabile eſt, non alia fuiſſe Hippocratis contra peſtem remedia, quam illas ipſas diſpoſitiones, quibus in Sileſia peſtem fugamus.

Peſtis per cuſtodiam depellendæ & extinguendæ methodus infallibilis, pro majori utilitate ex diffuſiori hujus luis hiſtoria in paucas haſce regulas contracta.

Stabunt attoniti, quicunque antiquorum errorum peplo obvelati hunc titulum, infallibilem exſtirpandæ peſtis methodum pro-

promittentem, legerint. Nec parum mirabuntur, quod ego solus inter tot Medicos, qui per plures jam annos in diversis provinciis, extinguendo mortiferæ luis veneno indefessam navant operam, novam & inauditam hujus luis doctrinam proferre audeam. Obstupescant illi, & mirentur, maneantque in suorum errorum Abysso, dum ego veritati litans, huic potius obediendo, saluti publicæ consulere, quam erroribus consentiendo hominem æstimationum aucupari, satago. Difficile est altè radicata zizania exstirpare, difficilius annosas, & diu inveteratas, falsas licet, opiniones ex mente humana excutere. Quod de peste usque huc, nil nisi errores, tam in ejus praxi, quam theoria traditi sint, clarissime cognoscent omnes ii, qui posthabitis omnibus ex antiquorum Medicorum erroribus, consarcinatis consiliis, pro arcenda peste hasce custodiæ regulas adhibuerint. Harum efficaciam tota deprædicat Silesia, quæ jam integro septennio diris pestilentiæ sagittis undique sæpius impetita easdem hoc solo clypeo feliciter repressit. Agant itaque omnes ii, quibus hoc ferale venenum imminet, ut assumptis hisce regulis contra illud non tantum se muniant, sed etiam, si limites jam transgressum fuerit, hoc iterum exterminent.

Prima & Generalis Regula.

Quæcunque provincia se in statu sanitatis perpetuo conservare vult, intento semper oculo ad vicinos sibi populos respiciat, attendatque, quales inter ipsos grassentur morbi. Si de lue pestilentiali apud eos glisente hauriatur notitia, statim omnis cum eis communicatio abscindatur; prohibeaturque utriusque regionis tam sanæ quam infectæ populis, ut ab omni deinceps commercio, & mutua conversatione sub pœna vitæ abstineant. Exactam hujus legis observantiam procurabunt positi per confinia bene armati custodes, & erecta circa vias regias patibula, ut horum terrore arceantur, qui ex provinciis infectis ingressum tentare voluerint. Oportet etiam in eos, qui hanc legem transgressi

greſſi fuerint, vitæ pœnam exercere, hujus enim legis accuratiſſima obſervantia omnem ſanam provinciam certiſſime a peſte præſervat.

2da.

Si autem non obſtante ordinatione hac generali contingeret, ut venenum aut dolo, aut caſu in locum aliquem deportaretur, hominesque inficeret, tum locus ille absque ulla mora neceſſariis circumdetur cuſtodibus, qui ſub pœna vitæ obſtricti nemini ultro aut ingreſſum aut egreſſum inde concedant.

3tia.

Quæcunque etiam domus in loco iſto infecta fuerit, ſimili modo per armatos homines cuſtodiatur, nec ulli deinceps inde exire permittatur. Si autem aut vi, aut clam inde aliquis evadere vellet, tum præſtat talem hominem occidere, quam ad ſanorum communitatem permittere.

4ta.

Quamprimum infecta domus excubiis decenter circumſepta eſt, tum ii, ad quos pertinet, concluſos cum debita praecautione examinent, unde & quomodo contagioſa lues ad eos devenerit, ut hoc cognito, omni etiam alibi emergenti periculo obviam iri poſſit.

5ta.

Si concluſi obſtinaces deprehenderentur, nec mandatis acquieſcere vellent, tum omni rigore & vi coercendi forent.

6ta.

Ordinent interea ii, ad quos loci dominium pertinet, vel commiſſarios, vel ex ſuis officialibus Curatores, qui ſolliciti ſint, ut concluſis neceſſaria vitæ alimenta ſubminiſtrentur.

7ma.

Deſignetur locus, in quo annona & alimenta congerantur, ac-

atque inde a concluſis debita circumſpectione ſuſtolli & ad ſe transferri poſſint.

8va.

Provideantur etiam, qui in domo infecta ſunt, medicinis tum corporalibus, tum ſpiritualibus. Hæ ab animarum Curatoribus, iſtæ a medicis exſpectandæ.

9na.

Medicinam ſpiritualem quod attinet, poſſunt ii, qui in domo infecta ſunt, ſtatim ab initio contagionis Sacerdoti cum debita præcautione vel ad oſtium, vel per feneſtram confiteri, Sacerdos excepta confeſſione abſolvat pœnitentem, eumque ad ſpiritualem communionem hortetur, quæ hoc in caſu ſufficit. Sacerdos enim porrigens ſacram hoſtiam infecto homini, ſe præſentiſſimo vitæ & ſacras particulas, ſi plures apud ſe habeat, peſtilenti contagio exponit. Vnde multæ conſequerentur incongruentiæ, quarum medela foret difficillima.

10ma.

Sacerdos, qui ſemel apud infectos munere ſuo functus eſt, ad aliorum communitatem redire non poteſt, ſed ſegregatus ab omni humano conſortio ſolus habitare debet, ad altare etiam Sacrificii cauſa accedere ipſi ultro non licet, cum ſacra apparamenta facile inficere poſſet. Oportet illi in ſua habitatione de omnibus neceſſariis rite & ſufficienter provideri. Vaſa ſua ipſe mundare & ſupellectilem lavare debet. Qui cibum potumque ipſi deferunt, diligenter caveant, ut ita hæc in expoſita ſua vaſa transfundant, ne ea ſuis contrectent.

11ma.

Medicus multo facilius rem ſuam expedire poteſt. Cognito infectorum ſtatu ea, quæ neceſſaria videntur, ordinat, ac debita circumſpectione infirmis ſubmittit. Sæpe expedit, nullam medicinam dare, cum frequenter absque his plures convaleſcant.

12ma.

Quamprimum in domo infecta peſte quis deceſſit, is in foſſa profunda prope domum ab iis, qui adhuc ſani, facta ſepeliendus eſt, & ſi ſufficiens ſpatium ſit, plures ad numerum incolarum faciendæ ſunt, in quibus, qui mortui fuerint, conſequenter ſepeliri poſſint.

13tia.

Si contingeret omnes in tali domo usque ad unum mori, tum pro hoc, extra locum infectum, ſive pagus ſive oppidum eſſet, caſa ſeu tuguriolum eſſet extruendum, ad quod debita cum cautela deductus, omnibus pariter neceſſariis proviſus, non minus quam antea in domo foret cuſtodiendus.

14ta.

Et ſi contingeret etiam hunc decedere, tum adhibitis neceſſariis cautelis ab ordinario Veſpillone ad jam ante præparatam foſſam longis ligonibus, uncisque pertrahendus, ac ſepeliendus eſſet. Vbi ſemper ventus bene obſervandus, ut ille nempe ſemper a ſano ad infectum vergat, quod in omni occaſione, ubi cum infectis agendum, bene obſervari debet. Caſa interim ſeu tuguriolum cum omnibus contentis eſt comburendum.

15ta.

Domus etiam infecta, quæ jam omnibus incolis orbata eſt, ſi absque aliorum damno fieri poteſt, cum omnibus, quæ in ea ſunt, igni conſecranda eſt: ſi autem hoc fieri non poſſit, omnis in ea reperibilis ſupellex illico extrahenda & comburenda eſt. Vbi bene attendant ii, quibus hoc negotium committitur, ne quidquam de tali ſupellectile manibus ſuis contrectent, ſed uncis aliisque inſtrumentis, habito ſemper reſpectu ad ventum, eam ad ignem protrahant.

16ta.

Domus infecta, quæ extractis & combuſtis mobilibus, igne con-

consumi non potest, tamdiu occludenda est, usque dum post absolutam quarantanam debito modo mundata & repurgata ad ulteriorem inhabitationem iterum readaptata fuerit.

17ma.

Si vero domus in civitate aliqua inficeretur, prope quam non esset locus pro inhumandis defunctis, tum in loco convenienti ab ordinariis Vespillonibus essent præparandæ fossæ, ad quas, qui in domo infecta moriuntur, ab iis, qui in eadem adhuc sani sunt, deportandi & humandi, feretrum, supra quod defunctus positus & ad fossam deportatus fuerat, ad domum infectam pro ulteriori usu referri, nec a sanis amplius in usum adhiberi, sed cessante contagione comburi debet. Expedit tales sepulturas fieri de nocte, ubi per custodes cavendum, ne sani ad infectos se nimium approximent.

18va.

Peste sublatos absque Sarcophago sepelire expedit, ut citius non tam ipsa cadavera, quam integumenta, quibus involvuntur, putrescant.

19na.

Si in domo infecta, apud quam humandi mortuos non est locus, omnes usque ad duos decesserint, tum pro his duobus, sicut antea pro uno, extra locum infectum præparanda est casa, ad quam cum cautela deducti, omnibus necessàriis providendi, & custodiendi sunt.

20ma.

Si etiam hi duo decedant, tum in fossis ad hoc ante præparatis modo supra dicto inhumandi, si autem a morbo vel intacti maneant, vel eum superent, tum usque ad absolutam Contumaciam in casa sua detinendi, ut deinceps bene loti, mundati, novisque vestibus induti ad sanorum consortia redire possint. Debent interea deposita vestimenta cum casa & omnibus, quæ in ea sunt, flammis tradi.

21ma.

21ma.

Quod ſi in domo infecta parvuli ſimul ſuperforent, etiam hi ad erectas foris caſas una cum aliis deducendi, debent etiam ſufficientia vaſa, lecti, linteamina, & quæ alias neceſſaria ſunt, ſimul ab infectis exportari. Dum hæc ita fiunt, diligenter advertendum, ne illi, qui ad hæc attendunt, ab infectis venenum hauriant, ſed ſemper ad ſufficientem diſtantiam ab iis remoti maneant.

22da.

Vbicunque hac ratione peſti obviatur, ibi nullis opus eſt Lazarethis, dum enim hæc ædificantur, ſignum eſt, peſtem ejusque naturam ignorari. Quæ ſola ignorantia cauſa eſt, quod in Germania peſtis populariter graſſetur. Ignoſcite honoratiſſimi, dilectiſſimi Collegæ, quod terminis hiſce utar, veritatem meorum Aphoriſmorum & infallibilitatem cuſtodiæ futurorum temporum experientia ſuperabunde docebit.

* * *

Cum in Actis Erudit. Lipſ. Anni 1712. Menſ. Auguſti, quarundam Obſervationum in Ephemeridum Nat. Cur. Centuria I. & II. recenſitarum, mentionem facere nonnemini placuerit, has inter autem acerbiori, quam decebat, cenſura Nob. noſtri Collegæ, Dn. D. Godofr. Davidis Mayeri hiſtoria n. 128. de Sono in pariete dubio invisibilis automati, his verbis: *Enimvero dudum Benjaminus Allen in Transact. Anglicanis n. 245. p. 376. & Wilhelmus Derham ibid. n. 271. p. 831. & n. 291. p. 1586. iſtud inſectorum genus exactiſſime deſcripſerunt, quod ſonum illum edit, cumque pediculo fere ſimile deprehendatur, a Derhamo pediculi pulſatorii nomine inſignitur &c. Quod ſi quis circumſpectas virorum doctiſſimorum obſervationes cum Mayeriana contulerit, is facile deprehendet, ſuperſtitionem multas Mayero circumſtantias ſuggeſſiſſe, quæ cum rei veritate non conſiſtunt &*

candori ſupra commendato adverſantur. Majorem vero fidem merentur &c. impetatur, idem Vir Cl. Epiſtola quadam Vratislaviæ eodem anno typis exſcripta famam ſuam graviter læſam vindicare voluit, eaque ut huic noſtro libro inſereretur, petiit: cui juſto deſiderio quo minus ſatisfaceremus haud intermittere debuimus.

GOTHOFREDI DAVIDIS MAYERI,

Vratislavienſis, Medicinæ Doctoris & Patriæ Practici,
Imperialis Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſorum
Academiæ Collegæ,

Epiſtola, Cenſuram in Actis Eruditorum Lipſienſibus Anni decurrentis M DCC XII. Menſis Auguſti, De Obſervatione Soni cujusdam in Pariete dubii inviſibilis automati, diſcutiens,

ad

Per-Illuſtre & Celeberrimum Imperiale Leopoldino-Carolinum Naturæ Curioſorum Academiæ Collegium.

Per-Illuſtris, Magnifici, Excellentiſſimique Viri,

Domine Præſes, Patroni, Fautores & Collegæ,

ſubmiſſe & decenter honorandi.

INter præcipuas occupationes, quarum ſollicitudine diſtringor, eas merito repoſui hactenus, quas neglexiſſe lege noſtra cautum eſt, quamprimum benevola receptione & ſuffragio veſtro *Vobis* me adſociatum vidi, *Res* ſcilicet *Naturales* phyſico-medica inquiſitione & contemplatione perſequendas: Quibus pro exſpe-

ſpectatione Veſtra ſubeundis, quanquam me imparem eſſe non diffitear, tamen adduci me paſſus ſum, ne meum erga *Vos* ſtudium ullo tempore intermitterem, ut adhibitæ aliorum præclaræ curæ & diligentiæ tenuem meam & incultam operam adjunxerim : Quam rarioribus circumſtantiis & ad utilitatem compoſitis obſervationibus, ſusque deque habito prætextato verborum & fuci apparatu, unicuique noſtrorum conferre hactenus integrum fuit. Receptum morem ſecutus, quid mihi interdum obvenerit, cumprimis quid *de ſono quodam in pariete dubio inviſibilis Automati*, poſt alios, quos iſtius ante me mentionem feciſſe, *Miſcellanea curioſa* paſſim teſtantur, in me ipſo obſervaverim, hiſtorica fide, nihilominus tamen bona & intemerata, exponere conatus ſum.

Verum *in humano gutture* pertentatum laborem comperior, & ob adductam hanc obſervationem ſuperſtitionis & ſubleſtæ fidei culpam in me unum transferri animadverto citra meritum. Intentata hæc famæ & fidei damna provocarunt innocentiam meam, & quod alios non improbaſſe gaudeo vehementerque lætor, nec *Vos* improbaturos confido, quorum auſpiciis conſcripta obſervatio, quorum autoritate lucem pati poſſe digna viſa : eapropter veſtra, qualiscunque demum eſſet ea, veſtra.

Omnium maxime conatus mei *Te* optaverim Arbitrum, cui ſuo grata *Præſidi* refert Academia invictum Decoris ſui firmamentum, ſervatas inter tot diſcrimina, inter tot furentis Auſtri procellas, ſub quibus ad clavum Palinurus ſedere juſſus, Habenas. Qui nihil unquam ſtudio meo abnuiſti, *Per-Illuſtris Domine*, non dubitabis, etiam aridam & vilem paginam æqui bonique conſulere, licet de eadem opera & oleo hancad *Te* exaraverim Dicæologiam. Vidiſti ipſe & legiſti, quid ſcripſerim, & voces notaſti ea, qua polles judicii gravitate : Neque enim quidquam prius antiquiusque, ſic monente *Julio Cæſare Scaligero ad Arnoldum Atticum*, ad hunc usque diem viſum eſt mihi, quam pacis atque amicitiæ artes colere : neque a me commiſſum unquam

quam fuit, ut in diversa rapiatur innocentissima de sono invisibilis Automati historia. Nunc autem, qui propius & attentius me intuetur, non minimis de causis in eam me mentem impulsum intelliget, ut adversarii asperitate me impune vexari non solum turpe, sed etiam nefarium judicem quanquam invitus. Si quicquam tentaverim, quod adversetur natura, ac marinos nauta scopulos: si superstitionis aut fallaciæ reprehensionem cum meritus fuissem; si nullius emolumenti labor me visus fuisset, in æternum non credam, curam super illum *Te* suscepisse, nec in Collegæ damnum aut dedecus hac observationis publicatione opus suppleturum. Sed *Orphei* mentem nunquam indui, qui ea fingebat, quæ solus intelligebat, *teste Aristot. L. 2. Metaph.* cujus justæ itidem in eundem patent ibidem reprehensiones: Eapropter infrunitas judico animadversiones novi cujusdam Sapientiæ Dictatoris, quas vestra Autoritate munitus me despicere potuisse facile nemo non agnoverit, nisi famæ nostræ non satis semper caveri, cum *Pufendorffio* exiltimem, tacito injuriarum contemtu, quæ aliqua probabilitatis specie adornatæ, vestigia fere relinquant, nisi curiose abstergantur. Ejusdem specioso decori ne re aliqua deesse videar, cujus tuendæ necessitatem optimum quemque cordi habere merito decet, tumultum suscitanti mihi tanto securius obsisto, quod accipere præstet, quam facere injuriam, eandemque licentiam nec mihi denegatum iri confidam, quam sibi intemperantius in me sumsisse Censorem effræni correctione testabitur. Sed fremat adversarius, rideat malevolus, vincet tamen veritas, quæ eo crescet uberius, quo conculcatur inlocentius: Ad quam a contemptu & discrimine eo solidius vindicandam, in supplementum exhibitæ *Centuriis Ephemeridum de Automato invisibili Observationis*, quædam repetiisse de illa non inutile arbitror, antequam ad effutitam in me censuram pedem moveam, quo Automati hujus *Occasio*, *Modus & Circumstantiæ* aliæ clarius innotescant desideranti: Sic ut de illa primo, de his postremo, & de Modo medio loco succincte tamen agatur.

Occa-

Occasionem quod attinet, ope cujus sonum illum accuratius observare didici, eam fuisse recordor: Gymnasticis quondam studiis operam navanti mihi in Patria, solenne erat lucubrationibus indulgere: sub quibus ad latus dextrum muralis parietis, cui assidebam, nocte cumprimis quieta, percipiebam motum alicujus automati plus vice simplici adeo frequentem, adeo celerem & distinctum, ut undiquaque parietem & conclavis angulos omnes, an in illis aliquid lateat, quod Fabricam quandam exactarum horarum & temporis indicem imitaretur, perquirere judicaverim necesse: Scopis repurgatus paries, nulla labe inquinatus, sed novellus ea, qua observatus sonus parte, abrasus externus cortex: foraminulis renovatione præcautum: auditum tamen automaton hoc, labori & improbæ ejusdem perquisitioni mire semper illudens. Post accuratam, quantum possibile erat, motationis hujus examen & observationem, alios ad dijudicandum hunc in pariete sonum advocabam, qui eundem una mecum ea ratione, eoque plane modo, quo ego illum animadverteram, distincte sæpius percipiebant.

Is, quo præsentiam suam testatum ibat *Modus*, qualis erat & talis semper & ubique permansit: Movebatur aliquid instar operis mechanici ad definiendas horas subtiliter fabrefacti, quod sua sponte, nulla apparente causa circumagitur, quodque sacculo femorali pro dignoscendis horis & tempore nobiscum circumfertur.

Hujus motum exacte imitabatur illius in pariete se moventis Automati sonus: ita quidem, ut non raro, post temporis aliquod intervallum, quieti indulserit, quemadmodum machinæ horariæ, quarum rotulæ, ex defectu manus externæ, illas indicis circumactione ad motum compellentis, morantur: interdum ad imitationem ejusdem manus humanæ, quæ post decursum rotularum, indicis circumactione cursum horarii de novo definit, eo notabilius præsentiæ suæ testimonium exhibebat. Securus ego de stabili tunc & fixa illius sede, ad repetitum motum manus appulsu quandoque percunctabar hospitem, quem brevi post

ab uno parietis latere ad alterum, cum eadem manu locum, quorsum appuliſſe ſonum obſervabam, tetigiſſem, deſultorio ſed inſenſibili curſu eum deveniſſe cum aliis deprehendi: usque dum ita tandem multiplicatum animadvertimus, ut uno temporis momento, uno eodemque ordine & modo, in diverſis muſei angulis & locis, diſpartito in aliquot parietis loca ſono, ſimul uberrime auribus obſervatum fuerit polydædalum hocce Automaton.

Quod alias circa ſonum hunc *Circumſtantias* concernit, compertum habeo, ad plurium hinc & inde aures quidem forsum talem deſcendiſſe, omnium autem ea methodo attigiſſe non puto motum forſan aures, qua meos & eorum, qui movens meæ domus Automaton audivere, per tot annos divexatos fuiſſe omnium optime novi. Etenim non in Patria ſolum, ſed & extra eam, quemcunque locum ſedem conſtitueram, ad latera parietis, penes quem ſomnum capiebam, pulſu adeo notabili ſe manifeſtavit, ut non infrequenter, alta quamvis quiete conſopitus, expergefierime coëgerit penetrabilis ejusdem appulſus: quandoque cum ſomnus arctior me complexus erat, & in utramque aurem dormiebam, maxime, quod avida antea ad rem attentio, ob quotidianam fere præſentiam tum jam in me relangueſcere incœperit, propter fortes & repetitos ictus, contubernales, rei penes me auditæ tunc adhuc ignaros, ceu aculeis excitavit, ut quid ad latus meum novitatis aut præſagii, ut dicebant, ſuboriatur, anxie & ſollicite a me requirerent. Mutato loco cubilis in Muſeo, quod activitatis ſuæ ſphæram conſtituit, mutatum ſimul Automati diverſorium & mira ſane metaſtaſi illuc translocatum, qua parte parietis quieti indulgere ſolebam: concurrente ſæpius multiplici illa tot ad latera & angulos parietis conſonantium Automatorum harmonia, ut conclave machinarum horariarum plenum & refertum crederes, qui earundem pulſus auditu mecum capares. Nec ſaxeam molem, nulla vermium violentia corroſam, aut cavitatibus, aut inciſuris arroſione quadam exeſam, ut in

Actis Philoſophicis Societatis Regiæ Anglicanæ 22. Octobr. 1666. n. 18.

n. 18. de lapidibus, a quodam vermium genere corrosis, & *E. G. Happelii Relationum Curiosarum Continuatione pag. 44.* legendum; nec eam solidam, validamque reliquit intactam: atque ad eam in figura marmoreæ columnæ præparatam consuetos pulsus per aliquot intervalla exhibebat Automaton, rem accurate mecum observante Doctissimo Viro, singulari adhuc dum vivente Vratislaviæ Amico. Conticuisse quandoque Automati sonum, quin imo interdum post brevia quædam halcyonia sensibiliorem denuo exauditum fuisse & distinctiorem, certo certius est, prægressis cumprimis Consanguineorum funeribus, omnium luculentissime, antequam amantissimam Matrem in Patria, tum extra eam ego positus, naturæ debitum exsolvisse cognoveram: & post ea tempora & aliquot annos dulcissimus nuper demum natus extremum vitæ spiritum edidisset: Quod in exhibita Centuriis observatione & jam de novo iterum hac epistola confirmo. Reversus quidem sæpius in viam sonus, inpræsentiarum autem veterem denuo detestatur motum, neque hac ratione ulterius observatur, prout ante nuperum Filioli mei decessum eundem percipere cuilibet cupienti licuit.

Hæc sunt initia, hic Automati progressus, propterea fidei meæ pedicas struxit *lupus in fabula.* Illis qua via & ratione fallere tentaverit meam, remota omni inani observationis in mortalium nemine unquam animadversæ ambitione conscriptam de hoc sono dubio historiam, ex æquiore illius examine evidentius comprobatum dabo. In hoc ea progrediar methodo, quam ipsius de me evulgati judicii lineæ & verba suppeditabunt, prout in Actis Eruditorum typis impressa inveni: ita tamen, ut ab initio statim & ante sinistræ Narratoris opinionis discussionem impense mirari incipiam, Censorem notabilem in se ipso nesciviisse reprehensionis materiam, quam in aliis se reperiisse arbs re credidit: dum in evulgata *Ephemeridum* recensione ignorantiæ discriminis *Decuriarum* & *Centuriarum* se ipsum reum testatur. Id ex eo evinco, quod Collegii nostri studiorum & conatuum mentionem faciens, tribus prioribus Observationum

num Physico-Medicarum Decuriis nunc denuo *Duas* sc. Decurias, ut opinatur, *Alias*, quibus enarrandis occupatur, superadditas esse, quas tamen primo tituli aspectu denominatas vidit *Centurias*, ipseque in titulo sui laboris ita insigniri fecit, heic loci tamen pag. 345. *Decurias* appellavit haud levi errore: cum ob certas rationes, ut in præfatione Ephemeridum videre licet, hoc nomine evulgatas esse, abdicato priore Decuriarum ordine & nomine, Historiæ literariæ leviter imbutus facile recordabitur. Itaque fertilior seges est, alienis semper in arvis, nec ut in proverbio est, videmus Manticæ, quod in tergo est. Verum & hoc errore vacet, qui in alium dicere promptus est, ne eum oscitantia lapsum, illa ipsa vanitatis arguat.

Post nomen meum, cum observationis meæ titulum a Censore allegatum vidi, mirari me & stupere confiteor, cur assuta illi fuerint verba *Mortem præsagiente*, quæ nec typis impressæ in Centuriis Observationis hujus titulo addita invenit, nec egò unquam, addita si fuissent, pro meis agnovissem, de quibus apud me altum & Harpocratico majus silentium.

Scilicet remoto omni præjudicio, æquus observationis meæ Lector ex adducta nuda illa de sono Historia non difficulter intelliget, a mente mea longe alienum fuisse, *Ascendens* aliquod *Constellatum*, ut *Paracelsus* statuit, quod multa revelet quærentibus Magnalia Naturæ, aut ex Automato hoc *Claves Propheticas* effingere temere: nec a posteriori ex eventu rerum de significatione earundem definite aliquid statuere: sicque nec de causa hujus soni, nec de sono ipso ceu effectu positivum quid exhibere, præter id, in quantum se invicem historice consideratæ habuerint, & quid audiverim, non quid de illis sentiam aut judicem. Eapropter quod sonum edit generali nomine & conceptu Automaton: & illud quod auribus occurrit, simplici notione sonum appellavi: addito notabili ad sonum ubivis epitheto, quod dubius mihi sit, si essentiam spectemus, ratione sui & ipsius causæ, quam nec manifestam, nec occultam penitus, sed dubiam constiterit. Adhæc, initio statim historiæ rerum cognitionem non facile

cile assequi aliquem absque certa Principiorum cognitione autumavi, quam exiguam in rebus maxime naturalibus, aut vilem si dixissem, imo cum *Francisco Sanchezio*, ferme nullam, forsan non aberrassem: Et in fine, quid hæc res sibi velit, me fugere, latere, prætterire, ductuque Clarissimorum Virorum in re dubia aliquid certi determinare nec audere me, nec posse affirmavi lubenter: Ex quibus omnibus meridiano jubare clarius apparet, sonum hunc rationibus undecunque conquisitis, a prioti deduxisse mihi non fuisse mentem: sed quid a posteriori observaverim, historice Ephemeridibus communicare, quibus judicium meum nec adjeci, nec interposui: Nec de scientifica quadam demonstratione gloriatus sum, qui summa, ni fallor, ubivis moderatione usus, omnibus affectibus veritati contrariis jamdudum nuncium remisi: quod nec illi negaverint, quibus candide & liberaliter super observatione facti & experientia conveni, a me hac in re certiores redditi Medici non pauci.

Vtrum bona fide in me egerit Autor, dum hæc verba titulo applicavit, quem exinde impugnandum sine dubio suscepit, operosius foret ostendere, nisi subdola *Fraudis Lycaoniæ* molimina uno statim obtutu oculis cujusvis incurrant. Etenim quod ante fatalem meorum exitum major semper & sensibilior Automati motatio: & post eorundem decessum eo certius silentium subsecutum sit, nuda & innocenti historia pro certo exposui, citra omnem ad connexionem aliquam tanquam Causæ & Effectus, aut antecedentis & consequentis inter Automaton & subsecutas mortes, aut copulæ unius cum altero habitum respectum. Neque me quisquam judicio adeo lapsum esse dixerit, ut Historicum agere cupiens, decisorium observationi titulum conscriberem, in quo invenirent, quod arripiant, qui sua interesse putant, exagitare alios. Hoc a simplicem veritatem professo nullus exspectaverit, cujus mentem meam me ipso nemo accuratius noverit, nisi Ithacus velit & magno mercentur Atridæ. Dantur dubitationes variæ & nodi complures, quos philosophica ratio expedire nescit: Ne itaque cum illa me hallucinatum quis

increpet, *Experientiæ* primas detuli, quam vanam in me & falsam venditat opinionis de me suæ *decempeda* delusus Censor, qui recensionis librorum specie aggreditur Sonum huncce dubium immoderata censura, ut si unquam, certe præsenti sua ad observationem hanc inique explosa sententia, Modestiam comitem non habuisse satis superque omnis animadvertat.

Nullus vitio vertet, id quod res est, scribenti mihi: Meum quod non est, cur meum vocari sustineam? Præterea, quod ab observatione mea adhuc dum abludit, eccur exinde vocatus in jus, opprobrium reticuerim? Et quid molitur adversus historiam, in qua, excepto nudo facto, nihil invenit, quod reprehendat? Illud autem absterso omni pudore fronteque perfricta ludibrio suique exponere, illius tantum est, qui manifestæ veritati refragari audeat; cui tamen per se magna vis inest, ita ut suis opibus polens, suisque copiis freta, suis præsidiis firma, aut nihil, aut non admodum externa auxilia requirere videatur: unde se ipsum exponit ex veteri consuetudine vicissim deridendum.

Verum enim vero, ne in solis verbis Observationis meæ firmitudinem positam existimetis, ipsi velim conjectis mecum oculis vestris in Censoris adversus eandem publicatam sententiam animadvertatis, quo pateat, quibus

Unguibus affixit pressis vestigia lupus.

Hæc, ut eum, quem ipse confecit, prosequar in respondendo ordinem, in eo consistit, ut conquirat adversus *Experientia* a me comprobatam Historiam, quid Automaton a priori sit, *Rationem*: Ad quam nimis fervida celeritate inquirendam prorumpit non aliter, quam aquæ ex magna scaturigine violento impetu ebullientes. Quod si alias hæc duo ceu Mater & Filia sociantur, magna omnino ad veritatem porta nobis recluditur: Hæc crura sunt, quibus omnes ingenuæ artes, quin ipsa omnium rerum veritas insistere & procedere consuevit. Sed modo sano eas dem concurrere debere necesse est, ne dissidentes invicem errori ve-

lisi.

lificentur: cui procul dubio multum a Cenſore hac ratione litatum fuiſſe exinde edocebo, dum egregiam, ſi ita eſt, ſoni hujus conſtituit Cauſam, advocato inſuper in ſubſidia Exterorum labore, vermiculum illum hominibus amiciſſimum, quem citante ex Varrone L. III. de R. R. c. 9. El. Majore, Schediaſmate de Pede, diminutiva forma, fortaſſe blandiendi cauſa, *Pediculum* appellamus.

Hoc pulſatorium animal, prout *Derhamus* & *Allenius*, Obſervatores laude ſua non defraudandi, illud nominarunt, Cauſam ſtatuit ſoni, ceu Effectus, quod iisdem tum temporis adfuiſſe & glocitando ſeu pulſando ſe manifeſtum reddidiſſe, haud recuſaverim: ſed ſolam & unicam cujusvis talis omnium minime a me obſervati ſoni Cauſam eſſe, negaverim itidem: cum unius rei plures eſſe poſſe cauſas in propatulo ſit, nec eædem ſemper & ubivis, ut ſorex, aut hic in Anglia deprehenſus pediculus pulſatorius, proprio ſe prodant indicio.

Non eſſe pediculum ſoni mei cauſam, haud difficulter exinde probabo, quod multories mihi licuerit nunc unum, nunc aliquos, imo plures ſimul ad parietem deprehendere ſic dictos pediculos murales, penes quos longa quamvis & indefeſſa obſervatione adhibita, nullum tamen ſonum animadverti. Præterea aliquando alius in pariete vermiculus mihi viſus, progeniei pediculari non abſimilis, nec mole corporis illo ſub Figur. 4. in Actis Eruditorum Sculptoris manu expreſſo Pediculo major, qui proboſcidem parieti infigens, poſticam corporis partem elevabat: non ſecus ac muſcæ ſaccharo inſidentes: hujusque circulorum frequentem contractionem & relaxationem celerrime reciprocans, colliſorium quendam motum edebat tam diſtincte, ut quilibet hujus a me communicati ſoni, quem tum in hoc pariete, in quo commorabatur vermis, audiebam, Auctorem & Cauſam eſſe, facili negotio credidiſſet: Incluſus ergo vermis vitro capaciore, in eo tamen repetitis licet crebrioribus ab animalculo poſticæ partis motationibus, nullus unquam ſonus deprehenſus eſt. Diceres fortaſſe, non aptum in vitro locum habuiſſe animal, & in

illo

illo undulationes ſoni fuiſſe impeditas. Enim vero & hic locus mutatus atque animal parieti hinc & inde applicatum & publicæ luci, quam ad expeditiorem auditum conferre *Bartholinus L. 3. de luc. animal. c. 11.* notavit: Nec tamen ſonum edidiſſe illud, nec tale aliud animal, cujus generis nullum, ob accuratam eorundem perveſtigationem, oculis ſe ſubduxiſſet, quamvis non pediculus, ſed pedicellus fuerit, conſpexi. Verum antiquum ſonum in illo ipſo pariete, quem inſederat antea vermis, ſive hic aderat in illo, ſive aberat, aëre cumprimis rariore & tranquilliore, Automaton repetiiſſe obſervavi.

Ecquid tandem tam impatiens & intractabile, cicur alias hoc animal reddidiſſet, ut atramentarium illius in Obſervatione mea adcitati *Mæcenatis* ingreſſus fuiſſet, in quo ſonus ejusdem audiatus fuit, quamdiu loco non movebatur atramentarium: ad cujus externum attactum & remotionem, quaſi alarum remigio aufugiſſet & rediiſſet inſtar volucris, obmuteſcebat, poſt repoſitionem denuo ſonum repetebat. Ad cujus facti veritatem contrà negantem defendendam omnes ſine dubio vires conferret ipſe, cui tum temporis adſtabam quandoque, ſi fata non invidiſſent: ſed ſummum hunc Reipublicæ noſtræ Virum ante annum & quod excurrit, pluribus additum adhuc lacrymatur, eo nomine infelicior Vratislavia, quod præſenti ad finem decurrenti anno, ſicque brevi intervallo duos alios digniſſimos huic datos Succeſſores *eodem menſe*, quo *hunc* denaſci vidit, ex his denuo *unum* funebri ſolennitate efferre cogeretur, *alterum* naturæ debitum exſolviſſe attonita viderit.

Quis etiam credat, qui multiplicato uno temporis momento in diverſis parietis lateribus ſono mecum quandoque adſtitit, tot vermiculos, ut a Cenſore allegantur, tam multis hominibus & non ſolum rudibus, ſed etiam eruditis, diverſis locis & temporibus, ita dextre potuiſſe imponere, ut nullis aut paucis pediculus talis ſuboluiſſet.

Qui porro factum, ut ad appulſum manus meæ ad locum, ubi ſonus percipiebatur, illico, is aufugeret & alibi ſe manifeſtaret, can-

tandem repulsus priori loco rediret: quæ proprietas animalis est levibus alis properare per auras consueti, non desidiosi talis & longas moras nectentis: quod potius pugno tactum, quo parietem sonantem sæpissime impetebam, non aliter ac hujus generis aliud vertice inventum conferto pollicis ungue, diu jam attritum fuisset.

Denique miram illam, quæ mihi cum animalculo tali hactenus intercesserit sympathiam & communionem solidius demonstratam optaverim, quando, quocunque etiam per tempus aliquod pedem fixi, illud indivulsum a latere meo comitem expertus fuerim, quæ in illum fortasse meliore jure caderet, qui secundum *Puccium*, *oratione in pediculum funebri*, cum de bestiolæ hujus virtutibus & elegantia scribens dicit, omnem, qui ejus virtutem intelligat, pediculosum esse velle; hac ratione, amore in hunc comitem aut pediculosus esse cuperet, aut istiusmodi hospitibus referto capite & superciliis obambulaverit: quam familiaritatem & simul *Puccii* cum pediculis conversationem, qui eos in sinum reposuit, ne algerent, tandem in pyxide affabre facta composuit & sollicite eduxit, detestatus sum a teneris & adhuc detestor. Imo alia procul dubio ratione Automaton mihi familiare sono suo quandoque a somno me excitasse credo, quam ea, qua laudem *Vlyssis Aldrovandi* commeritos vidi cimices & mures, quod ab iisdem singulari beneficio interdum utiliter excitemur, ut in rebus locandis curam adhibeamus. Longe aliter comparatus fuit hujus vere invisibilis Automati sonus, quam ut vermi applicetur, aut pro pediculi cujusdam effectu venditetur, nisi animal fuerit providum, sagax, multiplex, acutum, memor &c. quale fortasse non inveniendum: aut si detur, aliquando coëmerem ipse & alii, ad dignoscendam accuratius differentiam, quam primum artificem inventum fuisse experiemur, qui instar *Puccii* pediculi, talem pulsatorium catenula collo circumdata muniat, quo evidentius per conclave vagari possit, prout desultorios pulices divenditos fuisse multi recordabuntur. Censori placeat hæc soni causa, non æque mihi, qui

potius illius ignorantiam ingenue fateri non erubesco, quam venditando contrarium pluribus & experientiæ refragari.

Ad commovendum & confirmandum a veritate rei extraneum, *testes* oppono omni exceptione majores: *Indelibatæ conscientiæ integritatem*, inflicto a Censoris sævitie vulneri præsentissimum remedium: Et *omnes illos*, quos serio & multoties aurem parieti & hinc & inde divagato sono applicasse, bene scio: ex quibus confido, quemvis ea comperturum, prout a me tradita sunt: hoc est, remotis omnibus abblandimentis, vera & ipsis rebus consentanea, quæ unicuique ad sensum demonstrare non gravabor, sicuti de rei veritate sollicitos audiam & ipsum hunc sonum reiterato, ut spero, percipiam. Cuinam etiam res hæc innotuit magis? Tibine, Censor, qui omni hoc ævo tuo nullum forsitan audivisti tale Automaton, aut si observasti, illud simplex & unico loco affixum, uno nomine, pediculum pulsatorium? An illis, quibus quotidie sonus hic in ore, in auribus &c. Quibus tam crebro de indole & circumstantiis pericula facta in Patria & extra eam, ut a moderatioribus ingeniis negari non possint.

Hæc rei gestæ expositio & notatio irritamentum fuit meniatularum Censoris cerularum, quibus in famam meam impetum fecit, fideique meæ obesse inconsulte laboravit: cum tamen, *Taciti* monitu, sapienti viro non decorum fuerit, unde amico infamiam parat, inde gloriam sibi recipere.

Itaque cordatus judicet & æquus arbiter, an accurata hac & candida soni hujus commemoratione, fœdissimæ superstitionis nomen commeritus fuerim, quam in conscripta historia *multas mihi circumstantias suggessisse*, Censuræ Auctor citra rationem arbitratur: cum tamen cum illa nihil mihi negotii sit, nec aliquid acceptum ipsius larvæ me retulisse testari possim, qui in vitæ morumque integritate cedo nulli. Si *superstitio* est, cum id, quod a Deo exspectandum habeo patienter & per debita media impetrandum, a creaturis illicite & indebite requiro per media superstitiosa verbis & factis inordinatis, sic eam definiente *Martino de Arles*

Arles Tractatu de superstitionibus: Præter omnem rem in præsenti autorem nomen hoc mihi applicasse reor, qui præter nudam historiam, quid factum fuerit, & quæ sit soni existentia, non quam possideat essentiam, immiscui nihil, quod superstitionis titulo notari mereatur, a qua detestanda criminis confictione mores mei in totum abhorrent: quos plurimi norunt, qui mecum vixerunt familiarius, ac proinde me noverunt intimius. Superstitionem ethnicis auguriis, magicis divinationibus, aut *Campanellæ* occine, Censor, qui de *sensu rerum & magia* l. 3. c. 10. Vocem exaudire sibi visus est, quam cum non intellexerit, si angelus non esset aut Dæmon, sicuti Socrati adstitisse, ipse *Campanella* & *Bodinus* in *Dæmonomania* testantur, necesse esse dixit, aërem sic vociferari, turbatum sua passione futura aut affectum a præparante sibi malum aut ex simili similem alteram imaginante. Ad populum phaleras, non ad me: cui sepositis omnibus hisce deliriis, cum mortem meorum, ut sæpius dictum est, Automati sonus semper & realiter præcesserit, eaque subsecuta denuo ad tempus evanuerit, videtur quidem non in totum fieri per accidens & vanæ observationis, quod per tot annos proxime ante & post feralem eorundem casum observavi. Sed definitam hujus effectus causam effinxisse, pudori mihi foret, qui citante *Cypriano Disputatione de Præsagiis mortis ex Augustino de cura pro mort. c. 16.* nonnulla altiora censeo, quam ut attingi a nobis possint, abstrusiora, quam ut valeamus perscrutari. *Plus* superstitionis censori in homines, *minus* suspicionis alicujus criminis in mea ingenuitate latere, testatur ille, qui aperte negat, quod sensibus manifestum est & aliorum autoritati innititur, cujus inani studio amicæ veritatis gratia ex pulpitis genuine docentes *Crucem* figunt. Idcirco improbum nefas dixerim, si observes, quæ fiunt argui, quasi deliramentis operam navasses: quæ a mente mea & observatione tantum procul dubio absunt,

Quantus ad æthereum Cæli suspectus Olympum.

Tandem quasi simultatibus non satis foret litatum, *Circumstantias* quasdam reales & veras *cum ipsa rei veritate non convenire* objicit, quas honesti viri sibi invicem affingere profecto erubescunt. Vbi experientia, autoritas quoque ubinam sedem fixit, qua fronte me vanitatis & falsi macula deturpare possit, non assequor, nisi in ea versetur opinione, alias studiorum partes mutilas & mancas, imo superstitionis & fallaciæ accusandas, ob exhibitam observationem, quæ cum Anglorum conaminibus non æque conveniat, aut ex asse non quadret ad eam opinionem, quam ipse animo prius conceptam meditatamque teneat. Ergone autem in asserendis aliorum inventis, quibus tamen nihil derogatum volo, alterius conculcanda sunt observata, quia in omnibus non consentiunt? Ergone falsitatis insimulandum, quod tam verum est, quam quod verissimum? Hæc omnia, licet non parum mihi fuerint dividiæ, tamen constanti animi firmitudine perferenda constitui, quod parvi referre viderem, quanto quis conatus Automati aggressus fuerit contemtu, qui polydædalos ejusdem effectus propriis auribus fortasse non percepit. Ergo hic solus cerebrum habuit? huic soli fuerunt oculi? alii ita cœci, ita stupidi, ut pediculi alicujus pulsatorii sonus in experimentis & observatione eos evincat deceptos? Pessime sibi consulit & famæ, monente *Th. Bartholino in defensione Vas. lact. & lymph.* qui ex ingenio suo fingit, quod nusquam nec pinxit natura nec finxit: Sed sincere & fideliter scribenti fidem denegare, crassæ Minervæ sententiam dixerim, præsertim ubi non in obscuro, sed luce & diversis locis multoties comprobatum dederim, quod per tot annos audivi, innocentiæque meæ testes idoneos & sufficientes excitare queam. Si cum *Platone* Glaucum in piscem mutatum, *Plinio* arietem ambulantem, capite jam resecto, *Columbo* canem latrantem exsecto corde & similia, citante *Voëtio Disput. select. part. 2.* credibili majora produxissem, observationem meam nihil aut parum a fabulis differre concederem: sed tales adduxi soni circumstantias, quarum fidem in tanto prudentum Virorum consensu scriptis publicis persequi, cuspi-

cuſpide duriuſcula ſcriptum eſſe, quilibet fatebitur. Obſervatores Anglos virtutum laudandarumque artium præclariſſima lumina habeo: attamen auctoritate ſua nec illi, nec cenſuræ auctor, nec alius quisquam, ſive eum venerari videam, ut ab Ægyptiis inventum Oſiridem, ſive in tanto apud omnes pretio ſit, ut quaſi Atlantis humeris cœlum, ita ejus autoritate Eruditionis dignitas ſuſtineri putetur, ut quæ ipſe aurium ſenſu percepi, non ex opinione, ut antea teſtatus fui, ſed veritate, animo & cogitatione, tanquam non audita diſſimulem. Mendaciis cum *Paſſeratio* encomia non formo, nec cum *Majore* trophæa, cui

- - - hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa:

Quin potius divexatam veritatem laurea & adoreis adorno, vindiciisque hisce, debilibus quidem, haud fucatis tamen, quas inimicus calamus exſuſcitavit, Firmamentum conſtituo atque præſidium.

De cœtero cum id ſolum homini turpe ſit, quod meruit pati, ex præſenti candoris mei, quam ſuggillaſſe ſibi viſus eſt Parrheſiaſtes & ipſa bonitate cauſæ meæ, citra vanitatem ſperare mihi licet, fidei meæ nihil ſic derogatum iri, quanquam vehementius, quam par erat, in me actum viderim. Sicubi me humani quid paſſum fuiſſe deprehendiſſet, modeſto monitori aſperum eſſe cohibuiſſet ſana ratio: ſed ad immeritum extra fines digreſſi, quaſi œſtro percitus fuiſſet, judicium tacuiſſe penitus, nullius a natura ad honeſtatem confirmati animi, nedum hominis eſt. Itaque recenſionis ſuæ rationem impoſterum meliore indagine ſcrutetur, ne ex illa ſubnaſcatur cenſura, contra tot annis ſtabilitam ſola recenſione librorum intentionem illorum, qui tale munus in conſpectu orbis eruditi obeundum hactenus ſuſceperunt, & adhuc dum *Actorum* collectionem non ſine laude moderantur: Cumque tot annis labores eorum inclaruerint non parum, ut ſartus tectusque conſervetur honor, nec affectata ali-

qua & usurpata in aliorum conatus arrosione, quæ rei literariæ incremento obest magis quam prodest, vel exploratæ alicujus famæ intentato stigmate, sicque alieni commatis opprobrio deturpetur, aut, ut in proverbio est, *Ovem lupo committant*, ipsimet omnem curam conferant.

Ne istius quidem laudis ita sum cupidus, ut aliis eam præreptam velim: sed ex alto se despicere solum, famam suam qualemcunque abjicere & extenuare censendo citra meritum, quis est, qui impune patitur? Insunt præsagiorum mortis historiæ *Centuriis* nostris, quas *Actorum Eruditorum* pag 346. & seqq. recensitas invenies. Eas vero quietas esse passus est, passione animi adversus me tantum exardescens Censor, nec in illas, ut in meam innocentiam tam severe animadvertit: an privato mei odio, an alius aperte mihi infensi inimici, quorum nulli nocui, amore, cui fortasse unguis, ut ajunt, in ulcere fui, in medio relinquo. Ad minimum oppugnatæ famæ meæ ulterius deesse nolui: Quod si ne dum acquiescat adversarius, protelandis jurgiis tempus inutiliter non conteram, quæ ad evincendas rerum omnium essentias non minus valent, quam Næniæ præficæ ad excitandos mortuos. Ad ardua magis sollicitor & aliorum negotiorum percurationem, quæ ad *impetuosa* etiam modestum mihi *silentium* suaserunt. Hoc *lupercal* mihi sit, cœtera frivolissimam rem & nauci pretii signum censeo, quamvis nec deesse confidam similes labris lactucas, nec latere mihi media, quibus adminiculantibus magnum videri volentem non modo ad veram *mensuram* redigere, sed infra etiam contrahere non multum operis & laboris foret. Amicitiam redamo, non offensas, quibus porro, qui contendere gestiet, ipsam increpet naturam & me missum faciat.

Plura persequi neque est hujus loci, neque temporis, Epistolæque statuendus est modus. Nulli ego succenseo, judicet de soni causa, qui volet & quæ velit: de circumstantiis ne dubitet obtestor, qui omnia hæc in silentio & spe potius committere primæ omnium causæ Deo, quam subtilibus commentis inquirendo teme-

temeritatem prodere conſtitui mecum, ac æternæ Creatoris omnium rerum Sapientiæ, Bonitati, Potentiæ nihil derogatum cupio, quin potius hoc ipſo confirmo. Nec minus miraculum erat naturam olim creaſſe, verba *Th. Brovvnes* ſunt, quam ejusdem jam creatæ ordinem aut mutare aut tranſcendere, quæ omnia ab extraordinaria divinæ dextræ potentia proficiſci poſſunt; illa res omnes pari facilitate tranſigit, illa non difficilius totum mundum, quam unam aliquam creaturam creaverit. Anguſtis nimis finibus coarctat, quisquis ſuæ tantum mentis *quadrante metitur* divinæ potentiæ *altitudinem*, quæ certe non ſemper ad *normam* noſtræ rationis accommodatam, potius *ſtellam errantem* dixerimus, eamque non minus ac luminaria magna ſuam ſæpiſſime pati *Eclipſin*. Amare quidem Benignitatem Numinis ſeu quod merentur homines, ſeu quod tangitur eorum affectione, his quoque rationibus prodere, quæ impendent *Ammianus Marcellinus c. 21.* citante *Voëtio* loco citato, judicavit: cum quo propterea nulla mihi lis eſto. Verum cum eodem Clariſſimo Auctore *Voëtio* in omnibus naturæ operibus & miraculis reverentiam magis & admirationem Numinis conſidero, quod eapropter mentem labi & obſtupeſcere nusquam præcipit, nec omnium ſignorum naturalium epicuræum faſtidium & cyclopicum contemtum. Hic naturæ Auctor, Ens entium independens, prima mihi intelligentia eſt, ad cujus ſapientiſſimum nutum & directionem inevitabilem horam, quæ quaſi ſaxum Tantalo unicuique impendet, ſuo tempore libenter & æquo animo ſuſtinere geſtiam, ſive præceſſero Cenſorem ſive ſecutus fuero.

Non addam aliud, niſi ut a *Vobis*, ad quos meam conſcribere auſus ſum epiſtolam, *Per-Illuſtris*, *Magnifici*, *Excellentiſſimique Viri*, ſumma ope contendam, ut quo meos antea favore dignari cœpiſtis conatus, eorum defenſionis tædium ne *Vos* obrepere patiamini, ad quam me invitum & nolentem impuliſſe Cenſuram ipſi cognoviſtis: ſique forte non ea, qua fieri oporteat & a me exſpectaſtis, attentione ſatisfeci *Vobis*, non ex mea la-

lacinia, ſed pretio ſuo & proprio cultu invictam judicetis veritatem. Animadverto, dum ſcribo hoc ipſum, animadverto, inquam, Favoris *veſtri* auram, qua ſub quibuscunque fluctibus navigantem ſalvum me inoffenſumque ſentiam. Valete ut meriti! *Vratislav.* die 24. Sept. A. O. R. MDCCXII.

DN. JOH. SIGISMVNDI HENNINGERI.

M. D. & Prof. Publ. Ordin. Argentor. nec non Capitul. Thoman. Canon.

De

Vaſis Lacteis

&

Modus novus inveniendi ductum thoracicum in corpore humano.

CVm ſuperiori Anno Dominus Menhardus Carolus Euler/ Landavienſis Med. C. ſub meo ductu & præſidio de Meſenterio diſputationem conſcripturus & defenſurus, Meſenterii ſtructuram in cadaveribus pluribus humanis, in Theatro noſtro Anatomico perquireret, ut quæ ibi traditurus eſſet circa Meſenterii deſcriptionem, non aliena fide ex libris tranſcriberet, ſed oculatus teſtis reiterata inſpectione certior redditus proponeret : Ea quæ tum temporis circa vaſa lactea nobis occurrebant digna viſa ſunt, quæ transmittantur, utrum forte digna judicentur, ut Ephemeridibus inſerantur. Nam etſi, quod ad vaſa lactea attinet, adcuratiſſime ea tradita jam ſint ab Anatomicis, cum tamen frequentius eorum deſcriptio deſumpta ſit ex corporibus brutorum, quam hominum, breviter hic de iis dicemus, ut in homine vere ſeſe habent. Et quidem d. 24. Julii 1714. in virgine ex gangræna femoris emortua, in qua omnes humores in motu expan-

expanſivo conſtituti, partes continentes, vaſa venoſa inprimis, inteſtina cum ventriculo, lienem, peritonæum prope renes, cor, pericardium, pulmones, flatu turgefaciebant; ubi ſequentem raram & notatu dignam obſervationem habuimus.

Vaſa lactea chylo turgida in ipſa ſubſtantia inteſtinorum repræſentabant egregios ramuſculos lacteos, & quidem magis conſpicuos, quam ramuſculos venoſos, & non tantum majores ramuſculos exhibebant, ſed etiam arcus egregios inter ſe formabant, per tunicas inteſtinorum transparentes. Dum progrediebantur hi ramuli inteſtinis adhuc adhærentes, ſingulas venas duplici ramo comitabantur, & amplexabantur. Vbi ad Meſenterium pergebant, magis variis & diſparibus, quam venæ & arteriæ ramificationibus (per modum fere nerveorum plexuum exporrecti) in plures ramos majuſculos in ſuperiori & inferiori meſenterii lamella properabant ad centrum Meſenterii. Si vero accuratius eorum progreſſus attendatur, reſpectus glandularum maxime in conſiderationem venit, quas in media fere planitie ingrediuntur, ut exinde etiam, mediante flatu & injectione, manifeſtius ipſæ glandulæ impleantur, eoque ipſo ſubſtantiam ſuam prodant: præterea etiam multa vaſcula prætergrediuntur has glandulas pergendo ad vaſa inſigniora. Clariſſ. Thom. Wharton Adenograph. c. 8. p. m. 33. egregie, quomodo vaſa lactea in glandulas inſerantur, deſcripſit, cujus verba digna ſunt, ut hic apponantur, inquit: Venæ lacteæ in ipſo introitu in glandulas, vel paulo ante ramificantur denuo, id eſt in plures minores venulas dividuntur, ac ſubdividuntur, demumque in ipſa glandulæ ſubſtantia obliterantur. Hæc iterata ramificatio, quanquam diligenter inſpicienti valde eſt conſpicua, Aſellius tamen, Walæus, Conringius, Bartholinus & Pecquetus ejusdem, quod ſciam, nuſpiam meminerunt. Venæ lacteæ capillares, poſtquam ita in glandularum meditullio evanuerunt, mox ex ipſo eorum parenchymate novæ capillares prodeunt, quæ ſubinde coëuntes, truncum denuo, ut antea conſtituunt, qui verſus Meſenterii principium delatus, in tranſitu ſuo alias venas ejusdem generis ei obvi-

am factas sibi associat, adeoque plurimum augetur. Omnes hi trunci e variis glandulis prodeuntes, tandem in communem chyli receptaculum exonerantur. Hæc uti Whartonus descripsit, ita exacte se habere conspeximus.

Vidimus hæc vasa lactea non tantum hac occasione, sed alia etiam luculentiora, numerosiora, pleniora, chyloque turgida, in aliis tribus subjectis, quæ nobis viam constantem aperuerunt demonstrandi vasa lactea, uti vocant, secundi generis, quæ etiam Encheiresin facilem, non impeditam subministrat ductum thoracicum præparandi, inflandi, injiciendi ac demonstrandi. Nam alia denuo occasione in centro Mesenterii notavimus, quod quatuor præ omnibus aliis, rami vasorum lacteorum secundi generis in conspectum veniant, quorum alii quidem penitius latent, alii manifeste magis adsunt, singuli vero remotis removendis longitudinem suam exhibent duorum aut trium articulorum, hinc ampliora fiunt, ut apta evadant, quo mediante tubulo mediocri inflari uno actu sufficienter possint. Id quod præstitimus in hydropico virili subjecto, hoc jucundo spectaculo, ut flatus non solum integrum receptaculum lumbare cum ductu thoracico, turgens faceret sisteretque, sed etiam simul multos alios ramos lymphaticos ab inferioribus partibus dictum receptaculum incurrentes manifestaret.

Patentius vero oculis vas lacteum ex quatuor modo nominatis offenditur, prope & sub primum ramum venæ Mesentericæ, per quod non solum flatum, sed etiam liquorem ad cisternam lumbarem & plus ultra immisimus. Vbi notatu dignum accidebat, quod flatus regurgitaret ex receptaculo in proxima majora vasa lactea & lymphatica, non obstantibus valvulis. Descriptum patentius vas lacteum venam supra se & arteriam infra se habet, hac situatione, ut postmodum custoditum ramulis nerveis, factis quibusdam divaricationibus ac circulis, ad receptaculum properet. Reliqua tria vasa lactea insigniora (quorum unum cætera amplitudine excellit, sed inferius jacet) circa eandem congeriem nervosam reperiuntur, qua plexus nervei arteriam

meſentericam ac cœliacam comprehendunt ac ambiunt. Hoc quoque hic advertendum, dum hæc quatuor vaſa majora, cum quatuor aut quinque aliis exilioribus lacteis ſingulatim ſeſe in alveum communem exonerant, deſcendendo ſuam inſertionem perpetrent, hac ratione, ut ſupra aortam, infra arteriam emulgentem pergentia demum in locum ciſternæ ſuper ſecundam & tertiam lumborum vertebram immediate inſerantur.

Subſtantia vaſorum chyliferorum primo aſpectu videtur ſimpliciſſima, cum ſit admodum tenuis & inſtar cryſtalli pellucida, ſi inflantur aut humore quodam implentur. Quando vero adcuratius examen inſticuitur, omnia hæc vaſa chylifera, uti & reliqua lymphatica, conſtant ex duplici tunica, utraque tenui, ita ut ad imitationem venarum in vaſis minoribus tenuiores, in majoribus craſſiores reperiantur. Et ſic ſubſtantia receptaculi lumbaris atque ductus thoracici ita proportionata eſt, ut præ canibus, multisque aliis brutis, in hominibus ſufficienter craſſa ac robuſta evadat.

Quod valvulas lacteorum concernit, illæ numeroſiſſimæ & parva diſtantia a ſe ipſis diſſitæ occurrunt, & quæ tam ex immiſſo flatu, quam injecto liquore extrinſece adverti poſſunt. Vbi vero animus eſt ipſarum ſtructuram ac figuram adcuratius perſpicere, nulla aptiore Encheireſi repræſentari per experimentum certi ſumus, quam ſi vel vaſa lactea majora, vel ciſterna lumbaris cum ductu thoracico ſolitarie aut conjunctim inflentur, & exſiccentur, per modum aliorum canalium valvulis præditorum, e. gr. venarum, inteſtinorum. De quibus Freder, Ruyſch. in epiſt. probl. & Theſaur. Anatom.

Vaſa lymphatica propria a chyliferis diſtincta meſenterium habet nulla. Nam quæ ex hepate, partim in receptaculum, partim in ipſum ductum chyliferum decurrunt, non proprie Meſenterii terminis includuntur, ſed prope pancreas a latere Meſenterii centri progrediuntur, moxque loco magis ſuperiori inſinuantur.

Vaſorum lacteorum uſus eſt, chylum ex inteſtinis recipere, qui in inteſtina in vaſa chylifera tranſit, per modum tranſcolationis ſeu filtrationis, relictis in inteſtinis partibus fæculentis craſſioribus. Et ſic in his vaſis demum ſub forma chyli, per tunicas vaſorum pellucens conſpicitur; hiant vero inter membranas inteſtinorum ſeſe inſinuantia vaſa lactea, ut oſculis ſuis chylum in ſe recipere poſſint, ſemel vero receptus regredi amplius nequeat, ad quam receptionem motus periſtalticus multum ſimul confert, ut ad transcolationem compreſſio ſimul accedat, ut eo facilius chylus oſcula ſubire queat. Inde expeditiſſima via valvulis recurſum prohibentibus & novo ſubinde appellente chylo promovetur in proximas meſenterii glandulas, dum in via pluribus ſubinde ramulis ejusdem generis occurrentibus, in majuſculum trunculum coëunt, priusquam in glandulam ſe inſinuant, Ab hiſce glandulis vaſa lactea ſecundi generis omnem chylum recipiunt, & in receptaculum chyli invehunt. Ita omnis chylus, qui per vaſa lactea devehitur, ad receptaculum chyli, non ad alias partes defertur.

Vti nonnulli putarunt chylum in has glandulas delatum, inde mixto aliquantulo ſanguine ad venarum ramulos deponi, per portam hepati adducendum. His enim nulla avtopſia favet.

Eadem vaſa lactea lympham quoque ab inteſtinis refluam, eadem via in receptaculum chyli amandant.

Cum itaque in inveſtigatione Meſenterii ejusque vaſorum in cadaveribus humanis occupati eſſemus, ac Nobil. & Præcell. Dn. Daniel Kisling, in anatomicis verſatiſſimus & exercitatiſſimus, opem ſuam ſuppeditans, vaſa lactea per Meſenterium verſus receptaculum tendentia adcuratius examinaret, hac occaſione dum vaſa lactea conſpectiora ſe ſiſterent, Nova Encheiriſis ſubminiſtrata per dicta vaſa lactea ſecundi generis, ductum thoracicum præparandi, inflandi ac demonſtrandi. Hic itaque ſubjicimus in dictorum fidem, ductum thoracicum integrum, cum annexis vaſis lacteis, quæ in receptaculum tendunt, a primo ſuo ortu, pro-

greſſu



J. A. Seüpel Sculp.

greſſu & inſertione in venas. Et quidem omnia in naturali ſua magnitudine hic repræſentantur adcurate delineata & dimenſa, prout ex cadavere extracta fuere, cum ſitu ſuo naturali, qui ductus adhuc integer oculis exhiberi poteſt.

INDEX FIGVRÆ.

A. Vas lacteum, per quod injectum.

a,a.a.a.a. Vaſa lactea majuſcula cum minori.

B. Receptaculum lumbare, ſecundæ vertebræ lumborum incumbens, ſub remota aorta.

b.b.b.b. Vaſa lymphatica, a partibus adjacentibus & inferioribus, qua arteriæ emulgentes exeunt, incurrentia.

c.c.c.c. Vaſa lymphatica, a lateribus incurrentia.

C. Ductus thoracicus, a ſecunda lumborum vertebra ſub tendine diaphragmatis incipiens, moxque in thorace inter aortam deſcendentem & azygon decurrentem ſuper dorſi omnes fere vertebras, donec a quarta in ſublime ſurſum feratur in locum inſertionis venoſum.

D. Canales flexuoſi, ac in varios gyros contorti majores ac minores, circa primam lumborum ac ultimam & penultimam dorſi vertebram obvii.

E. Similes canaliculi tortuoſi, vertebræ 6tæ ac 5tæ ad 4tam usque dorſi incumbentes.

F. Bifurcatio admodum longa, aut quaſi gemina, a 2da dorſi vertebra ſub œſophago ad inſertionem usque protenſa.

G. Inſertio ductus thoracici hic ſimplex, cum alias duplex, & quidem non præciſe in ſubclaviam, ſed in trivio aut quadrivio, nempe (d) ſubclaviæ (e) jugularis (f) axillaris ac (g) cervicalis, tribus prioribus expanſis & extra ſitum locatis, ut inſertio ac valvula ductus tho-

thoracici in conſpectum majorem veniat, excepta cervicali adhuc clauſa.

H. Valvula, inſertioni ductus thoracici appoſita, ac verſus venam axillarem reſpiciens.

I. Vertebræ colli, nempe 3. 4. 5. 6. 7.

K. Vertebræ dorſi duodecim, nempe 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

L. Vertebræ lumborum 4tuor priores, nempe 1. 2. 3. 4.

M. Truncus aortæ deſcendens in thorace ſitus, utrinque abſciſſus.

N. Ejusdem continuatio in abdomine (h) cum Cœliaca, (i) meſaraica ſuperiori, (k) duabus emulgentibus (l) & meſaraica inferiori.

O. Vena azygos.

Hæc ſunt, quæ de Methodo ductum thoracicum inveniendi proferenda duximus, hacque ratione conſtanter inveniri poteſt, ſicut id poſtmodum quoque in aliis cadaveribus compertum fuit.

DN. D.

Dn. D. VITI de BLISCHER,

Med. Cæſar. Comit. Palat. Phyſic. ordin. Auſtr. ſuper. & Senior.

OBSERVATIO PHYSICA

De

Gemellis cum utroque latere usque ad umbilicum concretis.

ANno 1714. Menſ. 24. Maji peperit Eva Maria Hagerin, Vxor Lanionis in ſuburbio Lincenſi Gemellos, unum, cujus caput ab Obſtetrice, corpore adhuc in utero exiſtente, ſacro Baptiſmâte lotum, qui paulo poſt vivere deſiit, alterum vero ex ſiniſtra parte, in utero ſuffocatum viſum, notato tamen aliquali motu, ſub conditione baptizatum fuit. Viſa hic, poſtquam excluſus de ventre matris partus jacuit, duo capita, naturali perfectione formata, utrumque proprio collo, in uno corpore eminere, ſiquidem ex anteriori aſpectu corporis ſuperioris, binæ ſolum mammæ & unus umbilicus comparebant, cum nihilominus uterque Geminus duo brachia, duos pedes, & quando ſupini obvertebantur, duas dorſi ſpinas, duo inſuper membra virilia, cum teſticulis ſuis, & duobus anis, in conſueta corporis organico phyſici forma demonſtrarent. Partus hic (quem, quia nihil contra naturam, nec ab homine alienum in illo inveni, non monſtroſum, ſed præternaturalem dico) fuit, antequam res innoteſceret, 25ta ejusdem ſepultus, quapropter die proxime ſequente licentiam ad exhumandum petii, quam cum reverendiſſimus Dominus Decanus, & Vrbis noſtræ Parochus in ſua poteſtate ſitam non eſſe reſponderet, accelerato libello ſupplici, a Celſiſſimo principe Epiſcopo Paſſavienſi obtinui; ad remorandam autem intermedio tempore putrefactionem, Muriam ex ſale marino, aceto deſtillato, & herbis aromaticis confectam affundendo, concreta corpuſcula,

cula, in pelle & carne integra, usque ad diem exenterationis, quæ trigesima Maji erat, conservavi.

Autopsia ob nimium calorem fuit festinando peracta, in Præsentia Excellentissimi D. D. S. R. I. Comitis de Thyrheimb, Consiliarii Intimi Cæsarei, Austr. Super. Capitanei Supremi. Prout & Inclytorum D. D. Statuum Deputati Collegii p. t. Præsidis Illustrissimi Domini Baronis de Clam, in Supremo hujus Provinciæ Tribunali Consiliarii Cæsarei, nec non diversorum Illustrissimorum ac Gratiosissimorum Dominorum, Dominorum, ut & Collegii Medici & Chirurgici. Operationem Chirurgicam Primipilarem egit Prænobilis ac Expertissimus Dominus Georgius Sigismundus Lechel, Austr. Sup. Chirurgus ordinarius in arte famosus. Erant Gemelli hi extraordinariæ longitudinis & latitudinis, sat carnosi, & oculo Autopsico teste, omnes fere musculi tam abdominis, quam pectoris adipe tecti. Placenta erat una, satis magna cum suo ligamento nodoso, ubi post Examen umbilici vasa ordinaria, tam Arteriæ, venæ, & alia ligamenta dextrorsum, sinistrorsum ad vesicam utramque, & sursum ad hepar percurrebant. Elevatis musculis abdominis apparebat Peritonæum, & ab umbilico tendebatur membrana insolita tenuis, intestina ab intestinis separans, nec non gibbæ parti hepatis usque ad diaphragma firmiter adhærens. Hepar sat magnum, ex unico lobo in medio situm erat, ita ut pars una ad Petrum, altera ad Paulum spectare videretur, in utraque parte concava, tam a dextra quam a sinistra habebat hic lobus suam venam Portæ, vesiculam fellis, & lienem ex utraque parte, ut & ventriculos duos. Renes bini in utroque cadavere, una cum venis, arteriis, ureteribus, vasis spermaticis, Prostatibus, parastatibus, testiculis, scroto & pene sat magno. Intestina tam tenuia cum duodeno, Ileo, jejuno, colon, cæco & recto, &c. erant ab illa membrana, de qua supra mentionem feci, separata: Diaphragma unicum sine membranula, & mamma una in utroque, sicuti ex delineatione videre licet. Elevato osse sterno, visebatur cor unicum, sed præter naturam latum non longum, in medio situm, ita ut quasi media pars cordis in pectore

Petri,

Petri, altera in Pauli jacere videretur, ex alterutra parte, parvum & unicum lobum pulmonis habens, ſine Mediaſtino: Inveni tamen tandem quatuor capſulas, vel ventriculos cordis, duos ex utraque parte, taliter, ut quemadmodum Petrus habebat ex ſua parte duos ventriculos, una cum ſua arteria magna & vena cava, ſic & Paulus ex altera; ita ut ſanguis illorum vix commiſceri potuiſſet in ſyſtole & diaſtole. Oeſophagus deſcendebat ex utraque parte ad ventriculum, & arteria aſpera ad pulmonem. In capite, una cum ſuis partibus ſubjacentibus, collo, cervice, ſcapulis, ſpina dorſi & brachiis, nihil extra ordinem naturæ ſolitum, notatu dignum inventum eſt: ſed omnia hæc erant naturaliter conſtituta, præter compreſſionem capitis, quæ difficultati partus adſcribenda. Ejusque dolores ex eo judicandi, quod de ſcapula Petri dextra, ad ſcapulam Pauli ſiniſtram menſura, quatuordecim latos pollices adæquans, interceſſerit, adeoque per neceſſarium conſequens, commiſerando dignoſcendum, quam violenta vulvæ & uteri dilatatione concretos hos Gemellos plena anguſtiis Puerpera, eniti debuerit, quæ tamen usque modo per DEI gratiam, ſine procidentia uteri, & urinæ ſtillicidio, vivit incolumis. De reliquo, quod Partus hic præternaturalis duas habuerit animas rationales, licet unum cor, & unum hepar tantum habuerit, nullus dubito.

Quæſtio tamen moveri poſſet

I.

An ſanguis Petri, cum ſyſtole & diaſtole potuiſſet Paulo communicari?

II.

An motus cordis in utroque fuiſſet æqualis, in celeritate, vel parvitate?

III.

An ſanguis Petri corruptus, potuiſſet communicari Paulo per

ramos venæ Portæ majores & minores, qui totam ſubſtantiam hepatis hinc inde percurrebant?

IV.

An Chylus & Chymus ab hepate Petri attractus, potuiſſet per anaſtomoſes venarum & arteriarum Paulo communicari?

V.

An Catharticum a Petro ſumptum etiam Paulum purgaſſet?

VI.

Si Paulus fuiſſet infirmatus, annon & Petrus, propter venas & arterias per totum pectus, abdomen & dorſum hinc inde ſparſas?

VII.

Si Petrus fuiſſet mortuus, an eapropter etiam Paulus debuiſſet mori, ob cordis motum ex una parte abolitum, & hepatis mortui cum vivo unionem, vel an corpore Petri putreſcente nihilominus Paulus potuiſſet vivere?

VIII.

Quare in Epigaſtrio fuerit inventa membrana ſeparans intestina, & non in pectore ſeparans pulmones?

IX.

Quid de reſpiratione ſentiendum? an æqualis in utroque, propter unicum diaphragma, & cavitatem pectoris indiviſam, an inæqualis potuiſſet fuiſſe?

X.

An ſedes animæ ſit in capite vel in corde?

XI.

Poſito, quod partus hic, ob cor unitum, unicam tantum ha-

habuiſſet animam, an duas contrarias actiones potuiſſet exercere e. g. velle ſumere Medicinam uno ore, aut capite & altero nolle?

XII.

An eadem anima propter duplex caput, aliosque ſenſus duplicatos, per quos ſpecies objectorum immittuntur ad intellectum, potuiſſet eodem inſtanti duas cogitationes concipere, aut per memoriam quorundam recordari, & eorum obliviſci?

XIII.

Poſito autem, quod in hoc Partu fuiſſent duæ animæ diſtinctæ, an utraque anima fuiſſet tota in toto & tota in qualibet parte cordis, per conſequens, an eadem pars cordis potuiſſet naturaliter animari a duplici anima?

XIV.

An vehemens imaginatio, aut interna afflictio vel commotio Petri potuiſſet Paulum infirmare, aut ad iracundiam commovere, idque propter cordis conjunctionem & continuationem?

XV.

An Petrus ſomnium Pauli ex cordis ſui certa diſpoſitione ortum, etiam ipſe ſenſiſſet?

XVI.

An omnem ſenſum & tactum cordis Petri etiam Paulus ſenſiſſet, cum juxta Phyſicos detur unicus tantum ſenſus tactus per totum corpus continuum diffuſus?

XVII.

An Paulus potuiſſet ex lætitia profundere dulces, & Petrus ex dolore amaras lacrymas: cum hi affectus diverſi, diverſo motu cordis, ejusdem dilatatione ſcilicet aut compunctione cauſentur?

XVIII.

Vter amborum, Petrus an Paulus, ſibi illud cor in reſurrectione mortuorum vendicaſſet ? adeoque ſi Petrus ſalvandus, Paulus damnandus fuiſſet, utrum cor ſuo præmio donandum in cœlo, an vero cum Paulo in inferno pœnas luiſſet?

XIX.

An Petrus & Paulus habentes unum cor, juxta jura valuiſſent pro duobus teſtibus?

XX.

An contractus, quem Paulus feciſſet cum Andrea, diſſentiente Petro, fuiſſet validus?

XXI.

Si Petrus committeret homicidium, invito Paulo, quomodo puniendus?

XXII.

An Petrus ſe ipſum ſuffocans vel interficiens fuiſſet reus duplicis homicidii? Hæc & plura alia, quæ hic moveri poſſent, indaganda relinquo per-Illuſtribus ac Magnificis D. D. Phyſicis, Naturæ Curioſorum Collegis digniſſimis. Dabam ex Muſeo meo Lincii 2. Junii Anno 1714.

)o(

Animadverſiones nonnullæ circa Eclipſium Obſervationes

DN. JO. GABR. DOPPELMAIERI,
Mathem. PP. Noribergenſis:

INter Obſervationes aſtronomicas, ſi eas ex utilitate æſtimemus, quam præbent in ſcientiis mathematicis, Eclipſium obſervationes merito principatum tenent, hæ enim non tantum in Aſtronomia pro motibus cæleſtibus perdiſcendis, (hinc acutiſſimus Keplerus Eclipſes concinne perquam Aſtronomorum pædagogos appellavit,) verum etiam in Chronologia maxime ſunt utiles, quæ, ſi illæ facem ipſi præferant, hiſtoriæ lampas & veritatis antiſtes eſt, imprimis autem in Geographia, hæc enim iisdem ſuos debet natales, quod Meridianorum differentiæ & locorum longitudines ex iis collectæ ſatis ſuperque comprobant, quaproter, cum hujusmodi obſervationes tanti ſint momenti res, e re quoque erit, ut in iis habendis de ἀκριβείᾳ, quam ſectari omnes Aſtronomiæ cultores ſemper decet, magis magisque hactenus ſollicitus, quædam notatu digna hic tradam.

I.

Circa Eclipſes Solis obſervandas projectio corporis ſolaris per opticum tubum in cameræ cujusdam obſcuræ planum uſu ſemper fuit recepta: jam vero ſi eandem ſecundum Dioptrices leges nobiscum expendamus, non erroris immunem plane hunc obſervandi modum deprehendemus, imo experientia id ipſum facili negotio monſtrat, cum figuræ in planum aliquod per lentes vitreas emiſſæ ad latera videntur diſtorqueri, quod tamen non fit, ſi planum nonnihil inflectatur, hinc ratio omnino ſuadet, ut tale in figuram potius ſphæricam quam planam commutetur, prout retina, tanquam excipiens, in oculo naturali, qui camera obſcura eſt omnium artificioſiſſima, id nobis quoque exhibet. Verum

cum ſuperficies concavæ plus in deſignandis phaſibus faceſſant negotii quam planæ, hæ quidem ſervari poſſent, ſed tunc ſex circuli concentrici non in eadem inter ſe diſtantia, prout apud Aſtronomos hactenus obtinuit mos, ſed inæquali & verſus latera majori forent ducendi, cum radii luminis per tubi optici vitrum oculare in concavam ſuperficiem emiſſi, ſecundum Præcepta Dioptrica æqualem circulorum concentricorum admittant diſtantiam, at vero longius, ad planum ſcilicet, B C Figuræ 1. provecti, inæqualitatem aliquam a D verſus B & C majorem facile ad oculum demonſtrent, de cujus diviſione inæquali clariſſimus quoque Kirchius, Mathematici cujusdam inſignis monitu, in Miſcellaneis Berolinenſibus mentionem facit, quia vero modum, quomodo Solis diſcus in 12. partes inæquales pro ratione vitri ocularis ſit dividendus, non docet, ſequentibus hunc oſtendemus. Projiciatur imago Solis per tubum opticum in cameræ obſcuræ planum, ita tamen ut termini diſci ſolaris nitide appareant, capiatur circino quodam Solis diameter, (qui ſit in dicta figura, linea B C) nec non diſtantia intra oculare vitrum & planum, linea A D ad planum B C perpendicularis, ducantur in charta hiſce aperturis lineæ B C & A D & quidem tali modo, ut linea A D ad lineam B C perpendicularis eandem in D exacte ſecet bifariam, ducantur porro lineæ A B, B C & arcus P D Q, qui in 12. partes æquales diviſus puncta dabit, per quæ linea A E, A G, A I &c. ductæ, inæquales diſtantias in plano B C deſignabunt, & ſic mediante diſtantia D N vel D O, D L vel D M, D I, vel D K &c. circuli concentrici inæqualis diſtantiæ pro ratione foci, nam quo brevior, tanto inæqualiores partes erunt, in excipiente charta deſcribi poterunt.

Cum vero Eclipſium obſervationes etiam noſtris temporibus per novam methodum, a celeberrimo Caſſino pro Meridianorum differentiis inveniendis excogitatam, in Geographiæ emolumentum commode adhibeantur, novam pro his Machinam, quæ in quovis loco patenti, & aprico ſtatui poſſet, cum ſitus locorum ſæpiſſime anſam obſervandi cultoribus Aſtronomiæ præripi-

ripiant, in figura 2. depictam, & hic describendam trademus. Paretur autem hæc e laminis stanno obductis, quæ coni curtati referat figuram, cujus longitudo adæquet magnitudine 5. 6. pedes, latitudo vero in basi circuli unum pedem, hæc basis circularis loco laminarum muniatur vitro speculari, non nihil aspero, qualis esse solet antequam polituræ committitur, **wenn es noch matt geschliffen ist** / ut artifices loqui amant, per hujus medium ducatur linea A C, quæ per filum externum A B pro verticali in observando situ perpetuo obtinendo, possit regi, cum Spectatoris oculus pone dictam lineam ponitur, ex hujus medio ducantur, circini atramento vel cerussa instructi ope, circuli concentrici, ut supra dictum, inter quos maximus neutiquam excedat magnitudine illum, quem in plano perquam lucidum auxilio tubi optici D E observamus, qui discus solaris erit.

II.

Circa Eclipsium lunarium observationes usu quoque hactenus fuit comprobatum, per tubos opticos cujuslibet magnitudinis illas rimari, verum si experientiam, qua edoctus satis superque cognovi differentiam in Tuborum magnitudine adhibitam, differentiam quoque in observando præbere, in subsidium vocem, Hæc nobis injunget, ejusdem magnitudinis tubos ubivis locorum esse sumendos: aliquot enim abhinc annis deprehendi, cum in Observatorio nostræ urbis, cum Amicis quibusdam Astronomiæ apprime deditis, Lunari invigilarem Eclipsi, unum, qui minimum possidebat, umbram terrestrem maculæ cuidam celebriori jamjam imminentem vidisse, quod vero nondum alteri, multo minus mihi, quia alio majori instructus eram, cernere fuit datum, hinc facile colligere potui, quod quo majores & perfectiores adhibeantur tubi, eo quoque dilutiores minusque obscuræ appareant in corpore lunari termini umbræ terrestris exteriores, per minores vero & imperfectiores eædem partes, minores & in arctius spatium coactæ conspiciantur, quod differentiam utique in observando involvit, hinc merito æqualem tu-

borum

borum magnitudinem in his obſervationibus eligendam judico.

III.

Quod ad Eclipſes Circumjovialium attinet, circa has quoque notandum venit, quod Satellites, prout celeberrimus Caſſinus in Hypotheſibus & Tabulis Satellitum Jovialium ſecundo editis teſtis eſt oculatus, per breves imperfectiores Tubos, cum illi umbræ Jovis immergantur, multo citius ſe noſtro ſurripiant viſui, quam per magnos & melioris notæ, & quod in emerſionibus luminis recuperationem per parvos tardius, quam per illos majoris extenſionis in Satellitibus percipiant Obſervatores, ratio hujus facile in promptu eſt, quod nempe illi majores ſpatium exiguum lumine præditum, ob multiplicationem, & amplificationem anguli viſorii, magis viſibile quam minores reddant, hinc res omnino etiam ſuadet, ut Tubi æqualis menſuræ in hiſce obſervationibus adhibeantur.

Optandum igitur foret, rebus ſic comparatis, ut omnes, qui Aſtronomiæ operam navant, de certa Tuborum in quovis genere Eclipſium quantitate, etiam in Eclipſibus Solis unanimi conſenſu inter ſe convenirent, & pro ſolaribus v. g. eclipſibus Tubos 4. vel 5. pedum, pro Lunaribus 9. pedum, pro Circumjovialium Eclipſibus 18. pedum, quæ trinæ magnitudines in ſuo genere præſtantiſſimæ forent, una cum focis tam lentium objectivarum quam ocularium ſub certa menſura conſtituerent, ſic enim tanto magis in obſervando obtinebimus ἀκρίβειαν pro majori Aſtronomiæ & Geographiæ incremento.

)o(

EPI-

EPISTOLA

Nob^mi DN. D. SAMVELIS LÖBERI,

Sereniſſimæ Duciſſæ Saxo-Weiſſenfelſenſis Viduæ Conſiliarii & Archiatri, Conſulis & Practici.

ad

Excellentiſſ. DN. D. MICHAELEM ERNESTVM ETTMVLLERVM, Med. Profeſſorem publicum Lipſienſem.

Excellentiſſime atque Experientiſſime Domine, Affinis honoratiſſime.

CVm ante aliquot ſeptimanas Lipſiæ te viſitarem, exhibuiſti mihi magni Malpighii brevem locuſtarum uteri deſcriptionem, quam quidem admirabar, calculum tamen meum ad ejus ſententiam confirmandam addere non potui, cum locuſtarum harum corpora anatomice, quantum poſſibile fuit, Anno 1693. evolverim chartæque earum ſtructuram demandaverim, quam impræſentiarum communicabo.

Non vero deſidero literis hiſce, tuas ſublimes, erudito dicatas orbi pergratasque Philiatris, erudiri per momenta cupientibus, meditationes interpellare, neque directa tua in clinicorum commodum ſtudia. Sed oro ſaltem, ſucciſiv s ut momentis blandientibus perlegas oculis, quas ad animi recre tionem mactationes ſuſceperim, incruentas vero, dum & ipſæ hæ beſtiolæ vero carent cruore.

Locuſtæ nimirum fuere, quarum ſibilationes alarum, ſtridentiumque ipſarum pedum crepationes noſtra implebant prata, rura montesque, hybernaque inter dumetorum & ſepimentorum umbram, remanſis ipſarum anteſignanis criſtatis, quas

vulgus fingebat, per infortunium forſan non procul a nobis captis, (quarum facies in ſcripto aliquo publico eleganter ficta ærique inciſa cernitur) petiere in proprium ſuorum detrimentum; tempeſtatis enim injuria ipſis ſat moleſta erat, dum omnes, quod earum ſtrata per montes ruraque corpora teſtabantur, interfecit.

Locuſtæ fuère, ſuperiori *ſeculo* noſtris in oris forſan non viſæ, quarum tot ſpecies ferme effingebantur, quot numerabantur, a ſuperficiali colorum diverſitate, modo pedes, modo aliam ipſarum partem occupantium, petitæ. Illæ fuere, de quibus dicebant, quod a cicadis noſtris, noſtra per prata & ſegetes ſalientibus, ſpecie ac qualitate differant: Etſi quoad prius ex parte concedi poſſit differentia quædam ſpecifica, certe parva erit, cum æque in noſtris inveniatur cruſta illa, galeæ ſpeciem referens nimirum, labium ſuperius duos illarum dentes molares, cæruleos, nigros, magnos, in utroque latere ſitos, obtegens, ne cibus inter illos terendus ac maſticandus denuo in terram procidat; nec noſtris deeſt involucrum illud, quod collaris monachalis gerere formam putatur, & tum noſtris tum advenis pro fulcro eſt, ne tergum & caput, eo abſente, collabatur.

Illæ fuere, quæ omni nervo, oſſe, carne, (habent enim tantum carnem, quæ inter cartilaginem & nervum ſit media) &c. carere, a quibusdam credebantur, omnia ſuperficialiter modo conſiderantibus, unde tandem cœcus illorum fœtus, præmature in lucem editus, non immerito, illis anatomiæ penetralia penitius inſpicientibus, ludibrio erat.

Illæ fuere, quæ ſtridorem dentibus ſuis nigricantibus, quos molares merito dicas, profibilare dicebantur, cum tamen illum extremorum longorumque pedum femoribus facerent, quibuscum corporis latera fricabant, quod non ſemel obſervavi, imo, quotiescunque ad iram illas provocabam, toties quatiebant latera vel femore utroque vel uno ſolo.

Illæ fuere, quarum capita hirſuta pronunciabantur ob bina illa cornua geniculata, dura, in facie ſub oculis apparentia, illisque

que etiam invitis, fœminarum crinibus, ſimilia; Quæ vero fœmina ſuos movere crines poſſet ſurſum, deorſum, antrorſum, & pro ipſius lubitu retrorſum, niſi manum admoveat; non vidi.

Illæ ſunt, de quibus referebatur, quod earum lingua ſit valida ac dura; cum tamen hæc ſit membranula tenuis, concava, verſus gulam auguſta, anterius vero acuminata. Imo inteſtinum habere non unum, ſed flexuoſum ac replicatum dicebantur: quod certe contra autopſiam aſſerebatur omnem. Ruit quidem ingluvies horum animalculorum per pectus, per alvum, attamen nec inflectitur, nec replicatur, ſed recta linea a principio, ore nimirum, usque ad anum extenditur, ubique una craſſitie & amplitudine gaudens, nullus in ea conſpicuus eſt ventriculus, vel locus, ubi cibis remora datur; nullumque receptaculum, quo concoctio Chylique elaboratio, ut in aliis animalibus, ſecundum naturæ præcepta fieri poſſit, excepto ſolo corde, quod ipſi adnexum cernitur.

Muſculus enim hic, cor nimirum, qui ad ſanguinis ſeu liquoris nutritii diſtributionem natus, ipſi adnexus cernitur, dum œſophagus, pectus per collum ingreſſus, admodum craſſeſcit, adeo ut ſi obiter conſideretur, forſan ventriculi nomine inſigniri poſſit: Aſt longum abeſt! ſiquidem nodum hunc conſtituunt ſex lobuli, eleganti ſerie inteſtinum circumdantes, non niſi per vaſa ex ſingulis prodeuntia inter ſe cohærentes, firmiterque non ab omni parte, ſed ſaltem ſuperiori illi inteſtino ſcilicet adnexi, exiſtunt, ita quidem ut adhuc inferior, longior ſuperiori prominentia, imo craſſior appareat. Similis vero eſt horum lobulorum ſemini cumini forma, attamen illo multo longiores & craſſiores ſunt, color interim eſt cinericeus.

Dixi, quod ſuperius tantum adhæreant huic inteſtino, ſuperior vero & inferior horum muſculorum pars libera ſit; quod per avtopſiam facile demonſtrari poteſt; dum nimirum cultelli manubrio vel alio obtuſo eleventur inſtrumento. Imo elegantius ſe hi offerunt, ſi ex ſuo alveo ingluvies hæc in chartam protrahatur,

tur, dictoque modo tractetur, quando ad medium horum quis pervenerit, tunc sine ejusdem lobuli dilaceratione ab intestino semovere non poterit, laceratione vero facta, effluit vel exsudat guttula certe parvula lucidi cruoris, qui sine dubio per partes corporis omnes, mediantibus vasculis illis minimis filum triplicatum bombycinum æquantibus, distribuitur; siquidem unusquisque dictorum superius lobulorum, duos imo plures ex superficie sua dimittit ductus, ex eorumque medio prodeuntes, qui declinato cursu ad latus se flectunt, & dum unus alterum osculando excepit, simul modo huic, modo illi suum nectar membro largiuntur. Interim pulsum vel motum contractorium vel pressorium observare in illis non potui.

Intestinum e pectore egressum nullo repando cursu aut flexuoso, sed recto ad exitum properat; per cujus ambitum hinc inde filamenta ad eorum vasculorum similitudinem, ex lobulis cordis prodeuntium, disseminantur, quæ succum ex illo nutritium quasi sugunt, & modo & motu mihi incognito illum aliis partibus communicant. Ne vero lacuna detur inter contentas continentesque partes, provida natura (cavitatem enim abdominis insignem, stercorarius hic canalis non explet,) æque ac fœmellarum, marium, generationi dicata organa, hac in carina seu infimo quiescere ventre voluit.

Cavitatis hujus sive alveoli externa facies navi comparatur optime: sicuti illa ex alveo tectoque composita est; ita & harum bestiolarum venter ex duobus insignioribus componitur fragmentis, uno superiori tectum, inferiori vero carinam, præsentantibus; quorum superius inferiori incumbit, inferius vero, ne collabatur, præter sui generis cutem, qualem & vespæ habent, semicirculos osseos per singulorum articulorum squammatorum medium currentes, tenuissimisque ligamentis, integumentis adnexos, tecto que ablato ultro conspicuos habent; extenta nimirum paululum carina, ruptis vinculis, a suo designato per naturam loco recedunt, suosque apices cochlearium formam versus tergum habentes, offerunt.

Interim hæ duæ lamellæ, tectum & carinam constituentes, loricæ instar squammatæ sunt, a pectore ad anum usque, quæ proræ, cui penis tanquam in vagina inclusus est, in maribus formam habent, duabusque spiculis superius ornatæ ; in fœminis vero ex quatuor ambus sive spiculis osseis constant, quarum semper illæ duæ, superior & inferior, nimirum spicula, in uno latere sitæ, postquam paululum alvum ingressæ, coëunt & unicum os constituunt; quæ pubis ossa interne validis instructa sunt musculis, quibuscum antes hos modo extendere tum ad fecum depositionem faciliorem, tum ad congressum facilitandum, modo contrahere satagunt.

Hinc in antibus, ut ex jam dictis apparet, tanquam in involucro, utriusque sexus genitalium exitus quiescunt, juxta ac intestini canalis, cui incumbunt in maribus testiculi, pisi magnitudine, unica quasi inclusi membrana, in cujus medio fissura quædam deprehenditur, quæ horum dualitatem indicat ; nimirum si cultelli manubrio paululum dilatando dimoventur, nulla inter illos connexio per vascula, testes constituentia, videri potest. Sunt enim et horum animalium testes nil nisi congeries vasculorum, multis anfractibus inter se complicatorum, succoque albo turgidorum, quibus ex, duo dimittuntur filamenta super intestinum currentia, &, postquam ferme ad ejus exitum pervenere, flectunt se per latus ad prostatas; priusquam vero illas ingrediuntur, denuo reflexo cursu efformant vesiculas seminales inter se eleganter crispatas complicatasque, quæ vero prostatæ corpuscula sunt minima ad latera primi penis ossis sita : siquidem penis est corpus ex tribus constans ossibus, primo recto in alveo latente (referto vero alba quadam substantia) & cavo, altero falcato & ex alvo prodeunte, in cujus tergo crena cernitur, quæ canaliculo membranaceo subtilissimo expletur, per cujus & prioris ossis cavitatem genitura in uterum fœminæ salacissime succumbentis prosiliendo salit. Tertium os est hemi circulare, quod tergo suo annectitur interne ossi falcato, ubi vero versus interiora spectat,

hiat. Qualem uſum habeat, niſi ad inteſtini meliorem cubationem inſerviat, me latet.

Incumbit & inteſtino ſexus-ſequioris ovarium, quod ratione ovorum nunc majus nunc minus exiſtit: plus enim interdùm quam centum, interdum vero vix triginta in illo reperiuntur. Conſtituit hoc vero ovarium pellucida admodum membrana, ſuper inteſtinum modo expanſa, modo ob dictam rationem contracta, in principio verſus pectus ſeu medium ventrem rotunda & per totum ſui tractum cava, ubi vero ad exitum tendit, bicornis fit: per medium enim dividitur, duosque efformat canales rotundos admodum craſſos, pellucidos, liquore lymphæ ſimili refertos, per quorum aperturam inteſtinum tranſit; ſub quo vero denuo coëunt in unum corpus anguſtius, ductuque ſpeciali ad exitum properans, quo ſub ductu iterum corpus quoddam rotundum, album in gyrum convolutum, latet duos auricularis digiti articulos longitudine ſuperans, extenſum, & in cujus fine tanquam in centro capitellum conſpicitur ad ſeminis milii magnitudinem accedens, cavum quoque eſt, præcipue ab initio quadantenus craſſum, & corpus hoc conſtituit & uterum & ejus vaginam, quæ in antibus ſupra memoratis ſita.

Animalcula hæc quoties ex aëre ſe demittunt, toties coire cupiunt, veneremque exercere amant, ſiquidem ſtatim alter alteri inſidet, & ita dies noctesque cohærent, tandem ſi a natura ſeu ſpirituum humorumque turgeſcentia impelluntur cogunturque, caudam mas ſub fœminæ alvum flectit, penem ſuum falcatum in uteri vaginam intrudit, ibique per horas relinquit, ſi vero manuum admotione fortiori iterum dimoventur, tam ex uteri vagina refluendo, quam ex pene profluendo prodit ſperma lactis ad inſtar album: interim mas penem in priſtinum locum non retrahere, neque fœmina extentos contrahere antes poteſt, usque dum quaſi humorum fervor deferbuit. Liquaminis hujus ſeu genituræ effectus ſine dubio eſt, jamdum in ovario nata ova ſpiritu vivifico actuare & imprægnare, quo in lucem edita, aliquando nova exin progenies naſcatur. Hæc ſaltem lis adhuc

huc ſub judice eſt, quomodo uterus & ovarium inter ſe communicent, quia nullam vaſorum connexionem mihi obſervare licuit.

Figura horum ovorum eſt oblonga, tineárum ad inſtar caſeos exedentium, colorem habent luteum, non nigrum, uti noſtrates, *quod & Plinius affirmare dicitur*: unde miratus ſum, quosdam ſibi perſuaſiſſe, noſtris in oris ex atro apud nos relicto, prima ſtatim æſtate & autumno, ſemine, paſſim propullulaſſe juniores locuſtas; forſan fuere horum animalculorum ſtercora ſeu excrementa ſatis craſſa & nigra, quæ certe pedibus deſtituuntur, quæ pro ipſorum fœtura venditanda non ſunt.

Illæ interim ova lutea, non hæc, maturitate impetrata, i. e. cane vertente & autumno accedente, intra aliquot dies excludunt, non vero ſoli exponunt, ſed naturæ inſtinctu in terram defodiunt: & ſi ea in arborum frondes foliaque, imo ſaxa, deponere cogantur, ſtatim ab aëris ambientis injuria exſiccantur deſtruunturque, abſumta humidi nimirum radiculis copia.

Nempe hæ beſtiolæ rariorem quærunt terram & arenoſam, minusque compactam vel humidam, neque planam, ſed montanam, **da es abſchüſſig iſt/** ibi, ulnæ interdum quadrantis longitudine, foramina condunt, quorum amplitudo digitum recipit auricularem. In hæc, inquam, defodiunt ova ſua ordinata & quadrata ſerie poſita, mucoque albo ſpumoſo obducta, qui temporis tractu a ſubjacentibus ovis arenaque intermixta, luteum mutuat colorem, quo velamine externis ab injuriis illa defendere putant. Verum enim vero etſi peroptime, ad arcendos hoſtes externos involvant hæc ſpumoſo liquore & defodiant, nihilominus inſidiæ ipſis fiunt a liquore iſto ſpumoſo ovaque congluti-nante, qui temporis tractu cœloque pluvioſo, **und wo der Boden lettig iſt/** putreſcit & in novam verminoſam abit progeniem, quæ ova hæc, quibus pro muro inſervire debebat, conſumit, humoremque intus in illis contentum exſugit, hinc illo exſucto & conſumto fœtiſcunt, quicquid etiam in illis, quod non exſuctum relinquitur, ob privatum ambiente ab aëre balſamum, turba-

tum-

tumque ejus motum inteſtinum putreſcit, & tandem etiam non exeſa ovula perdit, ingentique fœtore deſtruit, quo facto horum ovulorum congeries in nihilum quaſi redigitur.

Attamen vermiculi illi, qui tam manifeſte ovulis hiſce exitio ſunt, commode comparantur termitibus, in principio vix conſpicui, ſenſim vero accreſcentes & quando ætatem ſuam nacti, tunc blattarum inſtar puniceum induunt integumentum, in quo tanquam exanimes requieſcunt ; an vero in novam papilionum ſpeciem degenerent, ovaque ad ſui propagationem ponant, jamdum mihi incognitum.

Sepoſitis ovis & ætatibus acquiſitis, accedentæque brumali tempore, non amplius ſegetes & prata acida depaſcunt, ſed montibus, ſaxis, frondibus arborum & ſibi ipſis, gregatim ad multa millia inſident, exanimes quaſi, mares & fœminæ hærent, quando igitur per aliquot ſeptimanas fame & tabe conſumtæ, frigore tandem ſuperveniente pereunt & vitam cum morte commutant.

Ovulà nunc earum in terræ latebris ab ipſis defoſſà, per totius hiemis tempus ſepulta jacent, accedente vero vernalis anni quadrantis fine & æſtatis principio, e cavernis & ſpelunculis a ſolis æſtu exactuata in novam progeniem, colore nigro & puniceo variegatam, propullulant & in terram proſiliunt, formicarumque minorum magnitudinem vix ſuperantes in ſegetes prataque propiora ſerpunt & ſaltant, nocte turmatim majoribus caulibus & graminis apicibus inſident, Solis radiis tandem mane calefactæ, hinc inde ſe diſſeminant locuſtæ.

Hæc ſunt, quæ mihi obſervare licuit. Communicaſti mihi & aliorum Obſervationes, quas intactas vero omnes remitto, ne ſi forſan pagellæ hæ in lucem proveniant, locuſtas vel magis crabrones irritem. Vale interim & fave *Tuo toti*

Leucopetræ d. 20. Apr. A. 1714.

D. SAMVELI LOEBERO, Sereniſſ. Ducisſæ Saxo-Weiſſenfelſenſis Viduæ Conſiliario & Archiatro, Conſuli & Practico.

FIGV.

Fig 8

Fig. ii

Fig. i



Fig. 9.

Fig. 2.

Fig. 10.



Fig 6.



Fig 3

Fig 5

Fig. 7



Fig 4



Figura 1.

Locusta mas.

a. dens molaris.
b. collare.
c. vascula lobos conjungentia.
d. prora.

Figura 2.

Locusta fœmella.

e. exitus vaginæ ovarii.
f. anus.
g. exitus vaginæ uteri.

Figura 3.

Duæ locustæ coitum celebrantes.

a. mas.
b. fœmella.

Figura 4.

Gula, Intestina & cor.

aaa. gula & intestina.
bb. sex lobuli in situ suo naturali.

Figura 5.

Lobuli per vascula cohærentes.

aaaaaa. lobuli.
bbbbbb. vascula intermedia.

Figura 6.

Spicula coëuntia.

Figura 7.
Genitalia virilia.

a. teſtes.
bb. veſiculæ ſeminales,
cc. proſtatæ.
1. os primum penis,
2. os ſecundum penis,
3. os tertium penis.

Figura 8.
Genitalia muliebria.

a. Ovarium.
bb. cornua ovarii.
cc. ductus cornuum,

Figura 9.
Corpus rotundum in gyrum convolutum ſub ductu cornuum uteri.

Figura 10.
Vagina uteri.

Figura 11.
Foramen quadratum, quod locuſtæ in terra parant.

)o(

Dn.

DN. D. GOTTLOB SCHOBERI,
Sacræ Czaarienſis Majeſtatis Archiatri, &c.

DISSERTATIO MEDICA
De
VOMITV LETALI ab HEPATE SCIRRHOSO, PER NAVIGATIONEM INCONSVETAM & EBRIETATEM in GANGRÆNAM & SPHACELVM MVTATO, HINC VENTRICVLVM & PARTES VICINAS in THORACEM PROPELLENTE.

SI quis corporis noſtri mortem cum Republica devaſtata & penitus deſtructa comparare velit, ſane non inepte agit. Quemadmodum enim in hac nulla amplius potentia & juſtitia a ſummo Principe hujusque Miniſtris exercetur, nec ulla negotia tractantur, nullæque mercaturæ, fabricæ &c. inveniuntur; nulla civitas, nullus pagus, nullaque domicilia integra, ſed corrupta, fracta, hinc & inde diſperſa, in pulverem cineresque converſa, non ſine ſtupore atque horrore conſpiciuntur: Ita & in illa jam ante oculos ſiſtam cadaver quoddam, & dicas, quæſo, quonam motore viſcera, partesque tam externæ quam internæ gaudeant? quasnam Actiones naturales, animales & vitales exerceant? Quam miſerrime in morbis potiſſimum ſpasmodicis & convulſivis acutiſſimis viſcera e ſitu naturali ſint deturbata, ratione magnitudinis & figuræ &c. alterata,, gangræna ſphaceloque corrupta? Vt rudera hæc absque fœtore, nauſea atque averſione in conſpectum noſtrum venire vix queant.

Simile hoc in caſu ſchema, tanquam materia, diſſertatione medica haud indigna hic ſiſtitur, ad cujus meliorem conſiderationem propoſiturus ſum (1.) Hiſtoriam tam morbi, quam ipſius corporis poſt mortem ſectionis. (2) Morbi eſſentiam, ſymptomata, cauſas, Therapiam, una cum diagnoſi & prognoſi

aliaque notatu digna pro viribus, explicabo. Faxit DEVS feliciter!

CAP. I.

SISTENS CVRSVM MORBI HISTORICVM Hujusque PERLVSTRATIONEM ANATOMICAM.

§. 1.

MErcator quidam Westphalus GEORGIVS GOTTLIEB MERDMANNVS, annorum præter propter 27. æræ Christi 1698. Amstelodamo per mare iter instituens Revaliam appulit. Et quoniam longum hoc & tædiosum iter ultra mensem sustinuisset, soloque victu nautico, ex parte asellis, carnibusque aëre induratis & fumigatis pastus, genio suo magis indulgebat, hincque potum vinosum, nec non spirituosum ardentem, cœna peracta ad ebrietatem usque ingurgitabat, qua neque pes neque manus officio suo fungi poterant; Quam ob causam lecto impositus ad diluculum usque dormiebat, somno peracto nauseabat, mox cardialgia maxime dolorosa una cum tremore capitis afflictus, materiam nigricantem fœtidam cum semidigestis alimentis evomebat, iisque unica vice duas matulas mensuras quatuor continentes; & paulo post patinam profundam terream vomitu repetito materiæ dictæ acerrimæ, pituitosæ, viscidæ ad sex cantharos implevit & quidem maximo cum conatu, singultu & lipothymiis, ut suffocari videretur æger.

§. 2. Tristi hoc spectaculo amici & sodales commoti, meum implorant consilium. Viso ægroto, staturæ tenerioris, temperamenti hypochondriaco-melancholici, hunc levcophlegmaticum, genis collapsis, oculis torvis, colore plumbeo, una cum convulsionibus, pulsu intermittente, & fere nullo offendo, adeoque

eoque mortem præ foribus judico, nullamque hujus morbi causam aliam, quam ebrietatem ab asotia consueta contractam jam ab astantibus rescisscere potui.

§. 3. In vitæ genus ulterius inquirens, intelligo, eum alias lauto & opiparo victui adsuetum, multumque intemperantiæ, & potui spirituoso, scilicet vino Portugalensi, spiritui vini & similibus indulsisse: quibus omnibus longa hac navigatione carere coactus fuerit, unde per totum itineris cursum tristis, languidus, atque cum alvo morosa morbosus extiterit, ut navigationem hanc susceptam non semel pœnituerit.

§. 4. Ne igitur me frustra hic accessisse videretur, præscribo, præter clysterem stimulantem, potionem analepticam, antispasmadico-nervinam cum elect. Diascordii Fracast. mixtam. Externe dorsum & regionem stomachalem calide inungere jubbeo oleo anethi calido; Ventriculo vero emplastrum e theriaca cum &c. expresso nucis moschatæ & destillato menthæ applicandum ordino; sed irrito semper & frustraneo successu, sicut etiam clysteres, utut septies mutati & applicati, parum aut nihil evacuabant, adeoque æger præsenti nocte una cum crebrioribus vomitibus, vomendique conatibus, enormiore singultu vitam cum morte mutabat.

§. 5. Mortem hanc inopinam itineris socii admirantes, morbi hujus ætiologiam cultro anatomico indagandam a me propositam, facillime concedebant. Accersito igitur Chirurgo & aperto abdomine, situm ventriculi naturalem non reperiebamus, sed loco hujus se hepar insolitæ magnitudinis & crassitiei cum duritie scirrhosa & ingenti inflammatione, & quidem potissimum in parte convexa; in concava vero vesicula biliaris satis magna, similique materia, quam æger evomuit, turgida conspiciebatur: interne tandem dissecto in duas partes hoc viscere, gangræna sphaceloque corruptum vidimus.

§. 6. Separato deinde sterno, quo ad thoracis cavitatem aditus pateret, prima statim vice ventriculus in conspectum venit, magnitudine insignis, ita ut non modo capacitatem illius im-

pleret, ſed & cor & pulmones arcte comprimeret. Turgidus enim erat non ſolum flatibus, ſed etiam duos ad minimum cantharos materiæ ſæpius dictæ, non tamen adeo fœtidæ, continebat; Sphincter pylori a tono naturali relaxatus, apparebat flaccidus & patulus. Omentum ventriculo annexum erat laceratum, & in globulos quosdam convolutum. Duodenum & jejunum cum portione ilei pariter in thorace ſitum ſuum, ſed confuſum, habebant.

§. 7. Diaphragma integrum quidem erat, ſed eo in foramine, per quod œſophagus ad ventriculi orificium ſuperius ordinarie deſcendit, maxime dilatatum & atonum, portionem quandam inteſtini ilei continentem. In venis & ipſo corde parum ſanguinis apparebat. Lien magnitudine naturali minor, globuli inſtar contortus, colore livido, & fere exſuccus, ulteriori diſſectioni & inquiſitioni finem impoſuit.

Cap. II.
EXPLICANS
MORBI ÆTIOLOGIAM,
Cum
ADJVNCTIS SYMPTOMATIBVS.

§. 1.

MOrbus hic denominatur Vomitus fecalis, atræ bilis ſive melancholicus, & eſt nihil aliud, quam motus ventriculi inverſus, ortus ab irritatione & commotione fibrarum præternaturali, quo contenta ejus impetuoſe per gulam & os ejiciuntur.

§. 2. Vt vomitus natura eo melius pateat, ex principiis Anatomico-Phyſiologicis præſuppono cognitionem ſtatus naturalis ventriculi, ubi ſcilicet motus ejusdem periſtalticus a fibris muſculoſæ tunicæ oblique adſcendentibus & deſcendentibus, hinc-

hincque se mutuo decussantibus, a siniſtro seu superiori orificio versus dextrum seu inferius, procedit, ac alimenta ibidem digesta per janitorem ad duodenum, ut cum succo pancreatico & bile commisceantur, demandat, hincque ad reliqua intestina jejuna, pro secretione chyli absolvenda, feces vero ad intestina crassa deferuntur, & sic per anum extra corporis pomoerium deducuntur & excernuntur. Prout αὐτοψία edoctus Wallæus testatur in epistola de motu Chyli p. 763. & Thom. Corn. Consent. Progymn. p. 224.

§. 3. In statu præternaturali motus, uti dixi, est inversus, & incipit a dextro seu inferiori, & progreditur ad siniſtrum per œsophagum, quo id, quod in cavitate continetur, exprimitur. Prout optime docet Helmontius Tract. Pylor. Rector. Et experimentis in subjectis vivis institutis probat Olaus Rudbeck obs. 20. de vas. feros. & Wepfferus Tract. de Cicut. aquat.

§. 4. Causa hujus morbi proxima est irritatio & commotio præternaturalis seu irregularis fibrarum stomachi & potissimum carnosarum. Cum enim omnis sensatio per contactum fibrarum sensatarum contingat, facile concipi potest, levem, suavem gratamque sensationem & titillationem : fortiorem vero tristem molestamque irritationem efficere. Inde enim duplex morborum genus narratur, unum scilicet, quod spasmus vocatur, quando videlicet præternaturaliter se fibræ contrahunt, & aliquandiu in eodem statu permanent; alterum, sub nomine Convulsivorum seu epilepticorum venit, & fit, quando irregularis hic motus fibrarum ad tempus continuatur, etiam invito ægro.

§. 5. Causa remota, quæ irritationem præternaturalem antecedit, nostro hoc in casu fuit materia dicta nigra, viscida, acerrima, quam veteres bilem atram & adustam vocarunt, & pro succo habebant melancholico & causa multorum morborum chronicorum, cujus sedem locabant in liene. Et quoniam sine periculosis symptomatibus ejusdem excretiones vix contingebant, eam ob causam funestas & lethales judicabant. Vti

vide-

videre eſt apud Hippocrat. Lib. IV. Aphor. 21. 22. 23. & 24. His noſtris temporibus hanc materiam non unice bilem eſſe, ſed ſanguinem craſſum, fœculentum ex ſtagnatione diuturna in vena portæ & quidem in vaſis meſaraicis potiſſimum corruptum, & depoſitis particulis ſulphureis & oleoſis acerrimum factum, experientia Prudentum Medicorum docet. Impoſſibile enim eſt, tam enormem bilis quantitatem ex hepatis ſubſtantia excerni & per ductum choledochum evacuari poſſe, prout in hoc noſtro caſu obſervatum, & in cholera aliisque morbis a Practicis noſtro caſu obſervatum, & in cholera aliisque morbis a Practicis notatum eſt. Hæc materia ratione quantitatis nimiæ in ventriculo collectæ & qualitatis acrioris, fœtidæ &c. ventriculi fibras irritare, & ad motum hunc inverſum concitare ſufficiens fuit.

§. 6. Vt igitur materiæ hujus excretæ natura magis pateat, dico eandem non eſſe unius generis, ſed maxime compoſitam: Videlicet (1) ex alimentis & præprimis a potu exceſſive ingurgitato. (2) Ex chylo crudo, indigeſto & pituitoſo. (3) Ex fermento ventriculi, inteſtinorum, aut ſucco pancreatico corrupto. (4) Ex mucoſis putridisque humoribus, ſanguine puta ſerove tam cum atra bile ex hepatis ſubſtantia gangrænata & ſphacelata per ductum proprium ad duodenum, & hinc ad ventriculum delatis, quam etiam ex ipſis vaſis ſanguiferis ventriculi, inteſtinorum, lienis, aliarumque partium vicinarum ſanguis eſt eruptus & cum modo enarratis humoribus pravis excreatus.

§. 7. Subjectum igitur morbi eſſentiale, ſeu per ſe, non eſt ventriculus, ſed epar. Cum enim multum deditus fuerit ebrietati, ingurgitans quosvis ſpiritus ardentes, & vina generoſiora &c, immodice, hoc ipſo læſa digeſtione ſanguinem reddidit magis tenuem, ſeroſum, acrem vappidumque. Hinc ſpiritus torpidiores & debiliores evaſerunt in motu, ut hinc neceſſario, læſa cauſa efficiente omnes functiones in corporis œconomia alteratæ atque turbatæ fuerint. Potiſſimum vero æger levcophlegmatiam & cacochymiam, ſuppreſſionem alvi, dolores in hypochon-

chondriis, obſtructionem hepatis, ejusdemque tumorem ſibi contraxit, quem non parum auxit potus minus fermentatus, cibusque durior, quibus per totum itineris curſum uſus eſt. Itaque tumor hepatis degeneravit in inflammationem, quæ ſucceſſu temporis in ſcirrhum, & tandem accedente motu navigationis inconſueto, ultimaque ebrietate in gangrænam ſphacelumque mutata eſt.

§. 8. Ex hactenus igitur dictis liquet, ebrietatem ultimam ſaltem hujus morbi cauſam occaſionalem extitiſſe; quatenus nempe (1) Exceſſus ingurgitati ſpirituoſi & vinoſi potus inflammationem hepatis auxit, eandemque ad gangrænam ſphacelumque deduxit. (2) Quantitas liquorum aſſumtorum nimia vaſa dicta ſanguifera dilatarunt, & ad ruptionem usque redegerunt.

§. 9. Symptomatum ætiologia, & quidem nauſeæ & conatus vomendi conſiſtit in eo: Nempe cum materia cauſtica, atra putridave ex hepate putrido per ductum choledochum perveniret ad pylorum, quasdam ſaltim illius & connexi ventriculi fibras irritavit, & ad irregularem commotionem diſpoſuit, unde nauſea. Cum vero inſufficiens fuerit hæc irritatio ad omnes aut potiores convellendas fibras ſtomachales, non vomitum, ſed conatum ſaltem vomendi concitavit. Continuata nihilominus hac convulſione per œſophagum ad os usque, quid obſtat, ut inde expreſſionem & effluxum ſalivæ ex glandulis ſalivalibus una cum tremore labii inferioris derivare haud queamus? quemadmodum etiam cardialgiam notamus, quando ob retentum in ventriculo hoſtem ſuperius ventriculi orificium maxime ſenſatum & καρδία dictum, afficitur atque læditur.

§. 10. Et hæc dicta ſymptomata ordinarie fere in omnibus vomitibus concurrunt, & non raro moleſtiora ſunt ipſo vomitu. Sequuntur nunc plura periculoſiora & mirabilia, quæ in noſtro

caſu notanda veniunt. Incipiamus a tremore capitis, cordis, artuum, eorumque convulſionibus; vertigine, lipothymia &c. quæ tanquam majus & minus inter ſe differunt, & per ſympathiam nervorum & quidem, ad mentem Williſii, octavi paris commode derivantur; quatenus nempe orta convulſione in duodeno, continuatur illa ad ventriculum, cor, œſophagum, caput, hujusque muſculos, afficiendo non modo nervos, ſed etiam membranas, glandulas, partesque muſculoſas.

§. 11. Inter mirabilia hujus morbi accidentia refero, quod ab atrocioribus hisce convulſionibus, partes & viſcera nonnulla a ſe ſeparata, lacerata & in locum alium delata ſint. Ipſe profecto non credidiſſem, niſi mei & aliorum oculi effectum hunc vidiſſent, & ratio coacta ſit concludere, revera hoc contigiſſe.

§. 12. Videamus, quid alii hac in re ſint experti. Legi apud Sennert. in Praxi pag. m. 428. Se ſeptem ſuppoſitoria vidiſſe in motu periſtaltico inverſo per vomitum rejecta eſſe; hoc ut impediret, ultimum ſuaſit ſuppoſitorium filo ſextuplo ſatis firmiter ligare, putans ſic motui præternaturali reſiſtere poſſe, verum inteſtina & hoc abripuerunt, & per os una cum filo rejecerunt.

§. 13. Audiamus nunc alteram hiſtoriam, quæ rupturam ventriculi probat, eaque proſtat apud Franciſc. Sanchez, Medicum & Profeſſorem quendam in Academia Toloſa, in Libro Obſervationum in Praxi pag. 376. Vbi narratur de fabro aciculario, qui cum nauſea preſſus, ad vomendum ſe contuliſſet, valdeque anniteretur, crepitum ſenſit ad ventriculum, quaſi corporis, quod abrumperetur. Ex eo autem tempore maximo ventriculi dolore infeſtatus, nec ſolidi, nec liquidi quicquam, ſine maximo in fundo ventriculi dolore, fere usque ad deliquium, donec cibus ingeſtus deſcenderet ad inteſtina, deglutire po-

potuit. Accedente igitur febri, ſeptimo die obiit. In diſſecto cadavere obſervatus fuit ventriculus quatuor digitorum latitudine ab inferiori orificio abruptus, interiori tunica tantum pollicis amplitudine.

§. 14. Et quid aliud, quæſo! fuit hernia ventriculi, cujus meminit Fr. Hildanus in reſp. ad Michaëlem Doringium, quam ruptura ſitusque hujus viſceris mutatio? quæ a potiuncula antimoniata, atroces vomitus & convulſiones concitante, eſt contracta. Similem etiam obſervationem ab antimoniato remedio vide ſis apud Bonett. in Sepulchreto ſive Anatomia Practica L. 3. ſect. 8. obſ. 27. §. 2. p. 103. Tomi ſecundi. Et in Anatome cholericæ virginis apud Barthol. Hiſt. Anatom. Cent. 2. Hiſt. 81.

§. 15. Ventriculum etiam in cavitatem thoracis depulum, læſo diaphragmate videre eſt apud Sennert. Inſtit. 2. c. 13 & Obſ. Chir. Cent. 2. obſ. 32. & River. Cent. IV. obſ. 67. Etiam apud Blancard. ſimile proſtat exemplum de fabro quodam, cujus centrum diaphragmatis nervoſum cultro perforabatur, per quod deinde ventriculus cum inteſtinis ſurſum ad thoracem aſcendit. vide ejusd. Anat. Pract. rationalem Obſ. 2. p. 3.

§. 16. Præ ceteris vero notatu digniſſimus eſt ſequens caſus, qui cum meo antehac deſcripto in multis concordat, quem primus edidit B. Michaelis in Programmate 8. Calend. April. 1659. hic Lipſiæ, & de novo publicatus a Bartholino Cent. 6. obſ. 55. ita ſonans: Studioſus ante decennium obſtructiones quasdam ſenſerat, ex quibus ſumma ventriculi debilitas ob denegatam excrementorum ejectionem & varia ſymptomata, graves ſingultus & infiniti propemodum vomitus exorti, quibus ita fuit viribus fractus, ut in lectum conjiceretur. Remedia tam externa, quam interna adhibita effectu caruerunt, quod nihil contineret ventriculus, ſed quicquid recepiſſet, ſtatim rejiceret.

Noctu tandem proximum diem ſolis antecedente τὸν μαναρίτην vomitus ſic afflixerunt, ut ipſum præcluſo penitus exitu, ſuffocaverit. Abdomine aperto, cum moles pinguedinis tres transverſos digitos ei inſtratæ, impedimento eſſet, quo minus ad conſuetam ventriculi ſedem, quæ eſt ſub diaphragmate inter hepar atque lienem, pervenire liceret, placuit prius aperire thoracem: Vix remotum erat ſternum, ubi in ſiniſtro latere corpus quoddam glanduloſum ſe nobis in conſpectum daret, quod primo quidem intuitu pro pulmone depravato habebatur, ſed mox omentum eſſe, & ſub eo latitare ventriculum, cunctis obſtupeſcentibus, deprehenſum eſt. Ad pleniorem hujus ventriculi præternaturalem ſitus cognitionem, ſejungebantur inteſtina a meſenterio, cum quibus ita comparatum erat, duodenum cum portiuncula ſubſtrati pancreatis e thorace proveniens, per peculiare foramen in ſiniſtro itidem latere amplum & nerveo circulo circumſcriptum diaphragma perreptabat, cumque reliquis inteſtinis continuatum erat usque ad colon, quod ex abdomine per prædictum foramen in thoracem tranſiens, ibidem cum omento, cui firmiter erat connexum, ventriculi fundum in duas quaſi partes dividebat, ac rurſus miro anfractu deorſum tendens, atque eadem via ex eodem diaphragmate rediens foramine, inteſtinum rectum, longum ſatis ac graciſe, & conſpicuis rectis transverſisque fibris præditum conſtituebat: Hepar inſolitæ craſſitiei ac magnitudinis, ut ſcilicet ſpacium deficiente ventriculo expleret, diaphragmati erat annexum: Ipſe autem ventriculus in thorace, cætera liber, inferiori parte ligamentis aliquot membranoſis diaphragmati & pleuræ circa coſtas ſpurias adhærebat, ſuperiori claviculas fere attingebat, ſiniſtrumque latus plane occupaverat, ita, ut vix minimæ ſiniſtri pulmonis particulæ locus ſupereſſet: Cor vero de ſede ſua in dextrum latus depulerat, & dexter pulmo, cordi cedens, ſub eodem ſpinæ dorſi adjacebat: Oeſophagus ad diaphragma progrediens, os ventriculi nonnihil deprimebat, ut non longe a pyloro deſineret. Exſecto demum ven-

ventriculo cum annexis partibus, lienem, qui principio nullibi apparebat, in propria capsula, quam duplicatura diaphragmatis in sinistro latere formaverat, invenimus, sanum alias, sed lividum & exilem, ac per vas breve ventriculo connexum, diaphragma totum erat carnosum; Postremo etiam liberum materiæ ex ventriculo patere exitum, eandemque ex intestinis, ob hiatum relaxati pylori pleno impetu remeare posse, animadvertimus, qui cum incideretur, ingens vis scaturientis materiæ exinde profluxit, unde ab opere desistendum fuit.

§. 17. Præterea constat quoque experientia, interdum ab intumescentia præternaturali partium vicinarum ventriculum depulsum esse ad thoracis cavitatem, quale quid de immani renis sinistri tumore observavit CAROLVS PISO de morb. a fero Sect. 2. part. 2. c. 7. Et dubium nullum est, etiam hoc factum esse tam in observatione præcedente, quam etiam in nostro casu ab insigni magnitudine hepatis. Scilicet, cum sursum tendant motus convulsivi in dictis casibus, & adhuc accedat moles nimia cujusdam visceris comprimens & sursum pellens, non aliter fieri potest, quam ut conatus naturæ depravatæ augeatur, & sic a duabus ad perniciem conjunctis causis, simile malum oriatur.

§. 18. Interim tamen credendum non est, ventriculum, ruptis duabus membranis, superiori pleuræ & inferiori peritonæi, quibus œsophagus cum foramine dicto connectitur, per foramen illud, in tanta mole transire potuisse, sed potius hoc factum est, ventriculo aut vacuo existente, aut fibris carneis musculi diaphragmatis inferioris foramen œsophagi cingentibus, renitentibus, & per relaxatum pylorum ad intestina exprimentibus quicquid in ventriculo & connexis partibus intestinorum, hunc concomitantibus, a vaporibus & humoribus contentum

erat. Hoc facto, continuatis hisce motibus convulsivis, materia collecta & contenta sursum propulsa est, unde sub magnitudine descripta ventriculus turgescere & apparere potuit.

§. 19. Hæc tandem moles ventriculi (1) exhaustis per dictos vomitus enormioribus humoribus cum spiritibus vitalibus, cor debilitatum omni prorsus motu orbavit, circulationemque sanguinis omni ex parte suppressit. (2) Læso diaphragmate, musculi thoracis pectus attollere, thoracem ampliare, pulmoque se expandere & inspirare non potens fuit; hinc necessario cum ultima aëris exspiratione, ipsius animæ exhalatio in nostro ægro, & sic vitæ cum morte commutatio contingebat.

§. 20. Quoad Diagnosin notetur, omnem vomitum acutum & laserationem & situs mutationem minari ægris, certiorem tamen de facto reddit Medicum, (1) si causæ præcesserint pessimæ conditionis & potentes ad similem morbum efficiendum, v. gr. assumpta antimonialia & mercurialia non rite edulcorata & præparata, It. alia caustica & venenosa. (2) Si crepitum aut sonitum audiamus partium dilaceratarum, & ipse æger similes dolores, locique mutationes partium sentiat. (3) Cum oculis & manibus palpando non deprehendamus partes in situ naturali, tunc non dubitandum est de præsentia hujus morbi.

§. 21. In prognosi formanda non errabit Medicus, si leviorem v. g. extensionem cum aliquali etiam, & minori separatione partium adhuc sanabilem pronuncier; enormis vero si fuerit, omnis curationis spes evanescit, & est æger nihil aliud

- - *gelidæ nisi mortis imago.*

§. 22.

§. 22. Adeoque cura juxta notissimum, quod vulgo dicitur, est instituenda, & ita sonat:

Principiis obsta, sero Medicina paratur,
Cum mala per longas invaluisse moras.

Quomodo enim esset possibile, eruptum ex abdomine ventriculum, & sursum in thoracem, cum aliis connexis partibus, uti pancreate, intestinis, vasis sanguiferis & nervis &c. propulsum, restituere in situm naturalem? Etiamsi vita superstes maneret ad aliquod tempus in subjectis robustioribus? Quis gangrænæ sphaceloque in hepate mederi ausit? Itaque hic morbus nullam requirit curam, sed pro simpliciter & absolute lethali est habendus. Quod si vero statim ab initio accessisset Medicus, antequam gangrænatum & sphacelatum fuisset hepar, tunc equidem remediis tumorem discutientibus, aperientibus, humores noxios evacuantibus, partes roborantibus &c. medelam instituere potuisset, præsertim cum æger intemperantiæ valedicens optimæ diætæ in sex rebus sic dictis nonnaturalibus studuisset, eamque continuasset ad tempus. Tunc forsitan sanitatis amissæ recuperandæ spem non levem, benedicente DEO! affulsisse, mortisque inopinatæ horam non tam cito illum appropinquasse, dubium nullum est.

§. 23. Quid præterea levi facta laceratione sit faciendum, paucis dicam. Nimirum (1) Convulsiones acutissimæ per opiata, antispasmodica & nervina interne sunt sistendæ. (2) Ligaturæ fortiores sunt adhibendæ, quippe quæ impetum nervorum non modo refringunt, sed etiam locum patulum angustant atque occludunt, hinc penetratio viscerum impeditur. (3) Non negligenda quoque est cucurbitulæ majoris applicatio ad ventriculi aut umbilici regionem, hæc enim eundem fere effectum ac ligaturæ præstant, nisi quod operatio illarum sit mitior & magis commodior.

§. 24. Remittentibus tandem convulſionibus, cura paragrapho ſequenti deſcribenda, in auxilium eſt adhibenda; & hac etiam, fortunante DEO! feliciter cedente, ad temperantia, balſamica & vulneraria progrediendum eſt, quo non ſolum humores ad feliciorem conſolidationem diſponantur, ſed etiam partium fibræ ſolutæ ad unitatem contrahantur & firmentur.

§. 25. Solemus alias in vomitu acuto, præſentibus & abundantibus humoribus præternaturalibus, copioſum ſuadere Thee calidæ potum, atque ſic corpori commodum præbere vehiculum ad melius evacuandum & exturbandum hoſtem internum. Hoc facto, ultimo gratis ſtomachicis, temperantibus & anodynis &c. tota abſolvitur cura.

§. 26. Tandem diæta colophonem imponit operi medico, ſi nimirum (1) aër eligatur temperatus, purus & ſerenus. (2) Cibus & potus ſit facilioris digeſtionis, optimum ſuccum & particulas ſpirituoſas in ſe continens, uti ſunt ova recentia & carnes pullorum, gallinarum, perdicum &c. cum gratis ſuavibusque aromatibus conditæ, & cum potu vini generoſioris aſſumptæ. (3) Quies magis ſuadenda eſt cum (4) ſomno: Potiſſimum vero (5) animi pathemata ad lætitiam & tranquillitatem diſponantur. (6) Excreta & retenta naturæ regulis reſpondeant. Tantum. DEO ſit pro conceſſis viribus Laus, honor & Gloria & nunc & in ſempiterna ſecula!

Dn.

DN. D. MICH. FRID. LOCHNERI

Mantissa ad Schediasma de Parreira brava.

POstquam in ultimo Ephemeridum tomo levidense de Parreira brava exhibui schediasma, totus in eo fui, ut quicquid ejus ulteriori dilucidationi inserviret, colligerem, firmandaeque sententiae meae, Caapebae foetum esse exponerem. Vana per longum temporis spatium spe delusus, tandemque certior factus, Cl. Gothofredum Parreirae bravae examen Academiae Regiae Parisinae justu suscepisse, vix scribi potest, quanto desiderio flagrarim, librum, in quo Historia Actaque hujus Academiae continentur, inspiciendi. Nec enim mihi intermortua Illustrissimae Societatis hujus memoria, ad quam ante triginta, et quod excurrit annos, dum Lutetiae degerem, cum amicissimo tunc, nunc beatissimo Eisenschmidio, Argentoratensium Archimede, mihi tam felici esse licuit, ut Excell. Hombergio parario, quod grata semper mente recolo, facilis patuerit accessus aditusque; licet non tantam tunc gloriam, quantam nunc, Regia suffragante gratia munificentiaque, acquisiverit. Erecta quippe jam Anno 1666, Regiae quasi Anglicanae An. 1663. fundatae aemula, maximum tamen incrementum Anno 1699. post Riswycensem Pacem stabilitam cepit, quo Regio jussu ab Eminentissimo Franciae nunc Cancellario, Dn. de Ponchartrain, cui curam hanc Gallorum demandavit Monarcha, aucta legibus, stipendiis ditata, in meliorem ordinem redacta, noviterque quasi restituta, operam praecipuam conferente ac commodante Illustrissimo Academiae Praeside DN. Bignono, Abbate S. Quintini, Consistoriano Comite, cujus Avunculus Magnus Franciae Cancellarius, quae fusius recensita leguntur in libro a Dn. Fontenelle Gallice inscripto: l'Histoire du Renouvellement de l'Academie Royale des Sciençes en MDCXCIX.

Nec hic substitit favor Regius, sed eo devenit, ut conventus locum Academiae concesserit in Regia Luparae, stupendo illo opere, quod

- - - inceptum a Proavis imperfectumque relictum,
Pacatis LVDOVICVS agens placida otia rebus,
Tantum opus absolvet molemque aequabit Olympo.

Academiae equidem hujus Regiae laudibus numerandis nominandisque imparem me esse profiteor: neque enim quisquam, si vel maxime omnes plagas lustraverit, a Gadibus usque Auroram et Gangem, juncta Anglicana Societate Regia, doctiores consessus inveniet, aut qui majori cum gloria dignitatem suam, innumeris variae eruditionis et naturalis scientiae documentis editis, tutati sint, ut non immerito inter Academias recenseri possint

Praecipuas, quas Phoebus habet, quas prae omnibus ultro
Spreto Helicone novemque colunt sua cura Sorores.

In venerandae hujus Academiae Actis Ann. X. p. 78. Edit. Belgicae, ut ad rem ipsam me convertam, Excell. Gothofredus, cujus Botanica varia observata, his in Actis hinc inde recensita, omne punctum ferunt, examen quoque Parreirae bravae ex Academiae edicto instituit, ex quo nonnulla ad supplendum de hac radice schediasma nostrum, pace Viri hujus doctissimi licebit depromere.

Inventionis gloriam cum Illustriss. Dn. Amelotio communem habere asserit Dn. Rouillard, ejus in Legatione Lusitanica successorem, qui primitus Galliae radicem hanc intulerunt, majori digniores laude Nicotio, qui Peto, pariter e Lusitania allato, Galliam ditavit, hancque plantam ab ejus nomine nobilitavit.

Quod ad cognomen radicis *Botou* sive *Botoua* attinet, vel ut ab aliis effertur *Botjam*, nominis sono delinitus Dn. Gothofredus, eandem quam *Butua* vel *Brutua* Jacobi Zanoni esse asserit. Cui pollicem premit Dn. Jo. Baptist. Chomel. dans l'Abrege de l'Histoire des Plantes usuelles in 12mo Parisiis edit. p. 192. 193. qui Butuam sive Brutuam Zanoni in Istor. Botanic. A. 1675. Bonon. Italic. edit. p. 59. et *Ambutua* lignum, Tab. XXI. delineatum, et Parreiram bravam matrem agnoscere eandem Facredit.

Ambutua
Legno.
Bulua overo
Brutua Arbore

Fateor equidem me, ſimulac nominis Botuae vel Botjam notitia mihi facta, Zanoni probe inſpexiſſe opus, cumque quoad omnia ab arbore, lignoque ac radice, illic deſcriptis, Parreiram noſtram differre cernerem, nullam plane in ſchediaſmate rei hujus injeciſſe mentionem. Perlecta autem Cl. Gothofredi Chomeliique ſententia, accuratius licet Zanoni deſcriptionem *Butuae* vel *Brutuae Ambutuaeque* perpendens, non tamen menti meae imperare potui, ut huic ſubſcriberem hypotheſi. Ne vero mihi ſoli ſapere videar, haud inconſultum duxi, ipſiſſimam Zanoni delineationem B. L. exhibere, ejusque aequae cognitioni judicioque rem omnem relinquere. Audiamus quid

- hic Myſtes Naturae arcana Parentis
e latebris dias in luminis eruit oras.

Producam autem locum Latiali toga indutum: *Butua* ſive *Brutua in regione Mozambique Indiae orientalis naſcitur, planta revera inter rariſſimas recenſenda, nec, quantum ſcio, apud alios recenſita; & mihi quoque nulla ejus notitia ſuppetit, quamvis variis praedita virtutibus, quae exponuntur in Manuſcriptis Rev. P. Matthaei. Arbor eſt, quae in divaricatis radicibus facta transverſim ſectione, ſolis exhibet imaginem, id quod figura expreſſa exhibet. Perſuaſus ſum, nemini hoc legenti incredibile fore, arborem hac gaudere qualitate, cum & in noſtro climate, ſimili ſignatura, licet non tam accurate expreſſa, repertu detur, aliis innaſcens arboribus, viſcus quernus dictus, e quo praeter uſum medicum in officinis Pharmaceuticis quotidie obvium, coronae vulgo precariae dictae adornantur, nomine coronarum e ligno ſolis factarum cognitae.*

In Muſeo meo lignum quoddam nomine Ambutuae aſſervatur, nominis ſono ab hactenus deſcripto parum vel nihil, uti judico, diſcrepans. Lignum formae rotundae, ſed imperfectae eſt, cortice ſubtili, coloris caſtanei obſcurioris tectum, quo detracto lignum per longitudinem ſtriatum apparet carnei coloris et argentei ob lineas quasdam interſecantes ſibi conjunctas, facile tamen ſeparabiles, viſuique gratiſſimas. E variis componitur tunicis,

totidem quasi cannas exhibentibus, quarum una alteri superimposita, initium e medulla sumentes, quam secunda ambit, hanc tertia & succesive aliae, secundum ligni crassitiem. Lignum dissectum, in meditullio varios exhibet fibrarum flexus, sive elegantem texturam telis aranearum, quae in domibus & palatiis majoribus reperiuntur, non absimilibus, ut e figura aeri incisa elucet. Et hoc forte lignum erit arboris superius descriptae, quippe cum haec in radice solis figuram repraesentet, haud difficulter quis colliget, in arborum ramis alteram, non valde diversam figuram reperiri, praecipue cum eodem ferme nomine gaudeat. Hoc ligno, si fides, qui illud mihi attulit, Rev. nempe P. Johannes Antonius Montecuculi e Capucinorum ordine saepius in hoc opere a nobis laudatus, habenda, Indi utuntur ad resolvenda maturanda aposthemata interna, & temperandam sanguinis acrimoniam in substantia pulveris in aquae vehiculo exhibetur, impastatur pariter cum lacte et apostematibus externis applicatur. Masticatum saporis est amari juncta quadam acrimonia.

Apud eundem Zanonum nel Pendice sive in Appendice ex Schedis R. Patr. Matthaei supra allegatis p. 209. haec referuntur: *Reperitur in Mosanbick arbor, vocata Brutua, cujus radix est magnae aestimationis, (Corticem habens subnigro colore, intus vero subalbo) quibusdam circulis seu partibus veluti musculis compacta, et gravis est non levis, cujus virtus mirabilis est ad apostemata resolvenda, sit tantillum de ea in potu sumatur. Putant, quod haec radix sit illa, quae vocatur RANGAIRE, vulgo MANIKAL magni pretii & virtutis.*

Absit, ut his a Zanono relatis subscribam, et Parreiram bravam ac Butuam, Brutuam Ambutuamque unam pronuntiem eandemque. Quicunque rem sagaciter investigabit, et prestius comparationem instituet, mecum reputabit, toto caelo differre. Nolo equidem de Patria movere litem: Butuae enim Zanonus Mosambique esse asserit, Africae secundum R. P. Maffejum Hist. Indic. Libr. III. tractum, olim *Prasium Promontorium* nominatum, cum ad unum omnes, qui Parreirae bravae hactenus meminere, Americanae originis pronuncient. Plurimum pro me militat maxima,

xima, quae binas plantas intercedit, discrepantia structuraeque diversitas, quae causa est, ut Butuam sive Brutuam et Ambutuae lignum Lectoris oculis exponere decreverim, crisin illius expectaturus, an cum Parreira brava ullo modo conveniat. Arbor est Brutua sive Butua; Parreirae autem nomen ipsum vitis vel scansilis plantae progeniem facit. Nec cannulatae Ambutuae compagem in radice Parreirae, nec Butuae radicis solis aemulam imaginem, nec aranearum telis simile textile unquam quis deprehendit. Certe vocis Butuo vel Butuae, Botjam et Butuam sono allecti Viri Clarissimi, ad Zanoni Brutuam conversi sunt. An felici omine, penes Lectorem sit arbitrium.

Ad nominis *Botnam* vel *Botjam* aliam, et Parreirae convenientiorem et propiorem originem nos conjectura ducit, si illi locus supereslet. *Buto* vel *Budo* in Sinensi vel potius Japonica lingua vitem viniferam denotat, *jam* vel *jama* autem sylvestrem, ut *Budojama*, et contracte *Butjam*, sit ejusdem plane significationis ac Parreira brava, a qua voce corrupte Butnam, Butua nata videtur. Sed haec omnia exinde fluunt, quod non constiterit Parreirae natales in Caapeba esse quaerendas, quod a nobis in schediasmate fusius demonstratum.

Sed pertinent haec ad illa, de quibus Historia Academiae Parisinae: *Ces sortes des doutes savans sont plus propres a faire honneur a celuy, qui les propose, qu' a instruire ceux, a qui sont proposé.* Ad utilia calamum convertimus. Quae de duplice radicis Parreirae specie habet, attentionem merentur. Sic enim Acta: *Vidit Dn Gothofredus binas Parreirae bravae species, si modo colorum differentia sola ad duas species dispescendas sufficit. Prima et quidem maximi usus, externe bruni coloris est, interne autem bruni flavescentis. Secunda species externe albicat, interne ad flavum citreum colorem accedit. Haec ipsa adhuc recens carnei coloris est, et successu temporis pallet. Ambae sunt substantiae durae, porosae tamen et spongiosae. Gustu gaudent amaro levidensi, immixta aliquali dulcedine liquiritiae aemula. Crassitiem saepius pollicis habent.*

Si quae sentimus, nobis libere pronuntiare licet de binis his

ſpeciebus, *Raiz de noſſa Senhora* et *Parreira brava* confunduntur, id quod e viribus in fine annexis pariter patet. Nec mirum, cum jam Piſonis tempore pro diverſis habitae, licet Caapebam unam matrem agnoſcant, nec aliter quam aetate indeque dependente magnitudine fibrarumque duritie et colore diſcrepent.

Sed miſſis his, viribus medicis intentus, in ſupplementum ſchediaſmatis noſtri Cl. Gothofredo conſentiens, Parreiram noſtram plantis utiliſſimis accenſendam reor, eamque in colica vulgo dicta nephritica vix fallere, id quod experientia eductus confirmare poſſum, et ex tot clinicis obſervationibus unica hac fulcio.

Vir mediae aetatis, (quae alias *tutisſima* dicitur, utpote quae neque juventae calore, neque ſenectutis frigore infeſtatur, ſecundum Celſum noſtrum l. 2. c. 1.) corripitur doloribus ſupra renes acutiſſimis, hinc inde vagantibus et per omnem inteſtinorum circuitum aberrantibus inque pectinem declinantibus. Renum quartum morbum judicavi, a divino Coo noſtro deſcriptum. Aſſociavit ſe huic malo Stranguria, ſtillans cum dolore urina, ſive ut Vegetius Libr. III. Art. Veterin. cap. XV. exprimit: Veſicae indignatio, qua mingere quis non poteſt, crura flectuntur, et venter ad terram demittitur. Accuſat aeger Pepones aliquot immodice aſſumptas, alimentum φυσώδες καὶ ἀπαράλληλον σωμάτῳ. *flatuoſum et inconveniens ventriculo.* Alvus ſuperveniens adſtricta cumulavit malum; iteratis tamen clyſteribus ſollicitata ſcybala educit, tantumque flatuum clariſonorum per inferius guttur ſe praecipitantium numerum, ut illud Divi Hipponenſium Antiſtitis de Civit. D. in memoriam revocaverit, ſcribentis: *nonnulli ab imo ſine pudore, it a numeroſos ſonitus edunt, ut ex illa etiam parte cantare videantur.*

Alvo ſic aperta, ſucceſſit pariter Vrinae fluxus, ſuperſtite tamen in renibus dolore extrorſum vergente, non amplius vago, ſed fixo. Colicam hanc Nephriticam judicans, Parreiram bravam exhibui, tanquam hujus mali ſpecificum, e Clar. Helvetii mente, remedium et quidem in Pulvere, Elaeoſaccharo Cort. ⊙ mixto, in Infuſo Acmellae ſumebat Eſſent. Parreir. brav. ℈ſ. Continuato horum medicaminum uſu profluit urina vulgo pultacea, ſive urinae pallidae craſſae cum contento albo viſcido tenaci matulae adhaerente excretio. Per alvum cum ſcybalis et flatibus ſeceſſit mucus gelatinoſus, tremulus, bile tinctus, borborygmorum ſi non mater ac materia, certe retinaculum; quibus per octiduum fluentibus, et cauſa illa morbifica ſublata, malum quoque ceſſavit. Jun-

Jungam huic flatulento affectui e Diario meo Clinico flatulentiorem: Quinquaginta Annorum foemina paroxysmis hypochondriaco-hystericis saepius excruciata, tandem incurrente in sensus tumore abdominis duro, renitente, instarque tympani, cum percutitur, sonum edente affligitur, illoque morbo afficitur, qui a Nicandro in Alexipharm. ὕδρωψ τυμπανώδης dicitur. Comitantur malum pectoris anxietates ex diaphragmate ejus cavitatem coarctante, succedit tandem tensio cordis lypothymiae causa. Sicca et exsucca hinc lingua a ductibus salivalibus visciditate obstructis, insomnes ob inquietudinem noctes; appetitus prostratus et fere nullus, pulsus justo celerior, debilis tamen, calor depascens et pene marasmodes; crura neque tumida, nedum oedematosa. Vrinae parcior excretio, et eo ipso, dum emittitur, ob praeclusam a viscida materia viam supprimitur ad momentum, mox tamen guttatim redditur. Alvus non nisi sollicitata respondet, absque flatibus tamen, ideoque sine levamine. Φαινόμενα haec ὑδρώτα ξηρὸν Hippocratis ostendebant, curatu difficillimum affectum, Hecticae in hac aegra proximum. Vocatus ad hanc male affectam, tristia auguria canens, dimississem illam Divi Coi nostri dictis obediens, qui vetat desperatis adhibere medicinam. Exhibui tamen, ut flatus intra abdomen incarceratos, illudque elatere suo renitente tympani instar distendentes propellerem abigeremque, carminativa varia, sed temperata, cum Volatilia sulphurea plusquam Aeolia rarefaciendi virtute, malum adaugeant potius, quam tollant, suffocationis metum inducendo. Sed per tres septimanas irritus labor, et, ut in proverbio est, ventis loquor; aegraque succubuisset, ni emollientibus clysteribus, et tandem e tabaci fumo per machinas illas fumiductorias, a Cl. Stissero suppeditatas, immissis, dolores aegrae vix ferendos mitigassem. Nec mirum, difficilem hoc malum admittere curam, cum pituita illa, quam vitream quibusdam appellare libuit, ob ramosum particularum contextum & glutinositatem, difficulter eradicari queat, eo magis productae ex ea vesiculae, magis utpote condensatae ac induratae et quasi membranosam indutae naturam, medicamentorum operationi resistunt, uti optime monuit Illustris Academiae nostrae Nat. Curios. Praeses Ephem. Dec. II. Ann. I. observ. 81. Jam vero cum ad pituitam illam vitream albuminique similem averruncandam, specificam vim possideat Parreira nostra in Infuso et Pulvere aliquoties exhibita, perrupta tandem viscidae glutinositatis porta ruit flatuum inclusa caterva, et pedit deciesque viciesque, ut cum Martiali loquar. Succedit his non sine manifesto frigoris sensu congeries materiei muculentae, conglutinatae, viscidissimae, tenaciter cohaerentis spermati ranarum similis, mephitim exhalantis. His eliminatis e corpore, redeunt halcyonia, aegraque restituta dictum confirmavit: Ægrotae dum anima, spes est.

Quale in Renum vesicaeque morbis solamen impertiatur haec radix, cum Cl. Gothofredo aliisque in Schediasmate uberrime demonstravimus. Remedium hoc eo exoptatius, quo crebrius nunc quam olim, nescio quo fato, calculi doloribus homines affecti afflictique. Causam si non veram, poëticam tamen et elegantem suggerit vates:

Deucalion post terga mares, ac Pyrrha puellas
jactavit, durum nos genus inde sumus.

Nec

Nec mirum, ſcateant ſi viſcera noſtra lapillis,
plurimus & lateat ventre rigente ſilex.

In Aſthmate, ubi tenerrima pulmonum veſiculoſaque ſubſtantia, partim quoad fiſtulas tracheales, partim quoad veſiculas aëre replendas, ab humore tenaci viſcido glutinoſo anguſtatur, pabulumque hinc nitro aëreum excluditur, et ut Poëta canit:

- - Corda occluſis pulmonibus occupat humor,
Aëriosque aditus vis inimica tenet.

Parreira noſtra, dum coagulum illud tenax, veſiculas pulmonales fiſtulasque tracheales infarciens, reſolvit, incidit, expectorationem promovet, hocque ipſo liberiorem aëri ad pulmones aditum parat, exoptatiſſimi certe ant-aſthmatici remedii vices ſupplet, tunc enim

Vitali zephyro mulcentur pectoris aeſtus,
Miteſcitque tuus, torrida Zona, calor.

Singulares has in ſpirandi difficultate virtutes radicis noſtrae per literas humaniſſimas mihi praedicavit Illuſtr. Argentoratenſium Archiater Dn. D. Henninger, id quod ſequenti Cl. Gothofredi pariter firmabimus obſervatione.

Senex LXXII. annorum ſumme debilis & ſuffocationi ob pituitam tenaciter pulmonibus inhaerentem proximus, cum duo Infuſi Parreirae bravae plena vaſcula poſt horae dimidium ſucceſſive exhauſiſſet, tantam hinc muci albuminoſi pituitaeque viſcidiſſimae copiam vomiturienti ſimilis rejecit, a paroxyſmo aſthmatico ſic feliciter liberatus.

Nec ab aſthmate ſeparabimus, quam Vir Clariſſimus de morbo arquato Celſi junxit obſervationem. Foemina violentis colicae et acutiſſimis ſub hepatis regione doloribus excruciata, totius corporis icteritia obruitur, ut et lintea urinae craſſiori injecta croceo dolore tincta fuerint. Clyſterum ope educta pauca et albicantia excrementa. Poſt Venaeſectiones in brachio et pede inſtitutas, Cl. Gothofredus aegrae imperat, ut tria infuſi Parreirae bravae plena vaſcula, ſucceſſive intra dimidiae horulae ſpatium ſumat. Brevi poſt tertium vaſculum aſſumtum dolor remittit, alvus ſolvitur et materiem intenſe flavam fundit. Vrina copioſe minusque turbide fluit. Continuato per ſingulas quatuor horas Parreirae bravae doſeos uſu, luteus corporis habitus penitus evaneſcit, & ſpatio viginti quatuor horarum in integrum aegra reſtituitur. Aliquoties ablinc colicis inſultibus afflicta hoc iterum quaerens remedium, priſtinum ſolamen iterum obtinet.

Sic morſus quoque venenatorum animalium huic obediunt radici, inprimis ejus uſu

- - - ſerpentes poterunt non eſſe nocentes,
et non eſſe nocens Africa Terra poteſt.

Jungit Cl. Gothofredus huic alexiteriae contra venenata animalia virtuti vires haud contemnendas Parreirae bravae in Angina, Dyſenteria aliisque affectibus, quibus Febres junctae, inprimis autem in febribus malignis. Sed cum haec omnia potius ad Radicem vulgo Rayz de noſſa Senhora, et ob ſpecificam contra ſerpentes vim Cipo de Cobra vocatam, pertineant, de qua plura cum Deo et die ſuppeditabimus, mantiſſae loco haec de Parreira brava ſcripſiſſe licebit.

MEMO-

MEMORIA JAENISIANA,

Quam
Miſcellaneis Medico-Literariis
renovatam
ACADEMIAE CAESAREAE
LEOPOLDINO-CAROLINAE
NATVRAE CVRIOSORVM
COLLEGIO VRATISLAVIENSI
per-officioſe commendat

GOTHOFREDVS BENJAMIN PREVSS,
Med. Doct. & Pract. Vrat. ejusd. Acad. Collega,
dictus JANUS II.

INDEX CONTENTORVM,

Secundum Numeros marginibus paginarum additos.

NVm. 1. *Memoriæ Natur. Curiosorum & Auctores.* 2. *Ratio scriptæ hujus Memoriæ.* 3. *Janisii Natales, Exempla Medicorum in Pagis natorum.* 4. *Janisii Institutio Gymnastica.* 5. *Academica in Germania & Belgio, ac Professores.* 6. *Scientia acquisita.* 7. *Doctoratus.* 8. *Exempla Silesiorum Medicorum extra Silesiam viventium.* 9. *Adventus Janisii Vratislav. & Praxeos felicitas.* 10. *Matrimonium; hujus apud Medicos necessitas; exempla eorum in Cælibatu.* 11. *Janisii Conjugium sine liberis; multi literatorum tale exoptant; Exempla Parentum infelicium & Medicorum celebrium sine liberis.* 12. *Janisii Opes.* 13. *Polymathia Studia.* 14. *Librorum Lectio.* 15. *Mathematica & Mechanica Instrumenta.* 16. *Armaturæ.* 17. *Numismata, Exempla rariorum.* 18. *Nummi Medici recensiti, Tabula ænea exhibiti Cratonis, & Wedelii.* 19. *Janisii Studium Musices, exempla Medicorum Musicorum.* 20. *Ejus Apparatus ex Naturæ Regnis.* 21. *Instrumenta Anatomica & Chirurgica.* 22. *Icon Mentis & Corporis.* 23. *Idem Loimiater Vrat.* 24. *Quinam ægri & quando primum Nosocomio Vratisl. olim illati.* 25. *Catalogus Pestilentiariorum Vratislav.* 26. *Epitaphium vetustum Medici Vratislav.* 27. *Officium Janisii in Physicatu, quinam Physici nobis audiant.* 28. *Macrobii in Physicatu.* 29. *Catalogus Physicorum Vratislav.* 30. *Merita Janisii in Academ. Nat. Cur. inter Collectores Triumviros.* 31. *Observationes ejus; Epistola Buccinatoria ad Adeptos excusata.* 32 *Ejus Labores Alchymici, occasio ad hos suspiciendos, Auri Chymici aliorum exempla, Chymica ejus Medicamenta.* 33. *Successus infelices Alchymici, & damna a Mystis.* 34. *Solatium ejus ab exemplis; a Scopo honesto: a Sostro Opimo ad normam antiquiorum. Vid. Grachus de Sostro.* 35. *Res ejus Alchymicæ.* 36. *Honores in Academia Natur. Cur; Torques aureus cum Imagine Divi Leopoldi.* 37. *Trinus Numerus multis Medicis Honores conciliavit, ubi & de Ædibus Cratonis Vratislav. agitur.* 38. *Janisii Adjunctura. Catalogus Collegii Vratislaviensis Natur. Curios.* 39. *Coætanei Eruditi Janisio noti.* 40. *Testimonia Auctorum de Ipso, & Encomia.* 41. *Morbus ejus, Pietas ex* εὐθανασίᾳ. *Nævi excusati.*

42. *Scripti hujus Excusatio, Epilogus, & Lusus Sepulcralis.*

Philosophum quæris Mystam, Medicumve celebrem?
Jænisi vultus Lector; & ora vide.
Adjuvit Fastos felix Sociusq; Triumvir
Duos Leopoldinum Nomen in Orbe manet,
Naturæ et tetigit gazas; sic præmia dignus
Aurea qui tulerit: CÆSARIS Effigiem
Tantum Memoriæ Jenisianæ addit G.B. Preuss. M.D. & Pract. Vrat:

Joh. Carol. Sc.

MEMORIA JAENISIANA.

VIrorum præstantium, in Patriam nec non Sodalitatem in Natura rerum perscrutanda Curiosam, merita ab obscura oblivionis umbra vindicare, illosque naturali morte extinctos a civili morte literis liberare, juris quam maxime naturalis existimarunt laudatæ Societatis Antistites. Hinc est, quod numerum propemodum vigesimum attingant Vitæ sive memoriæ Spectatissimorum olim hujus Societatis vel Academiæ PRÆSIDVM, ADJVNCTORVM & COLLEGARVM, partim ab ipsis Academicis, partim ab aliis Viris medicis aut Philologis, sive addito sive tecto Biographi nomine, perscriptæ. Liceat igitur, brevissimi Præfaminis loco, omissis Honorum titulis jure cuique debitis, omnem illarum, quotquot singulis Ephemeridum Annis hucusque reperire licuit, recensere seriem. 1

Vitæ sive Memoriæ

1. D. D. BAVSCHII (Joh. Laurent.) Præsidis I. *Autoribus* Adjunctis Nat. Cur. *cum* Effig. *extat* Dec. I. An. II.
2. - - SACHSII a LEWENHEIMB (Phil. Jacob.) Adjuncti. *Auctore* D. Majore Colleg. N. C. *cum* Effigie: *extat* D. I. A. IV. V. App.
3. - - SCHEFFERI (Sebastian.) Adj. *Auct.* D. Valentin. Colleg. D. II. A. V. *cum* Effigie.
4. - - VOLLGNADII (Henrici) Adjuncti, *Auctor.* Mart. Hanckio Rect. & Prof. Vratislav. *cum* Effig. *extat* D. II. A. VII. App.
5. - - ALLMACHERI (Joh. Frider.) Adjunct. *Auct.* D. Valentino Colleg. N. C. *est* Ibidem *cum* effig.
6. - - FEHRII (Joh. Michaël.) Præs. II. *Auct.* D. Lochnero. tunc Colleg. N. C. nunc Direct. *cum* Effig. D. I', A. VIII.
7. - - CLAVDERI (Gabriel.) Adjunct. *Auct.* D. Claudero Colleg. N. C. *est* D. II, A. X. *cum* Effig.

8. D. D. VOLKAMERI (Joh. Georg.) Præſid. III. *Auct.* D. Kirchmaiero Colleg. D. III. A. II. *cum* Effig.

9. - - HAGENDORNII (Ehrenfrid.) Colleg. N. C. *Auct.* D. Ledelio *eſt* D. III. A. II. *cum* Effig.

10. - - WEPFERI (Joh. Jac.) Adjunct. *Auct.* D. Brunnero Colleg. N. C. D. III. Ann. III. *cum* Effig.

11. - - MAJORIS (Joh. Dan.) Adjunct. *Auct.* D. Waldſchmidio Prof. Kilon. 1694. *eſt* D. III. A. V. VI. *cum* Effig.

12. - - LEBENWALDII (Adami) Adjunct. *Auct.* D. Wurffbainio Direct. N. C. Ibid. *cum* Effig.

13. - - MENTZELII (Chriſtian.) Colleg. N. C. *Auct.* Anonymo *eſt* D. III. A. VIII. *absque* Effig.

14. - - REISELII (Salomon.) Colleg. *Auct.* Anonymo. D. III. A. IX. X *cum* Effig.

15. - - MERCLINI (Georg. Abrah.) Colleg. *Auct.* Anonymo, Ibidem *cum* Effig.

16. - - WURFBAINII (Joh. Paul.) Direct. *Auct.* E. R. *eſt* Cent. I, II. Append. *cum* Effigie.

17. - - FRANCI de FRANCKENAV (Georg.) Adjuncti *Auct.* Vindiciano, Ibid. *cum* Effig.

18. - - GRÜNDELII (Joh. Benedict.) Colleg. N. C. Elogium. *Auct.* de Wenck Colleg. *eſt* Ibidem *absque* Effigie.

Tantum ad Anni 1714. Julium.

19. - - Johannis JANISII, Viri Nobiliſſimi, Excellentiſſimi, Ampliſſimi, Reipubl. Vratislavienſis Proto-Phyſici, Academiæ Imperialis Natur. Curioſ. Adjuncti, præmiſſis nunc ſuccedat *Memoria.*

2 Hanc præſtare ſalvam, pro virium tenuitate, ſingularis quædam,
inter cauſas alias, me jubet religio; eo quod in Proto-Phyſicorum
Vratislav. officio, Honorandorum Avi mei D. Godofredi THILE-
SII Succeſſor, Patris autem D. Maximiliani PREVSSII, cujus maxi-
me inſtinctu laborem ſuſcepi, Anteceſſor, adeoque inter Parentes
3 meos extiterit medius. Sed ab ovo ad mala! Annus poſt recu-
peratam humani generis Salutem agebatur ſupra milleſimum
ſexcenteſimum trigeſimum ſextus, quo ipſis Calendis Novembris

intra

intra Sileſiæ Vratislavienſem Terram Jæſchkittelienſem lucem aſpexit, luci olim profuturus publicæ. Dantur plura Medicorum clarorum, non intra editas urbium turres, ſed humilia pagorum aut oppidulorum ſepta natorum exempla, ex quibus ſufficiant Georgius Agricola Glauchæ, tunc temporis Miſniæ pago, Hieronymus Tragus & Johannes Opſopæus, Heidespachii & Brettæ pago & oppidulo Palatinatus, ſibi invicem vicinis, Euricus & Valerius Cordus Pater & Filius, Simeſuſæ viculo Haſſiæ, nec non Theophraſtus Paracelſus Eremi, vico Helvetiorum Tigurinenſi, in hanc mundi ſcenam producti. Patrem veneratus eſt Noſter Virum Reverendum & Doctiſſimum Johannem Jæniſium, Gymnaſiorum Vrat. Eliſabethani & Magdalenæi Præceptorem fidiſſimum, poſtea Auditorum ex XIV. pagis ad Groſſchottkavienſium & Jæſchkittelienſium Templa confluentium Paſtorem ordinarium laborioſiſſimum. Matrem habuit Mariam, honeſta Grunwaldorum familia ortam, varia virtutum congerie ornatam & ſedulis familiaris rei occupationibus addictam Matronam. Stemma hinc ab infantia agnovit, ut Plutarcho audit, non ὑπόχαλκον, ſed ἀνίβδηλον; & hac de cauſa opulentiæ ſplendorem ſolertiſſima educatione compenſare Parentes ſtuduerunt. Etenim novellum ſacro lavamine initiari, puerum primis literarum & religionis Chriſtianæ elementis, quantum per ætatis imbecillitatem licuit, imbui, in adoleſcentiæ vero ſolidiorem formam componendum, Gymnaſticæ Eliſabethanæ Juventutis communitati adſcribi, & Hodogetis fidiſſimis tempeſtive tradi curarunt; quibus magna excitatæ indolis exhibuit documenta, facile per expromti ingenii felicitatem, propoſita ſibi præcepta comprehendens, ſemel autem comprehenſa firmiſſime memoria retinens. Annumerandus his inprimis venit Johannes Gebhardus, Con-Rector poſtea & Bibliothecarius Eliſabethanus, cujus in Cunradi Sileſia togat. honorifica mentio, in formandis juvenum moribus, & Græcæ Linguæ peritia apprime verſatus, qui paterno velut hoſpitio ipſum excepit, & per plures annos aluit. Altiores Gymnaſii ſcalas conſcendendo Profeſſorum de civitate noſtra probe meritorum, Chriſtopho-

ſtophori Coleri in Politicis, Hiſtoricis & Linguæ Latinæ elegantia, Eliæ Majoris, Senis poſt exactos in juvenibus erudiendis 50. annos, publicis applauſibus condecorati, in Philoſophicis, Johannis Frimelii & Ananiæ Weberi in Theologicis, doctrinas & commentationes avidiſſime hauſit. Sic accidit, cum humanitatis diſciplinæ in ejus animo non frigerent, ſed frequenter juvenilibus ſpeciminibus ſe proderent, ut facile Docentium animos in ſe converteret, & commilitonibus æmulationis ſtimulum adderet Gymnaſii cancellos, exacto ibi decennio, egreſſus patrios fines, & dulcia linquere arva ſecum conſtituit: almæ igitur Phylureæ ſe committens, cum non ſolam Medicam Medico ſufficere artem perſuaſiſſimus eſſet, Philoſophicis & Mathematicis bellariis, quoties per ſtudiorum Medicorum ἔργον licuit, intime delectatus eſt Platonem ferunt pro tribus rebus gratias Numini egiſſe, quod maſculum non fœminam, quod tempore Socratis, quod Athenis ſe naſci voluiſſet: Gratias ſic Deo perſolvit maximas noſter, quod non unum quendam Socratem, ſed tot celeberrimos illius ævi Viros, inprimis Medicos, nactus fuiſſet ſtudiorum directores, ad recondita artis ſalutaris ſibi inſtillanda axiomata. Lipſiæ nimirum Leonardum Vrſinum in Botanicis oculatiſſimum ducem, Georgium Welſchium, in arte diſſecandi nitide cadavera faces præferentem, Chriſtianum Langium Affectuum humani Corporis Sanitati inimicorum cauſas & ſigna exponentem, Johannem inprimis Michaëlem non modo Praxeos Medicæ, ſed etiam ſplendidæ per ignem Philoſophiæ Præcepta tradentem, ſummo ſtudio frequentavit, & ſingularem ad hæc ſacra zelum jam tunc perſentiens, Laboratorii Chemici ſæpius director felix extitit. His Doctoribus cum per plures annos optime ſe probaſſet, cumque in ſororiis Academiis Leucorea Sennerto, Salana Rolfinckio Chymiatro ſe commendaſſet; Vrbium Imperii præcipuarum tam monumenta rariora perluſtravit, quam Rerum naturalium & artificialium ſcrutinio inhæſit, & paſſim coætaneorum, quorum ſucceſſu temporis vel Praxeos Clinicæ vel Societatis Curioſæ Collega reddebatur, amicitiam ſibi conciliavit. Confœderatum poſtea Belgium,

gium, theatrum velu consummatissimorum Virorum & rariorum Naturæ Artisque Operum intravit; Amstelodami Gerardum Blasium, Operationum Anatomicarum & Chirurgicarum exactum administratorem, Trajecti ad Rhenum Isbrandum Diemerbrockium, Anatomicum subtilissimum, Lugduni Batavorum Joh. Anton. Lindenium, Medicinam Practicam profitentem, & Adolphum Vorstium, Horti Medici singularia facillimo ordine demonstrantem diligenter invisit. Inprimis tamen maximum studiis incrementum accessit, quod Auditor ibi fuerit quotidianus Francisci de le Boe Sylvii, in Nosocomio ad ipsos ægrorum lectos Theoriæ Medicæ in felicem Praxin deducendæ Methodum, adhibito apparatu Pharmacorum tot morbis Proteiformibus convenienti, explanantis, ac Johannis Hornii, Sectiones Anatomicas, & Chirurgicas encheireses sæpius administrantis; ejusdem scilicet Hornii, cujus Opusculis nostra ætate lucem novam affudit observationibus suis selectissimis Vir in recentiorum & exterorum Scriptis versatissimus D. Jo. Guil. Pauli Professor Lipsiensis, quem Doctorem quondam meum dexterrimum perpetuo veneror. Tot igitur Reipublicæ Medicæ Statoribus placuisse, & eorum placitis, per 5. annorum seriem, attentam aurem præbuisse, tot vivæ Praxeos vera exemplaria variis in civitatibus conspexisse, non ultimam beato Jænisio laudem conciliat. Secutus est hoc modo Hippocratem & Galenum, quorum alter Insulæ Coi, hic Lemni urbes singulas Templaque permeabant, ut morborum historias tabulis ibi descriptas colligerent, & experientiæ augmentum indies adderent. Abitum Lugduno paranti restabat unice, ut modeste quæsitum laborum & studiorum hostimentum obtineret, & obtinuit. Quamprimum enim Tentamen & rigorosum Examen condigne superasset, & Dissertationem inauguralem de Morbo Hungarico, Castrorum sævo depopulatore, ipse Auctor clypeo præsidiario destitutus mascule defendisset; Honoribus & Privilegiis Doctoris solenni ritu A. 1663. d. 10. Julii illum condecorarunt Facultatis Medicæ Lugdunensis Antistites. His instructus sæpius animo secum volvebat exempla Medicorum celebrium

6

7

um

um Silesia ortorum, alienum vero solum patrio præponentium.
8 Sic Sennertum Vittebergam, Kirstenium Vpsaliam, Ortlobium & Ammanum Lipsiam, Illmerum Viennam, Crafftum ex Majoribus Cratonis Erphordiam, Majorem Kiliam, Reiselium Stutgardiam, Hagendornium Gorlicium, Grundelium Marpurgum meritis suis ornasse, Vitæ tantorum Virorum perhibent: ille vero in Patriam effundendas usuras depositi a natura benigniore sibi traditi, & studioso labore peregrinis regionibus aucti, constans meditabatur. Vlysses amœnitatibus peregrinorum Alcinoi hortorum Ithacam, asperam licet patriam præferebat; hinc non mirum, quod exterorum delitiis Silesiam minime asperam, sed literis & artibus cultissimam, Medicorum fertilissimam Terram no-
9 ster prætulerit. Emensis ergo itinerum stadiis, Vratislaviam suam 1664. revisit: Quantum huic profuerit, testatur τὸ τεχνωθῆναι, ad quod refertum scientiis Medicis penu attulit, testantur eidem adhuc superstites Cives, quorum curam secundis avibus suscepit, testantur Medici, quibus intimius innotuit, & inprimis Honorandus Parens meus, ex quo varia Jænisii singularia me percepisse profiteor. Nam quoties ad valetudinis vel custodiam vel reparationem vocabatur, auspiciis Divinis, morborum conditionem, causas, signa serio secum perpendit, nec tardum, nec nimis præcipitem se gessit. Promtus semper accedebat comitate, ægrorum solatio, comitatus, hinc animosa verborum & persuasionum suavitate decumbentium spem & fiduciam haud raro debilitatam confirmabat, imo ipsis doloribus delinimentum adhibebat. In Medicamentorum viribus explorandis curiosus, sed simul cautus & constans, rem agebat, mutatis tamen ægritudinum vicissitudinibus consilium his accommodare mutatum nullus dubitans. Experimenta per mortes abhorrebat, consulationes cum confirmatioribus sanitatis restauratoribus ambiguo in casu placide expetens, eo quod experientiæ, τὸ ἰσόθεον concilianti, suffultas rationes aliorum lubens perciperet. Equidem non ausim affirmare, omnes ejus consilium implorantes, velut ab attactu Regiæ manus, sanatos recessisse; semper enim debellare morbos non est in potestate Medi-

ci,

ci, uti nec in Imperatoris hoſtes. Attamen ut plurimum finem Médici ultimum cum applauſu conſecutus, & Æſculapio, ut ajunt, Gallum lucratus eſt: Sic factum, ut & ægrorum, ſive fuerint Magnates & Vrbis Proceres, ſive mediæ conditionis Cives, fiduciam, & Medicorum animos in ſe derivaverit, lubentiſſime conſilia cum ipſo conferentium. Accedo ad matrimonium, quo ſubio initia ſtatim Praxeos tempeſtive ſibi proſpexit. Notum quippe eſt, verecundiam ſexui ſequiori (meſſem alias medentibus optimam præbenti) connatam, & familiarem fœmellis ægrotantibus pudorem, vel adſtantium anicularum ſuſurros, bella ſæpius Neo Practico cœlibi movere; nec dictos hoſtes facile debellari, niſi, fœdere matrimonii palam inito, Sexus debilioris fiduciam & inducias aucupari quis tentaverit. Nam pauciſſimis Medicis contingit, ut, exemplo Caroli Cluſii, Petri Monavii, Henrici Fuirenii, Adami Lebenwaldii, in continuo cœlibatu degant, & tamen Praxeos ſimul fructus uberiores percipiant. His rationibus permotus Jæniſius maturum cœlibatui nuntium miſit, & pervenit ad felicitatem inter præcipuas non ultimam, acquirendo A. 1667. d. 23. Novembr. vitæ Sociam (ut Heinſii verbis utar,) ante nuptias in matris gremio paucis notam, honeſtiſſime educatam, & rei domeſticæ tuendæ probe gnaram, Virginem piiſſimam & caſtiſſimam SUSANNAM, Nobilis & Honorabilis Viri PHILIPPI VOLLGNADII, Civis & Mercatoris Vratislavienſis celebris Filiam. Multi cum vix primis labris conjugii beatitudinem deguſtaverint, ſolutam mortis injuria vinculorum unitatem nimis mature deplorare coguntur: hic vero per ſex luſtrorum, & quod excedit, ſpatium conjugio ob concordiam, varias virtutes dotesque frugifero & fertili fruebatur, licet ſterile hoc liberis viderit. Enimvero non- 11
nulli Eruditorum in ſecundis rebus ponunt conjugium absque liberis probantes illud Avtomedontis apud Cœl. Rhodigin. Antiqu. lect. lib. XI, c. 14. Vid. Grachus M. H. S. II. 48.

εὐδαίμων πρῶτον μὲν, ὁ μηδενὶ μηδὲν ὀφείλων,
εἶτα δ' ὁ μὴ γήμας, τὸ τρίτον ὅσις ἄπαις. &c.

Pertimeſcunt hi modo educationis tædium, modo vitæ diſcrimina, modo ætatis ſecuturæ infelix augurium, modo obitum libero-

rum excipientes dolores; cum Scaligerum & Janum Douſam, Filiorum præmatura morte quaſi fulmine tactos, Julianum, teſte Hieronymo, intra 20. dierum decurſum binis filiis & uxore privatum fuiſſe, Ger. Jo. Voſſium ex numero 6. filiorum unicum Iſaacum ſibi ſuperſtitem vidiſſe, literis conſignatum legerint; ut omittam Reges & Principes conſimili fato tactos, quorum ſeriem Beatus Chr. Gryphius, (cujus inſtitutiones intimiores poſt funera gratus colo,) Obſervatione ſingulari olim exhibuit. Hæc vero tot diſcrimina Jæniſium, cordatiorum exemplo, deterrere non potuerunt, quin precibus ſeriis optarit, ut hocce ipſius matrimonium, cui magnam alias felicitatis ſuæ partem acceptam referebat, tandem & liberis ac hæredibus fœcundum redderetur. At fruſtra! ferendum enim æquo animo, quod mutare Numen nolebat, expertus didicerat. Potuiſſet certe in fatorum conſortium ſibi adjungere ſupra laudatum ſuum in Gymnaſio Præceptorem & Hoſpitem Gebhardum, & ex Wittenii & Adami Mediceis celebribus, Chriſt. Langium, quem Doctorem Lipſiæ habuit, nec non Felicem Platerum per integros 56, & Ludovicum Gravium Heidelbergenſem per 41. annos, matrimoniorum ſterilitati obnoxios, quibus accedit Conradus Gesnerus & Johannes Nævius
12 Chemnicenſis, quorum uterque ἄπαις vitam finivit. Fatum hoc noſtri mitigavit aliud quoddam vitæ humanæ ſolatium, facultates nimirum opimæ & opes liberaliores, quas non tantum per dictum connubium, ſed etiam hæreditatem quandam Elsnerianam, & Patrui Jæniſianam, florentibus adhuc ætatis annis nobiliſſimum hoc Conjugum par acquiſivit, Paucioribus ſcilicet cum πλεονεξία ejusmodi contingat, plures autem fatum Cosmæ & Damiani antiquitate Medica celebrium, ſed, perhibente Euſebio, perpetuo ἀναρχύρων, hac ferrea ætate premat, eo magis iſtam inter
13 ſingularia dona ſibi divinitus conceſſa reponebat Jæniſius. Sic per facultates integrum ipſi erat, Praxeos continuæ tædiis & curis interponere interdum gaudia & Polymathiæ delicias, in quam (a Johanne Wouwerio & Ludovico Creſollio fuſe defenſam,) & e emplis Eruditorum & proprio Genio Joviali nonnunquam ferebatur,

rebatur. Huic Polymathiæ autem adſcribo, eruditas vel curioſas meditationes, quibus a praxi & officiis vacuus in muſeo ſe addixit, ſive objecta ejus fuerint libri, epiſtolæ, ſive inſtrumenta Mathematica & Mechanica, Armaturæ, Picturæ, Numismata, Muſica, ſive fuerint Inſtrumenta Anatomica, Chirurgica, apparatusque ex Regnis Naturæ varius; graviora Loimiatri, Phyſici, Adjuncti, Officia, & ſublimioris Philoſophiæ labores poſthæc recenſurus. Librorum lectioni ſedulo vacabat, nec tantum recentio- 14
rum Medicorum & Philoſophorum, ſed & veterum ſcripta perluſtrabat, ſervans Oraculi monitum Zenoni olim datum: Se non aliter fieri poſſe eruditum, niſi concoloraretur antiquis, hoc eſt, (ſi noſtræ ætati applicemus) niſi recentiorum & veterum placita & experientiam combinaret. In Mathematicas & Me- 15
chanicas contemplationes, juvenilibus annis jamdum excultas. Vir quoque ſumme intentus erat, quod teſtantur in Muſeo ejus olim conſpicienda inſtrumenta & arte facta, non exiguis ſumtibus paſſim conquiſita, ſcilicet Aſtrolabia varia, inter quæ ſexangularia, Quadrantes aſtronomici, Stativa, ut vocant, inſtructi, Quadrantes ad transferendas in majus vel minus ſpatium figuras, Corpus 26. Planorum cum Sciatericis, Menſula Prætoriana, Circini Proportionum variis uſibus Architecturæ militaris adaptati, cum Sciaterico, Circinus Proportionum major operoſiſſimus Johannis Eggerich Frers Leydenſis, Hydroſtatera cum ponderibus & Globo, Microſcopia, Coni & Tubi Optici, Globi, Specula Cauſtica, Scyphi & Vitra alia ob encauſticen, colores varios, ſubtilitatem, lemmata ingenioſa, rariſſima; Horologium Muſicum inſignis magnitudinis & pretii, clavicymbalo conſimiles Chordas motu automatico pulſans, in dulcem Hymnorum melodiam unitas, & hujus generis plura Automata. Inſuper Armorum 16
(Armaturæ) diverſiſſimas ſortes magno numero poſſedit, Gladios, Enſes, Sclopeta, Bombardas ab artificibus celebribus, inprimis Lazarino Cominazzo Italo præparatas, quibus rite tractandis, explodendis & metas ſibi præfixas apte tangendo, Virum ſe præſtitit noſter, quoties hac de cauſa intra urbis pomœria, more apud nos recepto, in Civium honoratiorum certamina prodiiſſet. Ta-

bulas ingenioſe pictas & affabre æri inciſas, Autoribus Alberto Durero, Luca Cranacho, Kiliano, Sandrarto, copioſe collegit, &
17 perite dijudicare novit. Ad Numismata tranſeo, ob nitorem, multitudinem, inventionem ingenioſam, plane ſingularia, quorum omnium Catalogum hic nectere diffuſum nimis eſſet. Binorum tamen Nummorum maximi moduli meminiſſe juvabit, celebris Raymundi Faltzii manu cælatorum, viſu ſane dignorum. Prior imaginem Frid. III. Electoris Brandenb. averſa vero partes Rhenum inferiorem liberum Anno 1689. cum Lemmate: *Salus Provinciarum*, ſiſtit. Alter Sophiæ Charlottæ Electricis Brandenburg. imaginem, averſa eandem habitu Majeſtatis ſedentem, & Principem Hæreditarium in gremio tenentem, exhibet. Lemma additum, Inventorem L. Baronem Spanhemium agnoſcit: *In una ſede morantur Majeſtas & Amor*, quo iſtud Claudiani, non in una ſede morantur Majeſtas & Amor, ingenio-
18 ſe refutatur. (Vid. Hamb. Remarqu. Anno 1693.) Inprimis recenſione dignos judicavi binos argenteos Nummos, ad Hiſtoriam Medicorum literariam Sileſiæ pertinentes, ob raritatem Jæniſio in delitiis habitos; in Melchiore Adamo autem ſedulo memorabilium Cratonis, ex ejus Biographis, Collectore, imo & Manuſcriptis quibusdam Sileſiorum fruſtra a me quæſitos. In Majori (ſub Numero A. Tabulæ æneæ hic additæ) imago appareret Cratonis, cujus caput τίαρα tegit, barbaque, more iſtius ævi, eſt promiſſa, ſubnexis verbis: ÆTA: (TIS) SVÆ XXX. Hanc barbæ iſta ætate ita geſtari conſuetæ prolixitatem non adeo mirabitur, qui viderit æri inciſam Lamperti Alardi Philoſ. Magiſtri & Poëtæ Laureati Anno 1629. Æt. ſuæ XXVII. non minus prolixa & denſiſſima barba conſpicuam effigiem, Commentationibus ejus in Flacci Argonauticon Lipſ. 1630. in 8vo. præfixam. Averſa nummi facie ſiſtuntur Cratonis Inſignia Gentilitia, forſan ab ejus Majoribus *Crafftiis* accepta; quibus ſingulare eſt, Brachium Simſonis maxillam aſininam tenens, & Stellæ octo angulis ſive radiis conſtantis dimidia pars, ex qua prodit ſimulacrum vel Simſonis vel Gigantis nudi os leonis (obſcurius licet Nummo expreſſum)

NUMMI MEDICI
in Memoria Iænisiana recensiti.

A

B

C

ſum) comprimentis, ad deſignandum procul dubio Robur ſive Krafft, & Symbolum ſimul Cratonis, *Iræmodereris & Ori.* Orbem integrum circumdant verba: JOHANNES CRATO, ART. (ium, vel Philoſophiæ) ET MED. DOCT. CONFIDE RECTE AGENS ANNO LI. Hic annus neceſſario erit Seculi iſtius 1551. quo ipſo Crato XXXII. ætatis ſuæ agebat, licet prior Nummi facies loco 32. numerum rotundum XXX. ponat. Iſto tempore Cratoni adhuc juniori inſignia illa familiaria adhuc fuiſſe videntur; cum annis provectioribus Maximilianus II. nobilitate & cognomine a Crafftheim, nec non Conſiliarii & Archiatri dignitatibus Inſignibusque longe auctioribus ipſum ornaverit, Probant hoc Librorum Bibliothecæ ejus Ornamenta, probat & ejus Epitaphium artificioſiſſime Alabaſtro pretioſo, curante ipſius Filio Medico, inſculptum, in Templo Vratislav. Eliſabethano non procul ab Altari conſpiciendum, ubi Inſignia Cratonis a Crafftheim in 4. Regiones diſtincta cernuntur, quarum binæ binos Leones erectos, tertia Brachium Simſonis cum maxilla aſinina, quarta tres Stellas integras ſex radiis conſpicuas, addita Galea aperta, quæ in Craffianis clauſa, monſtrant. Hic Nummus Cratonem Virum vegetum exhibuit: ſequitur alter ſub litera B. eundem Senem canescentem ſiſtens, additis: JOAN. CRATO. PHIL. & MED. Doctor. Averſa conſpicitur mulier lapidi majori angulari (forte ſepulcrali) inſidens, cujus alter utrum angulum demiſſa manu dextra prehendit, ſiniſtra vero pectus denudatum ſuſpirando percutit, vultu elevato & oculis in cœlum directis, ubi in medio radiorum ſolarium appareat oculus, divinæ Juſtitiæ & Omniſcientiæ ſymbolum, additis Hemiſtichio græco (quod Parodiam Homerici Batrachom. ℣. 96. ſapit,) OI EXEI ΘEOΣ ENΔIKON OMMA (Heu habet Deus juſtum oculum!) & monito: FIDE DEO FAC RECTA. Certe contenta hiſce breviſſime exprimuntur Epitaphii in Adami Vitis reperiundi p. 272. quod Crato Senex ſibi ipſi poſuit, & junior adhuc, ſi priorem Nummum conferamus, mature deſignavit:

Saucius invidiæ morſu: ſed vulnere ſanus
Chriſte tuo, jacet hic in requiete Crato,

Conſciæ mens recti, Chriſto confidere doctæ,
Omnia fert, ferat ut, ſcire Deum ſatis eſt.

Crediderim igitur, muliere prædicta vel Conjugem Cratonianam (cujus 1585. demortuæ obitum tam acerbe doluit maritus, ut ipſe eodem anno mœrore confectus deceſſerit) vel potius conſcientiam, aut mentem puram recti & juſti ſibi conſciam, Divinæ Omniſcientiæ teſtimonium ſuſpiriis, quaſi per jovem lapidem jurando, implorantem indicari. Abſit autem, ut Oedipum his conjecturis me credam, meliora & probabiliora ab Hiſtoriæ Medicorum & Autorum literariæ peritioribus cupidiſſime expectans, & ſimulacro iſto ipſam potius Phyſin ſive naturam deſignari ſtatuentibus minime contradicens. Tranſierunt nunc hi nummi ex Jæniſiano in Muſeum M. Godofredi Hankii, Affinis mei æſtumatiſſimi, qui ut æri inciſos ſiſterem, humaniſſime permiſit. Tertius quidam nummus Cratonianus mihi non viſus, Doctiſſimo Vratislavienſium Krantzio innotuit, cujus prior facies, Divi Maximil. II. averſa Cratonis a Crafftheim Imagines exhibet. Neque vero hic in Adami Vitis reperitur, licet elegans Poſthii Epigramma in Effigies Cæſaris & Cratonis ſibi ſimiles ibidem extet. Poſſet quidem hac occaſione in argumentum de Nummis Medicis curioſius inquiri, & ex recentioribus Nummus Rivianus Jubilæi Lipſienſis Anno 1709. recenſeri, ſed cum des Agenten der Staats- und gelehrten Welt Functio. III. Depeche 1. 2. æri inciſum iſtum dederit, liceat unicum adhuc ſub Lit. C. a C. Wermuth A. 1704. in memoriam perpetuam Celeberrimi Jenenſium Profeſſoris Wedelii cuſum, ſupplementi loco ſubjungere. Prior facies imaginem & titulum Wedelii, averſa Effigies IV. Medicorum Veteranorum, Hippocratis, Galeni, Helmontii, Theophraſti, Statuis Pyramidalibus affixas refert cum Epigraphe, Eclecticorum velut Symbolo: NON
19 VNVS SED QVICQVID AD VSVM. At redeundum ad Jæniſium! Sane ſi ad Polymathiæ ſtudia pertinet Muſica, in vitæ condimentum & fatorum ſiniſtrorum ſolamen mortalibus conceſſa, imo morbis gravioribus, teſte Baglivo, Bartholino, Kirchero, ſalutaris, neque Socrati Seni fidibus canenti exoſa; nunquam noſter

cum

cum Themiſtocle lyram recuſante habitus fuit indoctior, ſed per horas ſucciſivas non modo conventus Amicorum & voce & inſtrumentis, quorum callentiſſimus erat, cum applauſu exhilaravit, ſed & Muſeum ſuum Inſtrumentis & Thematibus ſelectioribus inſtruxit, hac de cauſa Medicis Muſices peritis, Davidi Herlicio, Adolpho Vorſtio, Antonio Lindenio, Adamo Lebenwaldio, ut ex Vitis eorum patet, merito annumerandus. Quantum quæſo apparatum rerum curioſarum, ex vaſtis naturæ Regnis magno ære collectarum, Muſeum Noſtri exhibuit! Quot paginæ requirerentur ad enumerandas tot metallorum ex Hungaria, Saxonia, Suecia, diſſitisque longe regionibus conquiſitorum, lapidum figuratorum & coloratorum, Foſſilium Sileſiacorum, Petrefactorum in thermis & alibi repertorum, Terrarum Sigillatarum & Crudarum, Concharum majorum & Conchilium (ex quibus Tellinas, echinatas, denticulatas, fiſtuloſas, Buccinas, matres Perlarum, Concham veneris rariſſimam & Cornu Ammonis, imaginibus ac figuris ſubtiliſſime obductum, nominaſſe ſufficiat) tot plantarum, radicum, ſeminum, patrio & extero ſolo natorum, ſingulorum in ſingulis thecis aſſervatorum, & magnam partem in hortis propriis olim a Noſtro productorum diverſiſſimas ſpecies! Ad Anatomicorum & Chirurgicorum Inſtrumentorum ſupellectilem ejus deveniendo, nimis diffuſum pariter foret, accurate deſcribere omnes Tubos, Tubulos, Siphones, Cultros, Cultellos, Forcipes, Acus, Vncos, Catheteres flexiles & non flexiles, fiſtulas argenteas, ſingula Cauteria, Terebella, Specilla, Trepana, Herniarum Subligacula & alia Inſtrumenta, quæ læſionibus partium & artuum noſtri corporis ſubvenire ſolent Mechanico-Chirurgica, ſæpius ad Encheireſes a Chirurgis, permiſſu ejus, cum ſucceſſu adhibita, ut taceam Sceleton, artificioſam oſſium humanorum compagem exhibens, uſibus quotidianis deſtinatum, & propriis ipſius manibus maximam partem olim hic extructum. Hiſce Polymathiæ eruditæ & curioſæ teſtimoniis perſpectis eo facilius Icon Mentis & Corporis Jæniſii concipi poterit. Scilicet quoad mentis animique imaginem temperata quadam Affectuum mixtura gaudebas,

debat, non sola forte Polymathia sese oblectans, sed ad quævis rerum Medicarum & Philosophicarum recondita momenta profundis meditationibus indaganda capax & patiens; in rebus Officii seriis sermones Sesamo aut Papavere non adspergebat, sed sesirius composita gravitate differebat: justo tamen tempore salibus & facetiis memoriæ præsentissimæ ministerio, amicorum Symposia quandoque exhilarare licitæ omnino recreationis existimabat. In corporis ejus temperie sanguis spiritibus vegetis turgidus prævalebat, statura ei justa, habitus ἔυσαρκος ὀρθοσάδιος erant, facie leporibus mixtam, & serenam gravitatem præ se ferebat; vestitu nec sordido, nec ad profusam multorum licentiam splendido, sed modesto & eleganti incedebat. Laboribus quibusvis ferendis par, non facile fatigationibus aut valetudini cessit, quæ rarius ipsum tentavit, licet quotidie fere ægris in Xenodochio nauseabundum quid spirantibus adstiterit, ac diæ-
23 ta interdum liberiori usus fuerit. Officia ejus quod attinet, An. 1673. Gratioso Senatus Consulto Pestilitatis Medicus Nosocomio, quod ab Omnibus Sanctis nomen habet, præfectus, nihil antiquius habuit, quam in laborum huc spectantium contentionibus per 12. annos frequentissimis versari. Sive enim ægros magno numero huc confluentes a Chronicorum, acutorum, Epidemicorum, inprimis 1673. 1681. grassantium morborum insultibus, præscripto convenientium remediorum apparatu, liberare & ab interitu per Sospitatoris gratiam vindicare cum successu laboravit, sive Chirurgorum Ordinariorum operationibus externis felix consilio Director adstitit, nonnunquam & ipse manum admovit, ferro & cultro naturæ in hominibus miracula scrutando. Quid quod & extra Nosocomii muros variis Encheiresibus Chirurgorum, olim Johannis Franciści & Godofredi Scholtzii, ac Godofredi Purmanni (cujus scripta ab ipsis exteris non absque laude citantur) eum interfuisse σύγχρονοι ejus ac Ephem. Nat. Cur. D. I. A. I p. 34. A. V. App. N. XVI. p. 3. D. I. A. IV. p. 244.
24 satis testentur. In hoc officio cum Jænisius, ejusque Antecessores & Successores tot myriadibus afflictorum præsidio extiterint.

juva-

juvabit Catalogum Medicorum Vratislaviæ Peſtilentiariorum, quem ab exordiis hujus officii ad noſtram usque ætatem ex Actis quibusdam publicis collectum, honorandus parens mecum communicavit, Lectoribus tradere. Prius tamen ex Actis Noſocom. MStis præmittendum erit, quod a tempore deſignati An. 1523. & ædificari cepti 1526. Xenodochii, ſæviente inprimis A. 1542. 1555. 1568. 1572. 1585. 1599. 1600. &c. peſtilitate, ægri morbis potiſſimum externis (quorſum & Peſtis ob Bubones & Carbunculos tunc referri conſueverat) decumbentes, non excludendo poſtmodum & internis affectibus laborantes, dictis ædibus illati, ac Chirurgis ordinariis, den Stadt- und Wund-Aertzten / ab Inſpectione Phyſicorum ſucceſſu temporis dependentibus, traditi fuerint. Cœperunt igitur certo demum Salario urbi noſtræ obligari *Peſtilentiarii*

I. *Temporarii*, recedente contagio interdum dimiſſi,

Vocationis An. 1613. *D. Johannes Dobritius*, d. 16. Auguſt. & eo- 25
anno iterum dimiſſus.

- - - 1613. *Henricus Mühlpfort.*
- - - 1626. *Johannes Donatus*, receptus Aug. 25. graſſante tunc Peſte, ſed ceſſante eadem, dimiſſus.
- - - 1629. *D. Gregorius Franck*, d. 23. Jan. urbis ſimul Phyſicus.
- - - 1631. *D. Johann Creutzmann*, d. 10. Dec. itidem Phyſicus ſimul.
- - - 1633. *D. Chriſtophorus Eiring*, d. 8. Auguſt. eodem Menſe obiit Peſte.
- - - - *D. Paulus Müntzer*, d. 3. Sept. paucis inde diebus Peſte mortuus.
- - - 1633. *D. Caſpar Cunradus*, d. 3. Oct ſimul Phyſicus, obiit eodem anno peſtilitate infectus.
- - - 1634. *D. Johann Donat*, d. 8. Mart. idem, qui ſupra dimiſſus.

II. Perpetui:

- - - 1646. *D. Adam Scholzius*, d. 9. Nov. cui tandem perpetuo valetudinario, & Seni, sponte An. 1673. ab officio se abdicanti, surrogatus est

- - - 1673. *D. Johannes Jænisius*, d. 14. Januar. dimissus 1685. & Physici munere ornatus.

- - - 1685. *D. Maximilianus Preuss*, d. 16. Junii, dimissus 1706. & Physicus constitutus.

- - - 1706. *D. Daniel Schönfeld*, Maj. 3. sponte A. 1711. d. 4. Febr. dimissionem quærens, eam obtinuit, Praxin adhuc in Patria exercens.

- - - 1711. *D. Henricus Daniel Oheimb*, mens. Mart. An. 1713. Febr. 6. ætatis XXX. anno obiit.

- - - 1713. *D. Godofredus Milde*, Febr. 16. receptus.

26 Plures antiquioribus temporibus ordinarios eruere neutiquam licuit, nisi huc referre nonnemo voluerit Epitaphium, in MSto quodam Hanckiano, Heneliano & Rhoniano repertum, in Templi autem Mar. Magdalenæi Sacrario nuperrime visum & sequentibus antiquioris scriptionis literis expressum:

Anno Domini MCCCCXXXIIII die XXIIII. mens. Augusti, in die S. Bartholomæi Apostoli obiit, egregius & famosus Vir Magister Johannes de Hassia Medicine Doctor. Physicus Pauperum præsertim Sacerdotum, Canonicus Vratislav. & Legnicensis. Ecclesiarum Decanus. Orate Deum pro eo.

Sicum Hodgeson in Loimographia Londinens. Pestem vocemus Luem vel Morbum Pauperum, & adeo Medicum Pauperum, Pestilentiarium, posset iste Johannes ex Hassia oriundus in hunc censum venire. Sed, urbe a Pestilitate tunc temporis prorsus liberа, magis arridet sententia Henelii MS. S. T. Hassiacum Pauperum Medicum eo dictum, quod ab egentioribus nullum pla-

27 ne operæ pretium exegerit. Indefessis in Nosocomio laboribus cum satis se commendasset Jænisius, ad Physici ordinarii officium Gratioso Senatus consulto, evectus est. Sane cum ad mentem Henelii, a Caroli Magni ævo, Medicina audierit Physica, & Medici, apud illius & sequentium seculorum scriptores, Physi-

Physici semper nuncupati fuerint; tale nomen pluribus quidem Medicinæ Practicis competeret, nec D. Joach. Georg. Elsnero sub 1673. & D. Johan. Acolutho sub 1686. annum, nec pluribus aliis Vratislaviensibus, in Ephemeridibus Nat. Cur. hoc titulo notatis, denegandum foret. Ast melioris ordinis causa, superioribus jamdum seculis prudentissime cautum est, ut apud nos Physici salutentur isti saltem Duumviri, quos jurejurando & salario fixo urbi nostræ obstrictos Illustris & Magnificus Senatus in consessum suum ideo vocat, ut in rebus Physicis & Medico-forensibus Rempublicam propius tangentibus Consiliariorum & Judicum quasi vices palam subeant; ab Henelio & aliis, Archiatrorum Reipublicæ, Poliatrorum ordinariorum urbis, nomine passim honoratos. Eo magis inter singularia Jænisiana ponendum, quod per 22. annos hanc spartam prudenter ornaverit, quo pauciores vigesimum hujus officii attigerint; solum enim Sprembergerum 32. Cratonem 35. (si forsan & absens muneri invigilavit,) Woyselium Seniorem 26. Joh. Agricolam 25. & Gothofredum Thilesium 29. annorum Physicatum Macrobios gessisse, ex ordine successionis elucescit. Quoties noster tot annorum spatio Officinas Pharmacevticas visitaverit, Medicamenta & Præparata censuræ subjecerit, quot consilia & decisiones forenses, vel solus vel cum aliis in amplissimi muneris consortium adhibitis, expedierit, facile concipi mente poterit. Inprimis Protocollum ejus, ut vocatur, plurima gladiis transfossorum, sclopetis transfixorum, verberibus violentis occisorum, fœtuum enecatorum, vel præmature enatorum, rariorum capitis læsionum, partium cancrosarum, salivationum incaute administratarum, Medicamentorum seu falso seu merito suspectorum, matrimoniorum ob causas Medicas solutorum &c. exempla, additis decisionibus forensibus, perspicue tradit. Operatores, ut audiunt, Ophthalmicos, Lithotomos, Herniotomos, si singulare quid encheiresibus præstiterint, omnino approbavit, & consiliis instruxit: ast Circumforaneos, Medicastros, a Fido Eckhardo dudum ingeniose castigatos, Aniculasque odio semper habuit, & sæpius

28

palam indoluit innumeris credulorum per ejusmodi irruptores impune occisorum funeribus. Qualem se gesserit in Examinibus XIII. Chirurgorum Vratislaviensium, quæstiones fundamentales proponendo, Monita & Consilia circa Encheireses circumspecta suppeditando, ipsi maximam partem ad-
29huc viventes grato quærentibus enarrabunt animo. Antecessores nostri in hoc officio scire cupientibus satisfacturus, Indicem nominum lubens apponam, cumque J. D. Major in Memoria Sachsiana, præter singularia quædam, annos receptionis ex carmine latino Mühlpfortii, Physicatui Thilesii dicato, usque ad 1672. tradiderit; nunc Supplementi loco illorum emortuales, officia simul gesta, pauculaque ibi prætermissa alia, ex Pohlio, Cunrado, MStis Hanckii & Henelii S. T. liberali Intimi Hankii manu concessis, ad hunc usque annum adjiciam, quia specialiora hæ paginæ hac occasione non ferunt.

PHYSICI Vratislavienses, præfixis receptionis annis:

A.C.1533. *D.D. Matthias Auctus*, Primus Ordinarius Vratilav. Physicus, edidit ipse primum einen Pest-Unterricht &c. Preßlau 1542, obiit 1543. Maji 26.

1540. - - *Dominicus Weiss*, priori viventi accessit, a quo tempore bini semper simul Physici fuerunt; obiit 1550.

1545.- - *Johannes Spremberger*, edit: Eine Pest-Ordnung 1555. obiit 1577.

1550.- - *Johannes Crato* a Craffftheim, Archiater III. Imperatorum, præter alia multa, edidit eine Pest-Ordnung. Anno 1553. obiit 1585.

1556.- - *Balthasar Scheider*, in Pohlii Hemerolog. Memor. Sachs. Laur. Scholtzio sub finem præfat. ad Consil. & Epist. Cratonis, Cunradi S. T. inter Physicos relatus, sed ab Henelio MS. S. T. omissus. obiit 1574. Febr. 24.

1581.- - *Sigismundus Woysel* Senior, Ædis simul ad S. Barbaram per 35. annos Curator, obiit 1607.

A. C.

A.C.1585. *D.D. Caſpar Packyſchius*, cujus Syrupum abſterſivum de Myrobalanis, ab auctore officinis Vratislav, traditum, Sennert. Prax. Med. lib. III. commendat. obiit 1603.

1603.- - *Daniel Pindfleiſch* ſive *Bucretius*, Ser. Archid. Caroli, Epiſcopi Vratisl. Archiater, edidit conjunctim cum Collega Ruhmbaumio, Peſt-Ordnung. 1607. 1613. obiit 1621.

1607.- - *George Ruhmbaum*, Illuſtriſſ. Princ. Olsnenſ. Caroli Archiater. obiit 1615.

1615.- - *Sigismundus Woyſel*, Sigismundi prædicti filius, obiit 1622.

1622.- - *Michaël Döringius*, Illuſtriſſ. Princ. Caroli Eusebii Liechtenſteinii, Ducis in Sileſia Oppavienſis, & Sileſiæ Pro-Regis (ſic enim Henelio MS. S.T. die Schleſiſche Ober-Lands-Hauptmannſchafft eleganter audit,) Archiater. Dolendus merito, quod 1644. morte præventus Lib. Tertium de Medicina & Medicis, (qui Auctoris manuſcriptus, ſed meris abbreviationibus & Fragmentis non ubique cohærentibus delineatus, in ſcriniis Honorat. Parentis mei aſſervatur,) abſolvere non potuerit, edidit 1625. 1631. einen Peſt-Unterricht.

1629.- - *Gregorius Francke*, Peſtilentiarius ſimul. obiit 1631.

1631.- - *Joh. Kreutzmann*, Peſtilentiarius ſimul. obiit 1633.

1633.- - *Caſpar Cunradi*, Poët Laur. Cæſar. Peſtilentiarius urbis. Obiit eodem anno. Scripſit varia opuſcula ingenioſa, a Filio Joh. Heinr. in Sileſ. Tog. enumerata.

1634.- - *Johan. Pilgram*, obiit 1636.

1636.- - *Johan. Dobritius*, obiit 1653.

1643.- - *Johan. Agricola*. obiit 1668. Scriptor in Chirurgicis & Chymicis non ignotus.

A, C. 1653. *D. D. Joachim Elsner*, (Pater Joach. Georgii, A. N. C.) obiit 1671.

1668. - - *Godofredus Thilisch*, Patritius Siles. Successor in Proto-Physicatu Elsneri 1671, edidit cum Ortlobio Pest-Ordnung. 1680, obiit 1697.

1671. - - *Phil. Jac. Sachs a Levvenheim*, Patritius Siles. & Adjunctus Nat. Cur. Scriptor Medicus celeberrimus, obiit 1672.

1672. - - *Fridericus Ortlob*, obiit 1685.

1685. - - *Johannes Jænisch*, A. N. C. Adjunctus, Successor Thilesii in Proto-Physicatu 1697 obiit 1707. Prodiit Vratisl. 1704. Auctore ipso & D. Oehmbio schediasma Anonymum von der Lager-oder Soldaten-Seuche/ qui morbus viciniam tunc vexabat.

1695. - - *Jo. Christian Tralles*, A. N. C. anno 1697. Sereniss. Polon. Regis AVGVSTI Medicus, Castra ipsius secutus, obiit brevi post in Polonia. Scripsit de Insufficientia exspuitionis salivæ pro obtinenda gloria Præservationis universalis, naturalis Pestis. Olsn. Silef. 1680. in 8vo.

1697. - - *Carolus Oehmb*, A. N. C. obiit 1706. Edidit Vratisl. 1705. Tractatum vom St. Georgen-Brunn bey Landeck in 8tav.

1706. - - *Maximilianus Preuss*, A. N. C. succesit in Proto-Physicatu A. 1707. D. Jænisio, præter Dissertationem quandam de Parvis magnorum morborum initiis, Beato Ettmüllero frustra a nonnullis attributam, itemque Tabulas practicas sub nomine Iliados in nuce, ac Sciagraphiæ vulnerum, studio in majori forma, ad distinctiones primo statim intuitu melius observandum, editas; publicavit, Lue tunc in confiniis grassante, A, 1708. Vratislaviæ, conjunctis hic

Col-

Collegialibus cum D.D.Eggerde, Proto-Physico Silef. Provinciali & D. D. Grassio, Physico, laboribus, Consilium Anti-Pestilentiale sive Pest-Unterweisung/ quod An. 1710. Cüstrini Collegium Sanitatis, jussu Sereniss. Prussiæ Regis, recudi curavit.

A.C. 1707. *D.D. Samuel Grass*, A.N.C. Adjunctus factus A. 1707.

Pergendum nunc ad Cæsareo-Leopoldinam Nat. Curiosorum Academiam, in cujus Tabulas A. C. 1669. mense Decembr. nomen Jænisii referre dignabatur Illustris, qui tunc temporis Societati a Præsidiis erat, Fehrius, obtentis prius Eliæ Schmidii, Adjuncti & Trajecti Suevorum (vulgo Swinfurti) Physici literis in hac causa commendatitiis. Sic Arcturi cognomine initiatus noster, primæ velut magnitudinis de Natura Jovis & Martis participans stella, fulgentissimo Phosphoro & efficacissimo Sirio Comes jungebatur exoptatus, ut sub ortum statim in partem veniret splendoris, quo Argonautis, Argum junctim conscendendo primam expeditionem molientibus, tunc temporis affulgebat stellarum Vratislaviensis Horizontis Triumviratus. Non ænigmata profero, sed cordatis nota. Nondum enim A. 1669. lucem aspexerant Argonautarum Curiosorum uniti labores sive Ephemerides; sed anno demum 1670. 1671. biennio fere post adventum Nostri, expolitis moliminibus a Generoso Sachsio collecti, & adhibitis in laborum consortium Nobilissimis Vollgnadio & Jænisio, Clementissimæ Invicti LEOPOLDI Protectioni exhibiti typis sistebantur tomi priores, Annus scilicet Decur. Imæ primus & secundus. Quantos post funestum Phosphori occasum labores & sumtus, quam eruditas curas in colligendis Germanorum & Exterorum observationibus, revidendis literis Phosphoro adhuc destinatis, adornandisque Indicibus cum Nobilissimo Vollgnadio conjunxerit Jænisius, ad annum Decur. I. Ephemerid. tertium, sub Auspiciis Magni LEOPOLDI, in Præfamine submisse imploratis, erudito Orbi exhibendum, multorum testimoniis constat. Nec curandis reliquis Decur. I. annis symbolam suam prorsus denegavit, licet successu temporis

Do-

Doctissimis Schultzio & Burgio Collectorum vices sponte sua ces-
31serit. Quoad Observationes ejus Medico-Curiosas, Buglossum Sylvestre monstrosum florens, uncias 25. Geometricas longitudine, 4. latitudine adæquans, molam quinquennem, quæ uteri prolapsum mentiebatur, infantem sine capite, lapides circiter bis centum ex Apostemate dextri epigastrii excretos D. I. A. I. Obs. 102. A. II. 79. III. 272. IV. & V. obs. 189. nec non A. III. obs. 128. additum, de Basiliski exuviis ex certa Rajæ specie efformatis, ac de Corona Serpentis factitia, scholion hic nominasse sufficiat. Nec silentio involvendi sunt ejus juncti labores Decur. I. A. X. Append. in adjuvanda cum aliis Auctoribus, epistola Buccinatoria ad Adeptos in Chemia Philosophos; cui Polygraphia Hermetica sive Steganographia Vniversalis omnibus arcanis Chemicis secreto conscribendis accommodata annectebatur. Quo opere omnes Germani & Exteri humanissime invitabantur, ut, quicquid singulare vel scientia vel experientia vere Hermetica indepti fuissent, cum Collectoribus Ephemeridum Vratislaviensibus communicarent, utque characteribus & sigillis Mysticis, fuse ibidem adumbratis, celanda artis Arcana involverent, & sigillo Sophiæ Silentiique obsignarent. Æquo autem animo & calamo non ab omnibus exceptam fuisse hanc Buccinatoriam vel invitatoriam potius, ad Adeptos directam, nemo mirabitur, cum primo intuitu insolitum quid eadem portendi multi crediderint. Neque mei est instituti rationes faventes vel contrariantes examini subjicere, Mysticas naturæ Gazas igne tangendas & experimenta sublimiora examinanda peritis & hac in causa exercitatis merito relinquens. Putarem tamen certæ Experientiæ subtiliorum per ignem Philosophorum fidem non plane denegandam; & adductas in dicta epistola rationes, ad splendida antiquiorum adeptorum promissa curiosius rimanda, ad Omnipotentis naturæ Domini gloriam, decumbentiumque vel egentium salutem promovendam, & successus laborum secundos vel sinistros ingenue detegendos, invita-
32torias minime incautius esse destruendas. Fatendum igitur, Jænisium nec tempori a gravioribus negotiis vacuo, nec laboribus

inde-

indefeſſis nec ſumtibus propriis peperciſſe, ut veritatem detegere, & artem nobiliſſimam, iſto tempore velut reviviſcentem, a falſa vanitatis ſuſpicione liberare liceret. Poſſibilitatem nimirum & probabilitatem Medicinæ cujusdam Hermeticæ, unicuique trium naturæ Regnorum applicabilis, in dubium non vocabat, ſive ex ſpiritu mundi per æthera diffuſo, ſive ex corporibus in terræ ſuperficie prognatis, ſive ex rebus in terræ viſceribus hærentibus, producendæ; convictus partim lectione aſſidua ſcriptorum Philoſophicorum typis impreſſorum vel MStorum, quos magno numero conquiſiverat, partim aliorum experientia & indubitatis Ferdinandi III. Rudolphi II. Imperatorum Romanorum, Georgii Friderici Epiſcopi Moguntini, qui ex auro Chymico ipſis oblato nummos cudi curarunt, & Cornelii in Academia Julia contra Alchymiam diſputantis, ſed plumbum liquatum affuſa a Nobili quodam tinctura penetrantiſſima in aurum extemplo transmutatum, obſtupeſcentis, ac aliis Lullii, Sendivoglii, Turnheiſeri, exemplis procul dubio commotus. (Dec. I. A. I. p. 65. ſeq.) De Avtopſia hinc ſollicitus, ſenſit ſe a quodam velut æſtu ingenii abſorberi, ac ad intimiora Alchymiæ deferri, quare commercio literarum numeroſiſſimo ad Ænigmaticas Adeptorum ſtrophas perſcrutandas indulſit, Philoſophos, circa τὸ σῶσαι καὶ ἀγύρειν metallorum ſingularia experimenta oculis ſuis ſubjicientes, ex quibus Kunckelius inprimis notus, domi ſuæ ſæpius aluit, imo proprias manus nocte dieque ad furnos operibus myſticis accommodatos operi admovit, ut ad intima ſecretiorum Sanctuaria aditum ſibi pararet. In Chymicis certe non incaſſum omnia tentavit, ſed ſelectum apparatum Remediorum (e. gr. Salium & Tincturarum metallicarum, inprimis auri & antimonii,) ſubtilioribus ſæpeque reiteratis proceſſibus præparatorum, obtinuit, quibus, teſte Parente meo, morbos contumaciſſimos haud raro debellavit. Profundius autem in transmutationem, exaltationem, perfectionem, metallorum nobiliorum, præcipue auri puriſſimi virtutes, & inde ſperatam Adeptorum Medicinam penetrans, nec non exteris quibusdam Myſtis plauſibiles maxime Proceſſus proponentibus, auſcultans,

insignemque pecuniæ ex propriis facultatibus summam, ad promissa experimenta sublimiora perficienda, hisce persolvens & prænumerans: sero nimis vana spe & promissis speciosis se lactatum persensit, & jacturam facultatum irreparandam, iteratis vici-
34bus passus est. Quam paucos tanto dignentur munere Divi, Noster, proh dolor! inde cognovit, experimentis in detrimenta conversis acerbe indolere, mentemque hoc fato prostratam exemplis multorum Illustrium & Generosorum parili casu infelicibus erigere, quodammodo edoctus. Præsertim cum opes, pro conditione vitæ, si non abundantissimæ, certe ad *αὐτάρκειαν* semper ipsi reliquæ fuerint, & toties licet infelix, eas tamen post funera reliquerit facultates, quæ detractis calculis detrahendis, non contemnendas massæ residuæ portiones præbuerunt. Nec hoc mirum; nam præter alias opum accessiones, dives quidam Vratislav. Mercator, Elsnerus supra Num. 12. nominatus Jænisium, florentibus adhuc Praxeos ejus annis, habita non necessitudinis forte, sed grati erga Medicum animi & amicitiæ mutuæ ratione, Hæredem tantum non ex asse suum constituit, & multis Imperialium millibus locupletavit. Sostrum sane rarissimum, & antiquioribus Hippocratis ab Artaxerxe, Erasistrati a Ptolomæo laudatissime donatorum exemplis, nec non *neglecti* a Fabricio ab Aquapendente *Lucri Lucro* merito annumerandum, sed vix ferrea nostra ætate imitandum! Majores omnino cumulare potuisset opes Jænisius, nisi prædictorum Exterorum promissis verosimillimis aurem credulam concedendo, & nimios sumtus in tot experimenta pretiosa erogando, aliquid Humani passus fuisset. Sapiens dominabitur astris, vulgo dicitur! Sed quis quæso mortalium absolute dominari affectibus & Passionem, ut vocant, prædominantem penitus exuere valebit, inprimis ad honestissimum scopum directam? Scopus enim Nostri, seipso asseverante, ultimus, jam supra indigitatus, aderat pervestigatio abditorum Naturæ vera & propria, ac studium detegendi olim, si successissent, inventa non ubivis obvia, nec per defectum facultatum cuivis scrutari concessa, ægris tamen & naturæ Ministris procul du-
35bio maxime infervitura. At vero cum scopo vere obtinendi Arcani

cani & ſpe Philoſophi adipiſcendi infelix exciderit, non mirandum, quod mœrore ex tot damnis concepto fere confectus, ſenio, tædio & morte ipſa præoccupatus, nulla plane ſucceſſuum vel præparatorum ſublimiorum publicis ſcriptis expreſſa (uti certo ſibi olim propoſuerat) relinquere voluerit veſtigia. Licet enim Tincturas quasdam & liquores varios aurei, purpurei, Lazulini coloris ſummeintenſi, odoris & ſaporis penetrantis, Characteribus 1. 2. 3tiæ Præparationis Philoſophicæ notatos, & magnam Salium ſubtiliſſimorum philoſophice, ut inſcriptum, præparatorum copiam, ac Proceſſus rariores Myſticos MStos, Epiſtolasque de hac materia complures reliquerit, nondum tamen Poſſeſſoribus rerum Jæniſianarum certi & indubitati quicquam exinde eruere, aus palam referre licuit, quod non circumſcriptos ſcripti hujus limites, aut intentionis meæ ſphæram longe tranſcenderet. Hinc Sortem ancipitem, modo elevantem, modo deprimentem, maſculo tulit animo Noſter, Divinis ſemper conſolationibus & recordatione ſummæ ipſius tunc temporis terrarum Monarchæ gratiæ officiorumque dignitate ſeſe reficiens. Quippe Vratisla- 36
viæ florentibus & vivis adhuc triumviris Academiæ Leopoldinæ Collectoribus ab Illuſtri Præſide in conſilium vocatis, Phoſphoro, Sirio, & noſtro Arcturo, tanta contingebat felicitas, ut a Generoſiſſimis & Celeberrimis Viris, ex omnibus oris literæ ad ipſos dirigerentur, ac primæ Decuriæ Anni, paſſim ſub nomine Journal de Breslau, de Sileſie, d'Allemagne, multis encomiis Principum & literatorum celebrarentur. Omnia autem iſta longe exſuperabat Clementia Leopoldina, qua fiebat, ut perlecta cum gratioſiſſimo applauſu epiſtola Curioſorum invitatoria, Gazophylazium Cæſareum non modo perſcrutandum offerretur, ſed etiam tabulæ rariorum quorundam Gazophylazii æneæ D. I. A. I. p. 260 inſertæ, triumviris Vratislavienſibus transmitterentur : cujus ſummi honoris participem tunc temporis factum Jæniſium ex annorum ſerie liquet. Aureis torquibus, ex quibus imago Cæſaris ſplendidiſſima dependet, donari, inter præcipuos pariter & ſummos honores merito ponitur: & his ipſis Cæſarea Magni LEOPOLDI

munificentia triumviros Vratislavienſes clementiſſime dignabatur; qualem torquem pretioſis naturæ Gazis merito æquiparandum Noſter ad ultimum usque vitæ terminum religioſe ſervavit. (D. I. A. IV. V. D. II. A. VII. mox in principio de Ortu & pro-
37 greſſu &c.) Obſervatu dignum eſt, trinum numerum multis Medicis celebribus inſignes honores conciliaſſe: Sic Cratonem a Crafftheim trium Imperatorum Romanorum, Ferdinandi I. Maximil. II. Rudolph. II. Conſiliarium & Archiatrum, (cujus Ædes hic Vratislaviæ, trans Olavam fluvium ſitas, ipſe Divus Maximilianus II. ingreſſu ſuo A. 1563. hac in urbe forſan habito, donis clementiſſimis frequenter, teſte Adamo, dignatus eſt, noſtra ætate per Divi LEOPOLDI Illuſtrem olim Conſiliarium & Referendarium *Peinium* recenti Ædificio auctas) eundem Cratonem tribus Nummis Medicis ſupra commemoratis, honoratum, Simonem Pauli trium Daniæ Regum, Chriſtiani IV. Friderici III. Chriſtiani V. aulæ & perſonæ Medicum; Hagendornium trium Saxoniæ Electorum, Joh. Georg. II. III. IV. Archiatrum; ex Academia vero Cæſarea Naturæ Curioſorum, triumviros Vratislavienſes Collectores, Sachſium, Vollgnadium, Jæniſium, ſupra laudatos; &, quibus primus debebatur locus, triumviros Præſules, Fehrium, Volckamerum, Schröckium, aureis torquibus cum imagine Magni LEOPOLDI condecoratos fuiſſe, hiſtoria tantorum nominum literaria declarat. At vero ſub Clementiſſima trium ex Auguſtiſſima Domo Auſtriaca Imperatorum Protectione, Cæſareæ hujus Academiæ Præſidium per 21. annos geſſiſſe, & adhuc, (utinam ad macrobiam ætatem!) gerere graviſſimum, id ſane nemini,
38 niſi Illuſtri Schröckio contigiſſe notum eſt. Supereſt tandem functionibus Jæniſii publicis addere, quod An. 1682. in numerum Adjunctorum cooptatus, Godofredo quidem Schulzio, (cujus Memoriam D. Samuel Graſſius, Phyſici Filius, cognatus noſter amiciſſimus, proxime ſiſtet,) & Adamo Limprechto, ad aliquot annos hanc ſpartam voluntario ceſſerit, eam tamen pluribus ante obitum ſuum annis reperierit. Non ingratum lectoribus eveniet, cum in Decur. I. Ephemeridum Curioſ. Collectione Vratislavi-

lavienſes Collegæ quidam primum deſudaverint, antequam 1683. ad Graviſſimos Noricos & Auguſtanos, quorum curis inſignibus adhuc orbis Medicus applaudit, devoluta fuerit Collectio; ſi ab exordiis hujus Societatis ad noſtram usque periodum, obſervando receptionis ordinem, hic additis ad hunc usque annum addendis exhibeam induſtria D.D. Klaunigii collectam, recenſioni laborum Collegii Vratisl.& Dni. de Hellwich annexam, Novisque Literariis Hamburgenſibus (quæ tamen non in omnium manibus verſantur,) A. 1706. communicatam

Seriem Collegii Vratislavienſis Academ.Cæſ. Natur-Curioſorum (dum Vratislaviæ viverent, receptorum) De quorum obſervationibus & laboribus Ephemerides N. C. & Acta Erudit. Novaque literaria &c. paſſim videantur.

Recept. 1658. *D.D. Phil. Jacob Sachs a Lebbenheim*, dictus PHOSPHORVS, Adjunctus I. & Ephemeridum Collector. obiit 1672.
- - 1669. - - *Henricus Vollgnadius*, d. SIRIVS, Adjunct. II. & Collector, obiit 1682.
- - - - - - *Johannes Janiſius*, d. ARCTVRVS, Adjunct. III. & Collector. obiit 1707.
- - 1673. - - *Joach. Georg. Elsnerus*, d. TELAMONES, (Joachimi Phyſici Filius,) Practicus Vrat. obiit 1676.
- - 1676. - - *Gothofredus Sculterus* ſive *Schultzius* d. ÆGINETA I. Adjunctus IV. & Collector. obiit 1698.
- - 1677. - - *Joannes Burgius*, d. MESVE I. Ephem. Collector, Poliat. Vrat. obiit 1690.
- - 1678. - - *Jo. Chriſt. Tralleſius* d. AVENZOAR, Phyſicus Vratisl. ſupra nominatus obiit Varſoviæ 1698.
- - 1682. - - *Joannes Adam Limprecht*, d. FABIUS, Adjunctus V. Seren. Ducum Olsn. olim Conſiliarius, hinc in Ditiones Brandenburgicas ſe contulit.
- - - - - - *Carolus Oehmb*, d. SIRIVS II. Phyſicus Vratisl. obiit 1706.
- - 1691. - - *Alard. Mauritius Eggerdes*, d. EVCLIDES, Sereniſſ. & Reverendiſſ. Ducis Palatini FRANCISCI LVDOVICI, Supremi Magiſtri Teutonici & Epiſcopi Vratisl. Conſiliarius & Archiater, Proto-Phyſicus Sileſ. Provincial. cujus officii cauſa Varia de Cuſtodia & Cura Peſte infectorum ſeparatim edidit.
- - - - - - *Jo. Acoluthus*, d. CASSIVS JATROSOPHISTA. Poliater Vrat. obiit 1695.
- - 1691. - - *David Reich ab Ehrenberg*, d. HERCVLES III. Eques Sileſ. & Canonicus Martisburgenſis, qui poſtea Vratislavia in Ducatum Olsnenſem ſe contulit.
- - 1694. - - *Samuel Graſſius*, d. MESVE II. Adjunctus VI. Phyſicus Vrat.
- - - - - - *Michaël Pauli*, d. ASTERION, Poliat Vrat.

Recept. 1695. *D. D. Maximilianus Preuſs*, d. Jadis I. nunc Proto-Phyſicus Vratisl.
- - - - - - - *Chriſtianus de Hellwich*, d. Empedocles, Eques Sileſ. Sereniſſimæ ac Regiæ Polon. Principis ELISABETHÆ Neoburgo-Palatinæ Conſiliarius & Archiater.
- - 1705. - - *Gothofredus Klaunig*, d. Evbvlvs, Sac. C. M. Perſon. Medic. & Poliat. Vrat.
- - 1707. - - *Vlricus Sigismundus Nimptſch* d. Theon Poliat. Vratislav.
- - 1707. - - *Gottlieb Albrecht*, d. Diagoras, qui brevi poſt Ordini Equitum Sileſiæ ſub titulo hæreditario de Baumann, & S. Cæſ. Majeſt. Conſiliariis adſcriptus eſt.
- - - - - - - *Gothofredus Dabides Mayerus* Poliat. Vratisl. d. Menemachvs, inferendus Receptorum ſub A. 1707. Catalogo Ephemerid. Centuriæ I. & II. præfixo, cujus cognomen fruſtra ibi D.D. Nimptſchio tribuitur.
- - 1708. - - *Fridericus Kaltſchmid*, d. Protarchvs, S. C. Majeſt. Aulæ & Perſonæ Medicus, & Poliat. Vratisl.
- - 1714. Auctor Memoriæ Jæniſianæ, Diplomate a. d. 26. April. receptus.

39 Ad *συγχρόνους* Jæniſii quod attinet, quibus vel in Academiis & Itineribus, vel paſſim in Germania, in Patria, officiisque publicis, ſub Amici, Collegæ, Collectoris nomine, partim per literas, partim coram innotuit, nominandi præ reliquis veniunt viri in Ephemeridibus publica laude celebrati, Phil. Jac. Sachs a Lewenheim amicitia, Henricus Vollgnadius neceſſitudine, Joh. Daniel Major commercio eidem conjunctiſſimi; præterea Michaël Fehrius, Joh. Georg. Volckamerus, Elias Schmidius, Elias Rudolphus Camerarius, Bernhardus a Bernitz, Paterſonius Hain, Paulus de Sorbait, Philippus Talducci a Domo, Andr. Cnœffelius, Jo. Ferd. Hertodius, Ehrenfried Hagendornius, Joh. Sculletus, Salomon Reiſelius, Simon & Godofred. Scholtzius, Jo. Georg. Elsnerus, Jo. Burgius, Godofredus Thileſius, Carolus Oehmb, Maximil. Preuſſius, Chriſt. de Helwig, & Collegæ reliqui Vratislavienſes, ut alios Exteros & Profeſſores ipſa Memoria commemoratos taceam, ſilentio tamen minime involvam Illuſtrem Schröckium, cujus in rebus
40 ambiguis Conſilia debito modo imploravit. Nec præteribo loca varia Ephemeridum aliorumque Autorum, ubi nominis Jæniſiani mentio vel explicita, vel ſub Collectoris titulo involuta, additis haud raro honoris & laudis titulis, ad confirmandam ex parte ſupra dictorum fidem injicitur: ex. gr. Ephemer. Nat. Cur. D. I. A. I. p. 94. A. II. 93. A. III. p. 205, 396, ſeq. 450. 482. 494. 523. &c. A. IV. & V.

& V. p. 23. 55. 77. 103. 192. 208. Append. p. 64. D. II. A. VII. mox in principio Hiſtor. Contin. de Ortu & Progreſſ. p. 5. A. VII. App. Mem. Vollgn. 236. 248. 251. D. III. A. II. App 90. A. X. Mem. Reiſel. p. 5. Mem. Sachs. p. 3. 34. 64. Juncker. Ephem. Erud. p. 36. Cornel. a Beughem Syllab. recens explor. de Notitia Miſcell. Curioſ. p. 4. 62. Nazarius in Diario Romano 1677. p. 57. l'Academia, erretta in Breslavia, uti & in Hiſtoriis morborum Vratisl. ibidem editis, nominis ejus ac obſervationum quarundam Clinicarum veſtigia paſſim extant &c. Nec excludenda Teſtimonia & Elogia Oldenburgii, Spohnii, Redi, Kircheri, prioribus Ephemer. Tomis reperiunda, quibus generatim Collectioni horum Miſcell. Germ. applaudunt. Juſta Noſtro publice perſolverunt Carmine heroico Naturæ Curioſi Vratislavienſes, & B. Martinus Hanckius, Monumento, quod ſtylo in acuminibus nervoſiſſimo, poſuit & hac ratione baſin ſcribendæ huic Memoriæ firmam, non neglectis aliis neceſſariis, quæ conquirere mihi licuit, documentis, præbuit. Statua autem ejus ex cera affabre efformata, & Bibliothecæ publicæ Mar. Magd. Vrat. a generoſo Domino de Vollgnaden donata, cuivis Spectatori Memoriam Noſtri renovabit publicam. Videamus nunc ultimo loco morbum ejus ultimum. Equidem Febrem ex mœrore tot- 41
que fatis conceptam, & ipſo Senio ad reſiſtendum invalidiori accreſcentem, velut anguem in herba latitantem, pluribus ante obitum menſibus perſenſit; ſed cum pondere ſaltem defatigationis cujusdam ſubinde premeretur, iſtam diſſimulans, in functionibus quotidianis peragendis omnem movit lapidem, donec febris continua, Vitalia depaſcens, & Pathemata ſenili ætati familiaria, corpus languore & pervigilio indies magis confeciſſent. Hinc incaſſum implorat s probatiſſimis artis præſidiis medicisque, mortem, ut Medicus prudens, prævidit, nunquam ſibi formidatam; &, traditis Honorat. Parenti meo neceſſariis ad Officia publica ſpectantibus Documentis, nuntium migrationis a ſummo Conditore, ærumnarum ſatur, placide expectavit. Pietatem, unicum in nobis Divinitatis ſimulacrum, & infractæ mentis etiam in adverſis conſtantiam ejus εὐθανασία ipſa probavit, dum detrimento

to terrenorum ſæpius ad cœleſtia animatus, a nævis ſane humanæ conditioni velut connatis nunquam ſe liberum aut immunem pronuntiavit. Quippe non meum eſt, Momos & Zoilos imitari, (qui ſuorum obliti prorſus, unius aut alterius erroris humani cauſa omnem hominis memoriam radicitus extirpandam putant,) aut encomio deſtinatas paginas atris carbonibus notare; fallimur enim omnes, ſi nullius per vitam erroris opinione nos lactari permittimus. Hoc certe tam verum eſt, quam quod veriſſimum, Jæniſium mentis probe compotem, cunctorum Vitæ lapſuum veniam Chriſtiano & pœnitenti animo rogaſſe, & rogatam a Divina clementia impetraſſe, Sacri Viatici Sigillo tempeſtive confirmatam. Hoc munitus aurum cœno terrarum obductum ſpernens, inter pias preces & creberrima ſuſpiria Vitæ melioris ſpem exoſculatus, animam Salutis Datori, viduus ἄπαις & ſenex 71. annorum, fortitudine Chriſtiana red-
42 didit. Vnicum reſtat, ut levidenſe ſcriptionis meæ genus non eloquentiæ Periodicæ ſed Pietatis, non Gloriæ ſed Debiti, non inuſitatæ inventionis ſed medico literariæ collectionis τεκμήριον benigniori faventis Lectoris cenſuræ ſubmittam, & Memoriam Viri ex primis Collectoribus Triumviris noviſſimi, Fautoribus, Collegis, Amicis Nominis Jæniſiani, quam commendatiſſimam præſtem. Sic enim erat in fatis, ut Stellas Medico Cœlo primæ olim magnitudinis Phosphorum & Sirium ſecutus, tandem & Noſter terris occideret Arcturus, in Cœlis perpetuo ſplendore coruſcans.

Quid Optimum?
Quæris Viator:
Vitam ſcrutari an Aurum?
Hoc licitum, alterum eſt neceſſarium,
Vtrumque laborioſe ſcrutabatur olim
Vir Celebris & nunquam Otioſus, Curioſorum ARCTVRVS
Aurum Curioſus Philoſophus,
Vitam Pius Chriſtianus,
Hanc Precibus, iſtud Sumtibus:
Vtrumque diverſo tempore.
Manent omnia ſuo tempore: Aurum terris, Vita Cœlis,
Quid morte Philoſophus perdidit? Aurum.
Quid morte Chriſtianus invenit? Vitam.
Hanc dedit Ipſius non Sumtibus ſed Precibus,
Gratis, Æternam, Beatam,
DEVS VITÆ AVCTOR.
Hanc ſcrutare auro cariorem Viator!
Et invenies Exemplo τῦ μακαρίτυ:
Quid? Optimum.
DIXI.

MEMO-

MEMORIA

EXCELLENTISSIMI APVD VRATISLAVIENSES
POLYHISTORIS MEDICI,
DOMINI
D.GODOFREDI SCHVLZII,
ACADEMIAE CAESAREO-LEOPOL-
DINAE NATVRAE CVRIOSORVM
ADJVNCTI,
QVAM
ILLVSTRI ACADEMIAE
ET POSTERIS
COMMENDAT
SAMVEL GRASS MED. D. ET PRACT. VRAT.

SANCTI CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

COMMENTARII

IN

ILLUSTRI ACADEMIAE

PARISIENSIS

ADVOCATI

DIVINAE NATURAE CONSERVATORIS

ACADEMIAE CARSAMEO-THEOLOGI

SCHOLASTICI

D. CODOLREDI

DOCTORIS

IN

NEMOSIA

GODOFREDUS Schützius M.D.
Acad: Cæsar: Leop: Nat: Curios: Adjunct,
Denat: ann. M.DCXCVIII. Ætat: LVI.

I. Tschernina Sc. Bresl.

COmmunis illa moriendi neceſſitas, quamvis nulli hominum evitabilis hactenus extiterit, plurimorum tamen animos ad Longævitatis cujusdam obtinendæ ſtudium, non improbando ſemper ſtimulo impulit; quo ſcilicet ſolerti induſtria provide differant fatum, quod declinare prorſus nemini datum. Et profecto ad arduum huncce laborem ſerio proſequendum, lege divina, qua noſtris & proximi commodis ſedulo adeſſe jubemur, non illi tantum, qui Medicinæ ſacris deſtinati, ſed omnes ſanioribus vivendi regulis adſueti, ſeſe teneri, ſponte agnoſcunt. Vix autem illos præ aliis unquam voti magis compotes factos recordor, qui Arcanorum ad vitam longam pertinentium, inventionis gloriam ſingularem ſibi vendicarunt; quin potius talia egregio certe titulo ſuperbientia inventa, tantum non ſemper experientiæ laus deſtituit, & illi ipſi juvenes, vel ſaltem ætate mediocres mortui, qui longævitatis elementa, via aliis incognita, inveniſſe ſibi videbantur. Illos vero majus commendat ſtudium, qui Cognitionem ſui ipſius e phyſico, morali & ſacro fonte adepti, remotis tot vitæ humanæ noxis prudenter vivere didicerunt. Quamvis enim, quod ingenue pariter fatendum, nec hic fidus per omnia experimentorum ſit ſucceſſus, & prudentia vivendi, diuturnitatem non ſemper nanciſcatur comitem, nihilominus tamen illi ſoli genuinum eligere tramitem, quo incedentes non interituram conſequuntur nominis memoriam, licet cauſas vitæ conceſſæ conſiderantes, aliis inſerviendo, citius conſumantur, quam Macrobiorum attingere queant claſſem. Dum autem Vita & Fama pari paſſu ambulant, cuilibet intereſt, vel hanc ſuperſtitem reddere, ſi illam conſervare haut integrum fuerit. Hæc ſane ſtudia quosque bonos decent, ut tum ſuam, tum aliorum famam tueantur, turpe namque eſt poſteris, ſi majorum celebrium memoria, ipſorum culpa oblivionis velo tegatur! ab Anteceſſoribus enim optime geſta, tum ipſorum laudi, tum Succeſſorum æmulationi merito inſerviunt.

Mitto hic prolixius recenſere diverſos diverſarum gentium mores, quibus Clarorum Virorum Nomina, quos Virtus com-

modis publicis consecraverat, posterorum imitationi post fata exponere studuerunt; nec Græcorum & Germanorum veterum Carmina Encomiastica, nec Romanorum Imagines in Atriis, & monumenta in locis publicis posita prolixius delineaturus; Vix enim alii suis studiis tam promte longævitati Celebrium Virorum prospexere, quam Illustris per Orbem *Academia Imperialis Naturæ Curiosorum*, cujus ope jam per longam satis annorum seriem, studia physica, mathematica, medica, insigni dotata conspiciuntur incremento. Illa enim semper nobiles scientia aluit Viros, qui lemmate solenni admoniti, NVNQVAM OTIOSI, rempublicam litterariam infinitis commodis adauxere, eo ipso simul memoriæ suæ ita prospicientes, ut non tantum e rebus coram erudito orbe clare gestis, post mortem quoque perpetuo coeruscet, verum & MONVMENTIS per EPHEMERIDES sparsis, ipsorumque Imaginibus quasi in Templo honoris appensis, omnem internecionis temporum eludant metum.

Et illud est, quod ex instituto solenni ILLVSTRIS ACADEMIÆ, Piissimi Manes Excellentissimi Viri DN. GODOFREDI SCHVLTZII, MEDICINÆ DOCTORIS & PRACTICI Celeberrimi, ACADEMIÆ CÆSAREO-LEOPOLDINÆ NATVRÆ Curiosorum ADJVNCTI meritissimi, POLYHISTORIS famigeratissimi, optimo jure poscunt. Illius enim cum Pietate & Humanitate insigni sociata solida Eruditio, indefessus Proximi & Reipublicæ Literariæ commodis inserviendi Fervor, nostris in oris omnium adhuc inhærent animis, & dudum promeruere, ut Ejus per se plurimum conspicua Virtus & Eruditio, publico Monumento undique reviviscat.

Mandato itaque mihi officio, vix tamen puto laudibus EXCELL. VIRI satisfacturus, ab ipsis Incunabulis Ejusdem, quæ celeberrima Silesiorum Metropolis VRATISLAVIA præbuit, rem totam exordior. Plurimum quippe interest, quo qvis tempore & loco natus fuerit, prout enim diversus Seculorum genius, sic & Regionum & Vrbium indoles hominum animos ad varios mores & studia trahit. Hinc egregia sæpe ingenia, publica ostentatione digna

digna, obſcuritate locorum involvuntur, cum alia mediocri ſi non curta ſupellectile dotata, ſoli nutritii ſplendore & felicitate adjuta, longe lateque inclareſcant. SILESIA & ejusdem Metropolis VRATISLAVIA, ab aliquot ſeculis, felix equidem Virorum eruditionis laude Clariſſimorum Mater extitit, illos partim intra ſuos penates alens, partim exterorum commodis concedens, adeo ut SCHVLTZIO Noſtro hoc ſolo natali, ſat multis commodis proſpectum fuerit; non dubitandum tamen, ſi vel apud Gallos vel Britannos, Italosve natus, quorum Principes ad prodigalitatem usque Studia ſublimiora juvant, quin majores laudes aſſecutus fuiſſet.

Satis interim hoc loco natali felix, eo tempore etiam in lucem editus eſt, quo Germania diuturno bello paulo poſt ſopito, ad Muſas communi ſtudio redibat; ſcilicet Anno Orbis redempti M DC XLIII. die XX. Aprilis, Patre Viro Clariſſimo M. CHRISTOPHORO SCHVLTZIO, *Gymnaſii Mariæ Magdalenæi apud Vratislavienſes Mathematum Profeſſore, & Collega Primario*, Laude & Induſtria multa conſpicuo, Matre vero, Honeſtiſſima Fœmina ELISABETHA WAGNERIA.

Virtus certe propriis potiſſimum coruſcat radiis, interim nec parum commendat Splendor a Parentibus optimis in Natos non degeneres redundans; prout & Parentum Felicitatis haud ultimum momentum eſt, Filios Reipublicæ utiles progenuiſſe: dum nihil magis eorum præconia, quam filiorum laudes, auget. Haut immerito ergo modo dicti M. Chriſtophori SCHULTZII Memoria etiam in funere tanti Filii viret, & eruditæ poſteritati commendatur, quam non tantum Filium hunc bonæ Indolis gignendo, & Sapientiam indefeſſo labore ſcholaſtico propagando, verum etiam Scriptis Mathematicis non inconcinnis juvit. Volvuntur namque multorum manibus Schediasmata Ejus varia, Filii demum diligentia publici juris facta; *Geometria* nempe *Theoretica*, *Gnomonica*, *Computus Theoretico - Practicus*; latent inſuper adhuc in Manuſcripto, typis publicis itidem Filii diligentia undique maturo, *Trigonometria Planorum Antiquo-Nova*, *Geometria*

tria Practica seu Geodæsia, Doctrina Sphærica, Arithmetica vulgaris & Logistica, quibus facili & succincta methodo, in Studiis alioquin diffusioribus paulo, compendia utilia submministrat; quorum usus & ipso vivente, & etiamnum ex parte, Matheseos Tyrones in Gymnasiis Vratislaviensibus futuris studiis aptos reddidit.

Nato itaque GODOFREDO SCHVLTZIO nihil defuit, quod ex officii Parentum, & Christianismi Regulis, liberi a Progenitoribus expectare possunt. Sacro enim fonte regeniti Filioli mens cerea, ad optima quæque flectebatur, inter infantiæ & puerilis ætatis lusus, pietatis & eruditionis fundamento simul posito. Ipse Pater bene gnarus, non tam generationis, quam rectæ educationis opus, Sobolem Parentibus ad officia devincire, primam curam in se suscepit, Filium pro augmento ætatis sedulo erudiendo, in illud intendens, ne Prudentia, qua aliorum Parentum de liberis conceptam spem promovebat, in proprio nato deficeret. Quo minus autem, quod plerumque contingit, ex patrio affectu nimio, fundamenta erudiendi Filii, imaginario putatitioque sese exererent incremento, post infantiæ annos superatos sumptis in subsidium informationis *Viris egregia eruditione & meritis claris, Valentino Kleinvvæchtero, Johanne Fechnero, Friderico Vicio, Wolffgango Stirio, Professoribus atque Collegis Gymnasii Mariæ Magdalenæi*, cautum est. Non deerat ergo discenti solers manuductio, sive principium omnis Sapientiæ, Timorem Domini, sive Linguarum Latinæ, Græcæ & Hebraicæ culturam, sive denique Studia elegantiora Artium Humaniorum spectes; quam obsequio & solertia debita semper excipiebat, quasi docentes pariter ac discens, officiis quisque suis singulari solertia fungi, ingenue certassent.

Prout autem humanæ mentes in omnibus aliis, quotquot sunt in orbe negotiis, aliæ huc, aliæ illuc optione quadam distrahuntur, ita & si studia litterarum spectes, in diversas inclinant eruditionis partes, quem quidem selectum, nisi quis inconsideratæ libidinis ductu agatur, ab ipsa Providentia Divina ortum trahere, quis est, qui non habeat expertum? SCHVLTZIUS Noster in

in omni Studiorum Gymnasticorum genere cum laude versatus, inclinato tamen præ cæteris animo, in Acroases Physicas & Mathematicas ferebatur, quasi hæreditaria quadam dispositione ad Studia paterna ulterius prosequenda aptus.

Huic itaque interno instinctui obtemperans, consilio Parentis & Præceptorum firmatus, ad ampla Medicinæ Studia se divino nutu vocari existimabat, & totus in eo erat, ut hisce studiis omni modo se sisteret maturum. Postquam igitur profectus non contemnendos egisset, relicto Gymnasio patrio Anno MDCLXVI. Mense Majo sub auspiciis divinis Lipsiam petiit, rite jactis fundamentis sublimiora superstructurus; unde tamen post breve admodum tempus, consiliis Parentum & Amicorum motus, Jenam perrexit, ibidemque *Rectore Magnifico Dn. Christophoro Richtero JCto*, Albo Academico nomen inseruit. Amplus hic animum discendi cupidum satiandi aperiebatur campus; haut enim egregie Studiorum nomine segne otium velare solitus, statim Celeberrimorum tum temporis ibidem Professorum favori & informationi sese commendabat, ubi in Philosophicis *M. Casparem Posnerum* & *M. Georgium Gœtzium* faventem sibi expertus est; in Mathematicis *Erhardi Weigelii* universo orbi litterato noti Polymathiam, desiderio suo parem invenit. Cum vero Philosophiæ operam gnaviter dedisset, pari animi ardore & ingenii alacritate Medicinæ Studium aggressus, ab ore Magnorum Doctorum *Gverneri Rolfincii*, *Joannis Theodori Schenckii*, *Joannis Arnoldi Friderici*, sedulus pependit, præcipuo tamen inter illos studiorum moderatore *Schenckio* electo. Sub cujus etiam umbone, bis publice disputando Profectuum suorum periculum fecit, prima quidem vice *ex Synopsi Institutionum Medicarum* laudati *Schenckii*, pro Academiarum more, *partem de Causis Morborum* defendendam suscipiens, postmodum autem *Dissertationem de Succino* a se multo studio elaboratam Philiatrorum Disceptationi, tanquam prudens & judiciosus Disputator exponens.

Quo

Quo minus autem veritatem in ullo doctrinæ genere auctoritatis præjudicio amitteret, sobria mentis ratione usus, justam philosophandi libertatem ubique prosequebatur, & Præceptorum placitis proprio studio examinatis, eximio quo præditus erat judicio, intima nec cuivis æque recluſa Scientiarum penetralia rimabatur, haut sine docentium pariter ac commilitonum admiratione. Hinc nec amplus Academiæ Salanæ campus pro Ingenio exercendo sufficiebat, sed potius consultum ipsi visum, alios per Germaniam Eruditionis laude celebres Viros, & ipsos denique Exteros adire, quo eorundem conversatione, propriam qua pollebat Sapientiam, ad lancem quasi perpenderet, & quotidianis incrementis magis magisque adaugeret.

Et profecto, ad tale Iter eruditum suscipiendum sua indole satis aptus erat, staturam licet mediocrem, & propter lapsus in juventute varios, conformationem læsam Spinæ Dorsi & Thoracis, infirmioremque corporis habitum nactus, sobria enim vivendi ratione eundem fulciebat, una cum morum humanitate, vultus aspectu probitatem, candorem animi & judicii ἀκρίβειαν cuilibet in sui existimationem ostentans; a communi insuper magnarum sæpe mentium labe immunis, qua sua mirantur, aliena spernunt, vel, quod viceversa pluribus adhuc inter Germanos in usu est, exterorum Ingenia suis præstare autumant.

His itaque præsidiis instructus ad Italos iter dirigebat, soli illius eximiam præstantiam, qua mundi Paradisus audit, & Clarissimorum ibidem Virorum Notitiam, cum augmento propriæ Scientiæ, palam acquisiturus. Ne autem Exteris magis, quam Civibus innotesceret, passim in Itinere Celeberrimorum Medicorum Musea frequentabat. Anno enim M DC LXXI. Mense Majo, relictis Musis Salanis, Norimbergam Eruditionis, Antiquitatum, rerumque curiosarum naturalium ac artificialium pletam sedem petens, *Volckamero* innotuit, & inde Augustam Vindelicorum transiens *Illustres Schræckios, Patrem & Filium*, pari

pari laude per orbem notos, Patronos acquisivit, quorum tum eximiam eruditionem, tum singularem benevolentiam per omnem Vitam gratus deprædicavit, dolens simul se ibidem ab alloquio *Velschii* ob ejusdem adversam valetudinem fuisse excluſum. Hinc porro Monachio viso, Agro Tridentino & Comitatu Tyrolensi peragrato, apud Venetos appulit, post doctam ibidem commorationem Patavium pergens, quavis tamen data occasione, animum curiositatis avidum satiaturus, Venetias iterum transiit.

Vix Patavium ingressus erat, cum in contubernium Clarissimi Medici *Caroli Offredi*, ac Conterraneorum tunc studiorum causa ibidem commorantium, postmodum ob eruditionis famam valde celebrium Virorum *Jacobi Barneri*, *Davidis van der Bœck*, *Joannis Philippi Hochstetteri*, *Christophori Sandii* receptus, Illustrium Professorum *Fortis*, *Molinetti*, *Frigimelicæ*, *Renaldini*, *Marchettorum*, *Cadenedi* informatione & conversatione magno suo cum fructu frequenter uteretur. Adhæc Patavii plurimum de aditu sibi in Nosocomium publicum concesso lætabatur, quod quotidie frequentatum, rariores observationes, & multiplicem Experientiam subministrabat. Ne de studio indefesso, quo in Sectiones Anatomicas, publicas æque ac privatas vehebatur, mentionem inferam.

Hac methodo Ingenium studiis & conversatione excolendi usus, dignissimus erat, qui supremis Philosophiæ & Medicinæ Honoribus condecoraretur, qui etiam applausu publico, tanquam præmium diligentiæ præstitæ Anno M DC LXXI. die XIV. Octobris solenniter ipsi collati.

Inter Italos sic cum laude degens, cœptæ haud ita pridem in Patria Vratislavia Ephemeridum Germanicarum Collectioni, jam tum absens quoque auxiliatrices imposuit manus. Ab *Excell.* enim *Vollgnadio* dignus judicabatur, qui Italos Academicæ

Societati conciliaret, & ex eorum Thesauris varia Naturæ curiosa, quibus omnis Italia refertissima, detegeret, Venetiis potissimum in Museis Russiniano & Scaribiciano interioris admissionis particeps factus. Postquam hinc Venetis & Patavinis satis fuisset probatus, itineri ulteriori, Italiæ interiora visurus sese accingebat, sibique jam de literis, quibus ad celeberrima Italiæ Nomina aditum pararet, prospexerat, cum autem Viduus Parens senio morboque gravatus domum vocaret, mutabat animi proposito Pietas.

Quare patrios repetiturus lares per Oeni & Dānubii secunda flumina Viennam vectus, ibidemque absente Imperatore Leopoldo paucos dies moratus, *Paulum de Sorbait* & *Georgium Sebastianum Jungium*, *Archiatros Cæsareos* salutavit, moxque per Moraviam ad Silesios redux, urbem patriam Anno M DC LXXII. exeunte Majo Mense, salvus & incolumis ingressus est, summo Numini pro favore Ejus hactenus comite, pia Soteria dicens.

Patriæ itaque suæ redditus Schultzius, toto animo intendebat, commodis publicis omni opere consecrare, quicquid sive publico sive privato studio, & conversatione assidua cum Viris eruditissimis adeptus erat: Ingenuo certe stimulo aliis inserviendi ductus, qui illum ab omni invidiæ & torporis, bonarum sæpe mentium labe, longe alienum reddiderat. Paucis rem magnam eloquar! ad Medicinæ Praxin totum se convertebat, omnibus Practici prudentis requisitis instructus. Vegeta enim Memoria, quicquid ab aliis observatum, prompte recolebat, & alieno quippiam ab aliorum observatis occurrente, prout in Praxi quotidie contingit, Ingenio prompto nova auxilia meditabatur, judicio eximio cuncta inquirens, cuncta resolvens. Adeo ut nec in levioribus periculis ofcitanter securitati litaret, nec in ambiguis nimia meticulositate occasionem juvandi amitteret, nec in desperatis temerario ausu, interitui inserviret, sed omnia juxta Sapientiæ & Pru-

den-

dentiæ regulas cordate peragerer. Non eſt, quod rem per omnem, cum confiniis, Vratislaviam ſatis notam, prolixius repetamus, teſtor potius illos, qui Ejusdem ope adjuti, adhuc illius memoriam grati recolunt; vel qui morbo valde radicato & medica ope vix extirpabili detenti, ejus conſilio tolerantiam mali, non ſine emolumento didicere! Teſtor Medicos Collegas, illius amica converſatione quondam gaviſos! Teſtor denique quoscunque cordatos Viros, quibus notitia SCHVLTZII vel levior ſaltem contigit, quos omnes eruditionis & humanitatis ejusdem ſtrenuos aſſertores æquitas reddidit.

Præceos Medicæ debita adminiſtratio, totum equidem hominem requirit. SCHVLTZIVS autem in eadem ſollicite occupatus, pluribus adhuc ſtudiis negotiisque par erat. Cœpta enim haut ita pridem Anno ſcilicet M DC LXX. in honorem Academiæ Naturæ Curioſorum, Vratislaviæ per Duumviros Celeberrimos, *Sachſium Vollgnadiumque*, EPHEMERIDVM GERMANICARVM annua collectione, *Sachſioque* Anno M DC LXXII. piis fatis defuncto, in *Vollgnadium* ſuperſtitem totus labor devolvebatur, qui cum SCHVLTZIVM noſtrum in omni eruditione verſatum deprehenderet, digniſſimum eundem judicabat, qui cum *Jæniſio*, *Burgioque* ſocias manus collectioni EPHEMERIDVM, Annum tertium usque ad finem Decuriæ primæ ſequentium, applicaret. Hanc ſibi commiſſam ſpartam omni ſtudio, curæ cordique habens, eam *Vollgnadii* gratiam poſtea promeruit, ut ejusdem patrocinio, juſſu *Magnifici Dn. D. Febrii, Academiæ Naturæ Curioſorum Præſidis*, ab *Excell. ejusdem Adjuncto Dn. D. Joanne Schmidio, Suvinfurtenſi*, Illuſtri Collegio Academiæ Imperialis Anno M DC LXXVI. Menſe Julio ſoleni more inſcius adjungeretur. *Vollgnadius* autem hoc vinculo SCHVLTZIVM adhuc arctius ſibi devinctum, Sociumque fidiſſimum tum in colligendis MISCELLANEIS NATVRÆ CVRIOSIS, tum in excolendo commercio litterario, cum Eruditiſſimis per omnem fere

Europam Viris experiebatur, qui abſconditos naturæ receſſus pro ingenii & facultatum excellentia NVNQVAM OTIOSVS rimari ſtuduit.

Res omnium oculis publicoque conſpectui expoſitas, verboſis argumentis probare ſuperflui inutilisque alioquin laboris eſt, hinc non opus eſſe videtur SCHVLTZII ſollicitas curas, ut EPHEMERIDES GERMANORVM applauſu publico exciperentur, Vitæ ejus hiſtoricæ recenſioni prolixius inſerere, Operibus ipſis, Teſtibus omni exceptione majoribus, exiſtentibus, quorum præſantia Divi LEOPOLDI Sacratiſſimi Imperatoris gratiam & Orbis eruditi admirationem ipſis conciliavit. Mitto itaque ulteriores in hoc negotio laudes, quas modeſtia Noſtri ſemper ægrius tulit, mitto recenſionem ſingularem rerum in Collegio Naturæ-Curioſo impigre ab ipſo geſtarum, ad Ephemerides ipſas lectorem ſciendi avidum ablegans, quæ excellentiam ingenii, ut leonem ungues optime produnt. Illud tamen conticuiſſe haut decet, conatus ejus præter communem orbis applauſum, adeo *Illuſtribus Academiæ Præſidibus* placuiſſe, ut *a beato Dn D. Febrio* Anno M DC LXXXIII. ÆGINETÆ Agnomine mactatus, *a Magnifico Dn. D. Volckamero* Anno M DC LXXXIX. ADJVNCTORVM numero adſcriberetur, poſtquam *Vollgnadio* fatis functo Ephemeridum Collectionem, Vratislaviæ per Decennium optime inſtitutam, Norimbergam transferre Academiæ Proceribus Anno M DC LXXXII. viſum prius fuiſſet.

Onere itaque haut exiguo de Noſtri humeris devoluto, non tamen curæ perpetuæ pro Incremento Academiæ ceſſabant; quin potius illud iisdem impetrabat, ut COLLEGIVM VRATISLAVIENSE NATVRÆ CVRIOSORVM ab AVGVSTISSIMO IMPERATORE LEOPOLDO, ſingulari Clementia variis prærogativis exornaretur, ipſe autem tranquillius ſecum habitando, ardua ſemper meditans, ſublimibus ſtudiis totus occumbebat.

In omni Scientiarum genere verſaturus, multiplici Linguarum notitia antea ſibi proſpexerat, præter Sacras & Latinam Linguam Italo, Gallico, Anglico, Belgicoque ore loqui, tum per Itinera, tum privato ſtudio edoctus, ut tanquam Polyglottus majori perfectionis gradu prærogativis homini conceſſis gauderet. Soli namque homini animi intentiones per loquelam interpretari præ cæteris animantibus datum: & ſecundum quorundam mentem, tanto plus perfectionis humanæ quisque adipiſcitur, quanto magis diverſis modis mentem linguæ moderamine aliis exponere aptus exiſtit.

Linguarum ſic per cultiorem orbem uſitatarum gnarus, quoties in Praxi ſubeunda deſudaſſet, animum honeſta voluptate reficiebat, hiſtoricos veteres & recentiores, una cum itinerum diverſorum Scriptoribus, evolvendo, & variarum Gentium Ephemerides perluſtrando; ut tali modo intra Muſeum cognitionem orbis univerſi, tum quoad mutationes civiles, tum quoad Hiſtoriam Naturalem & litterariam præ aliis obtinuerit. Non autem legiſſe tantum exterorum ſcripta ipſi ſufficiebat, ſed ut aliorum etiam uſibus proſtarent, multoties Interpretem accuratum egit. Cum vero modeſtia inſignis, qua ubique uſus, nomen præfigere verſionibus typis divulgandis vetaret, tale ſaltem in præſenti verſionis Specimen exhibeo, de quo (cum in aliis dubius hæream) certo conſtat, ejus ſolertiam illud paraſſe. Scilicet *Joannis Graunttii, Membri Societatis Regiæ Anglicanæ, Obſervationes Phyſicas & Politicas de Schedulis Mortalitatis Londinenſibus* Todten-Zettuln (quarum recenſio *in Ephemeridibus Gallicis Eruditorum ad diem 2. Auguſti Anni M DC LXVI. quoque habetur,*) Germanico Idiomate donavit, in gratiam eorum, qui propter commodum publicum paſſim per Germaniam ſimilem computum deſiderarunt. Poſtquam autem interpretis munere rite functus fuiſſet, *Obſervationes tales ad Imitationem Londinenſium Vra-*

tislaviæ (de quibus in Transactionibus Anglicanis mentio fit) *a Viro Maxime Reverendo Dn. Caspare Neumanno institutas*, suis quoque conatibus juvit. In illud enim semper quam maxime intendebat, ut de exterorum rebus sollicitus, Patriam nosset, illius Historiam sedulus meditando, & naturæ sub cœlo Silesiaco Gazas sollicite simul investigando.

Medicorum Filii de Symbolismo miro Microcosmi & Macrocosmi semper cogitarunt, nimia curiositate ad nugas sæpe delapsi, SCHVLTZIVS autem sobriæ Philosophiæ adsuetus, ut erat Medicus omni modo perfectus, non in eo acquiescebat, ut Microcosmum nosset, Macrocosmi quoque solidam considerationem simul meditabatur. Penetrabat enim inextinguibilis ejusdem sciendi fervor in absconditos terræ meatus, metallorum mineras, variosque circa fossilia Naturæ lusus, igne, ferro, manu, ubique præside judicio exquisito, discutiendo. Enumerabat miram Vegetabilium Varietatem & Indolem, Scientiamque Botanicam suo tempore Celeberrimorum Virorum studiis, nova incrementa quotidie capessentem, fausto omine & ope lætus prosequebatur. Nec in animali Regno deficiebat sciendi cupiditas, superficiaria enim cognitione physica minus contentus, intima ubique scrutabatur, singula ad suos convertens usus.

Sed quid terrestribus occupatum prædico? altius penetrabat animus, oculis super Sphæras planetarum, ad ipsam stellarum fixarum immensam sedem tantum non semper defixissimis. Scilicet Mathematicum & Astronomum egregium sistebat, quem Posteritas inter Principes harum Scientiarum coleret, si natura ipsum pari modo ad ostentationem, & leviorem saltem jactantiam tam aptum reddidisset, quam ad sublimem quamque Sapientiam. Cui certe vel mediocris tanti Viri cognitio obtigit, ille consensu suo nostris assertis non deerit;

SCHVL-

SCHVLTZIVM, ut plura paucis comprehendam, Philo- « sophum & Medicum extitisse Celeberrimum, singula- « re autem Decus per Matheſin & Aſtronomiam Nomini « ejus partum, potiſſimum famæ perennis exiſtere momen- « tum. "

Progenuit Sileſia aluitque Medicos maximi Nominis, ut Seniores quosdam appellem, *Sennertum*, *Cratonem*, *Laurentium Scholtzium*, Rei Botanicæ & Foſſilium notitia Nobilem *Schvvenckfeldium*, nacta itidem ex vicina Polonia, Hiſtoria Naturali expoſita imprimis notum *Jonſthonum*, quorum gloria acquiſita SCHVLTZIO Noſtro ſtimuli loco exſtitit; non autem recordor, quod natale ſolum unquam Aſtronomum exhibuerit, quem pari honore dignum ſublimior iſta Siderum cognitio reddidiſſet. Delatus hic mihi in immenſum gloriæ SCHVLTZIANÆ videor Campum, ejus namque indoles ad plura ſimul comprehendenda Numine favente aptior erat, quam virium mearum modulus ad rerum ab ipſo gnaviter geſtarum Hiſtoriam rite conſcribendam. Doleo hinc viros multa Eruditione pariter notos, Vitæ ejus Studiorumque Socios ac Teſtes, qui quondam de memoria illius monumento publico conſervanda conſilium ſumſerant, morte præmatura vel aliis negotiis ab opere hoc retractos, provinciam hanc mihi ab ætate ejus remoto, qui vaſtum Eruditionis ejus ambitum tantum e longinquo & retroſpiciendo quaſi multa cum admiratione conſpexi, reliquiſſe.

Doleo SCHVLTZIVM ipſum longiore ætate utique dignum, citius rebus mundanis ereptum, antequam ipſe ſcriptis publicis digna Eruditionis ſuæ Monumenta expoſuerit, a quo certe nihil ipſum niſi propria modeſtia retinuit; in ea enim erat opinione, Virum Juvenem decere Sapientiæ Theſaurorum Collectionem, in Seniores operum publicandorum negotio cadente; & multos in Philautiæ Syrtes fuiſſe delapſos, nec ad genui-

nuinam Scientiarum veritatem penetraſſe, quod nimis cito libros ſcribendi pruritui ſuccubuerint. Multa ſane inter Manuſcripta ejus egregia latitant, quæ publici Juris reddita, novo incremento rem litterariam ditarent, nunc autem ut partus imperfecti & diſtorti, Filii, cui hæc in ordinem redigenda merito ſervantur, ultimam ſibi aliquando promittunt diligentiam.

Interim Sciagraphiam brevem arduorum præter Praxin Medicam laborum deſiderantibus, noſſe intererit, Cœlum Sileſiacum vix diligentiorem illo habuiſſe contemplatorem, qui calculo ſedulo in Eclipſes ſolares & lunares, Conjunctiones Planetarum, Occultationes Siderum &c. futuras adhuc inquirebat, præſentes autem, una cum ſtellarum novarum apparitione, & quicquid in Cœlo notatu dignum occurrebat, accurata obſervatione contemplabatur, cum Induſtriis aliorum Aſtronomorum, commercio litterario ſibi familiarium, ſuas curas conferens.

Cum Anno MDCLXXX. MDCLXXXI. MDCLXXXII. cœlum Cometis apparentibus omnium in ſe converteret oculos, & plurimi per orbem Viri docti eorundem obſervatione, & natura inquirenda occuparentur, doctæ Noſtrum etiam exercuere curæ. *De Cometis enim omnia & ſingula exquiſite penetrare atque enucleare, ut omnium*, fatente ipſo Hevelio, *inter Aſtronomica fere eſt difficillimum, ſic maxima ſubtilitate, labore atque induſtria opus habet.* Hinc eo tempore maturo judicio & prudenti oculo, ortum & occaſum, regionemque apparentium Cometarum inveſtigans, conquirendo variorum eo ſeculo viventium Aſtronomorum, *& ex ipſa Batavia Indiæ Orientalis Cleyeri Medici* Obſervationes, parcus alioquin in publicandis ſcriptis, hic tamen non dubitabat duplici Schediasmate (a) Germanico etiam ſuam mentem aliis communica-

(a) G. S. D. Obſervationes und Kunſt-mäßige Unterſuchung derer

nicare. Non tamen permittebat insignis Modestia nomen præfigere, sed potius illud vel literis initialibus saltem indicare, vel sub præconiis Gloriæ Divinæ occultare jussit. Vtroque scripto curiosum Cœli Spectaculum, secundum genuinas Observationes, quibus multas noctes insomnis transegit, docte expositum, ab Astrologorum vana hariolatione liberavit.

Non procul ab isto tempore, ut studia tum sua, tum aliorum observatorum Astronomorum eo promptius juvaret, mole & nitore egregio conspicuum Octantem, qui inter rariora Bibliothecæ Templi Mariæ Magdalenæi asservatur, incuria majorum destructum, sumptu publico adjutus Vsibus astronomicis aptum, Machinaque stativa, quæ plane hactenus deerat, instructum reddidit.

Non autem bina hæc modo recensita scripta solum peritiæ ejus Astronomicæ testes sunt, aliis adhuc existentibus Argumentis. Vt enim *Godofredi Kirchii Ephemerides* SCHVLTZII observationibus auctas prætermittam, exhibent *Acta Eruditorum Lipsiensia Anno II. p. 170. Occultationem Hyadum & Palilicii d. 30. Dec. Anno 1682. & d. 9. Jan. 1683 pag. 298. autem Conjunctionem magnam Saturni & Jovis* ex ejusdem Observatione communicatam.

---

rer im November 1680. und Januario 1681. am Himmel erschienenen beyden grossen Cometen / samt angehengtem Bedencken / von deroselben vermuthlichen Bedeutung. Vratislav. 1681. in 4to.

Gloria Soli DEO! Astronomische Beschreibung des grossen im Monath Augusto und Septembr. dieses 1682sten Jahrs am Himmel erschienenen Strauß-Sternes / nebst beygefügter Abbildung derer Gestirne / durch welche er seinen Lauff genommen. Gedruckt 1682. in 4.

Nec *Ephemerides Germanorum* dotibus ejus Aſtronomicis deſtituuntur, Decuria enim I. Anno VI. & VII. *Halonem Solarem apud Noſtrates viſum & dijudicatum*, Decuria II. Anno VI. *Eclipſes Solares*, *prior Anno 1687.* $\frac{1}{12}$. *Maji*, *altera Anno 1689. d.* $\frac{3}{12}$. *Septembris Vratislaviæ* obſervatæ, excipiunt: Decuriæ autem III. Annus IV. *Stella mirabili*, *in Collo Ceti menſe Febr. & Martio 1696. Vratislav. deprehenſa* conducatur. Modo recenſitas Obſervationes, Speciminis tantum loco, adduximus, plures namque in Manuſcripto continentur, quæ honori Beati Auctoris & deliciis Curioſorum in Re Aſtronomica inſerviunt; nihil enim ævo SCHULTZIANO inter Sidera notatu dignum extitit, cujus calculo vel contemplatione non fuiſſet occupatus.

Licear autem in gratiam Curioſiorum vel unicam ſaltem, nec ubique obviam obſervationem ex manuſcripto citato depromere, eamque ut Specimen ſingulare doctæ Curioſitatis hoc loco fuſius recenſere. „Ab aliquot annis Noſter, ut ipſe fate-
„tur, *Acus Magneticæ Declinationem Vratislaviæ* obſervare,
„ob lineæ meridianæ accuratæ, & inſtrumentorum idoneorum
„defectum fruſtra in votis habuerat, usque dum Anno M DC
„XCII. (qui cæteroquin ſtudiis ejus ob oculorum inflamma-
„tionem pertinaciſſimam maxime adverſus fuit,) deſiderii com-
„pos redderetur. Diſco enim lapideo (*quem Maxime Re-*
„*verendus Eccleſiarum & Scholarum A.C. apud Vratislavi-*
„*enſes Inſpector, Dn. Caſpar Neumannus, ſolers Obſervatio-*
„*num ejusdem Socius procuraverat,*) $1\frac{1}{2}$. pedum lato, probe
„lævigato baſique lateritiæ firmiter infixo, & ſic horizonti
„quam optime Parallelo, juxta Methodum *Hevelii* in Machi-
„næ cœleſtis parte priori traditam, ſub finem Menſis Auguſti
„*Linea meridiana* quam accuratiſſime inducebatur. Interea
„autem Inſtrumenti neceſſarii defectum *Generoſus Dn. de*
„*Wolffsburg* (*Mathematicus Ipſe & Mathematicorum Pa-*
„*tronus,*) gratioſe ſupplevit, utpote qui hunc in finem *Secto-*

rem

„rem Circuli, radio $2\frac{1}{2}$. pedum descripti, arcum viginti gradu-
„um, quorum singuli in minuta prima & secunda accurate
„subdividebantur complectentem, ex orichalco affabre elabo-
„ratum, & regula, cui Acus magnetica agillima debite infixa
„erat, instructum fabrefieri fecerat. Sic paratis omnibus die
„XXI. Decembris solstitiali, Triumviri hi Celeberrimi obser-
„vationem vere curiosam aggressi, iterum iterumque repetita
„Operatione *Declinationem Acus Magneticæ Vratislaviæ*
„$9^{\circ}\ 55'$ *a Septentrione in Occasum* deprehenderunt. Observa-
tiones tales lapidem trapezium, cujus longitudo 5. pedum erat
hunc in finem adepti, ducta quam accuratissime secundum um-
bram chordæ tensæ linea meridiana sæpe repetivere, & varias Acus
Magneticas ab Italis, Gallis, Britannis petitas, etiam passim per
Germaniam & Vratislaviæ quoque constructas Experimentis ad-
hibentes, Exterorum quorundam observatorum tum temporis
singularem famam affectantium, circa varia Acus Magneticæ af-
fectionum phœnomena suspectam fidem, quæ etiamnum
denuo institutis observationibus ab aliis redarguitur, de-
texere.

Sedulus adhæc Siderum, siderearumque vicissitudinum In-
dagator, sobria mente Astrologorum subinde placita simul con-
siderabat, tum nugas eorum variis præjudiciis innixas eludens,
tum quænam Siderum in sublunaria existeret energia per expe-
rimenta Physica, Mathematica, Medica inquirens. *Franciscus
Baco de Verulamio* multorum Phœnomenorum Physicorum
causas ideo latere asserit, quod Ventorum historicæ observatio-
nes accuratæ negligantur; Noster itaque in intima Scientiæ na-
turalis penetraturus, juxta contemplationem Siderum, Vento-
rum Regiones inquirebat, gravitatem Aëris Barometro, tempo-
ramentum autem Thermometris diversis dijudicans. Vidi ego
aliquot *Eteodromos Manuscriptos*, quibus tali modo de die in di-
em institutas observationes inseruerat, & nunquam non insi-
gnem ejus mirabor diligentiam, qua consignationes istæ

meteorologicæ, usque ad anni emortualis M DC XCVIII. diem XXVII. Aprilis continuatæ, quo ipso jam fatali morbo, cui paulo post die XIV. Maji penitus succubuit, detinebatur. Dolebit autem quilibet mecum cordatus, ipsum citius mortalium rebus ereptum fuisse, quam Ephemerides suas Astronomicas, Meteorologicas, Medicas conferre inter se, & per diuturna experimenta multa forte ad problematum naturalium variorum resolutionem solidam pertinentia eruere potuerit.

Verum enim vero dum Gloriæ SCHVLTZIANÆ Monumentum sistitur, & illud repetendum, quod juxta *Societatis Leges* & propriam potissimum indolem, NVNQVAM OTIOSVS, nullis insuper invidiæ stimulis fuerit impeditus. Amabat nempe Eruditissimorum Virorum consortia, & si forte quempiam pari animo ad eruditionis sacra vehi deprehenderet, ejusdem amicitiam multo ambitu sibi conciliabat. Et poscebant sane erudita ejus negotia auxiliares sæpe manus; per experimenta enim res naturales indaganti, res eo promptius succedit, quando partitis inter amicos officiis, oculi manusque plures in idem consilium conspirant. Amabat quoscunque Viros bonos, doctos, cordatos, tum eodem sub Cœlo secum viventes, tum passim per orbem dispersos, eorundemque Amore reciproco exceptus, non litteratis tantum, sed litterarum quoque Patronis placebat, & ab iisdem in Consilium vocabatur.

Inde erat, quod Anno M DC LXXXIX. Dantiscum excurreret, cum *Hevelio*, *Astronomorum facile Principe* collaturus, qui tum præsentis, tum absentis multiplicem Eruditionem mirabatur.

Non opus est de Commercio Literario tum suo, tum Academiæ potissimum Nomine, per omnem Europam, & ultra ipsius quoque terminos extenso, prolixius disserere, dum publi-

publica hujus Argumenta, Ephemerides Germanorum, proſtant; Propenſio autem erga cives ſuos doctos in ſuperſtitum multorum adhuc viget præcordiis. Hiſtoriam certe litterariam conſcriberem, vel brevibus mentionem Virorum varia eruditione, & familiaritate ejus notorum inferens; dolenda potius *Medicorum Patriæ Sileſiæ* ſors, quorum *Vitas hinc inde colligere & ab oblivione vindicare cœperat*, easdem procul dubio publicaturus, niſi propria ipſi defeciſſet Vita. Adeo conſervationi alterius intentus erat, ut non tantum ex Medici officio, apud Clinicos eandem meditaretur, verum etiam Clarorum Virorum, tum ſui, tum præteriti ævi nomina buſto eripere conaretur.

Sibi ipſi equidem de perenni Nominis Memoria, Eruditione multiplici jamdum ſatis proſpexerat, ratus tamen bonos Reipublicæ civilis & litterariæ Cives hanc curam maxime decere, ut alios æque bonos poſteritati relinquant, illuc ſibi quoque aſpirandum eſſe duxit. Qua de cauſa iterato matrimonio, Spectabilium Mercatorum Civiumque Vratislavienſium Filias, Formæ Virtutumque præſtantia lectiſſimas Virgines, vitæ & laborum ſibi adſciſcebat Socias. Priorem quidem ANNAM MAGDALENAM RVNGIAM, quæ Anno M. DC. LXXIV. die VIII. Februarii more ſacro & ſolenni in Thorum recepta, ſequenti anno die XXVI. Aprilis, poſtquam tribus Menſibus ante filiolo ipſum Parentem reddidiſſet, præmaturo fato iterum eripiebatur, biennio poſt, filiolo grato ad beatas ſedes matrem itidem ſequente. Alteram vero ANNAM MAGDALENAM HOENIAM, quæ AN. M DC LXXXVIII. die XXVII. Aprilis ipſi juncta, optimum maritum eousque ſuperſtes Vidua doluit, donec pia morte Eidem iterum jungeretur. Secundum hocce Matrimonium tribus Filiis fœcundum erat, quorum primogenitus poſt novem horas cœlitibus annumerabatur, alter vero THEOPHILVS FRIDERICVS Anno M DC XCI. die II. Auguſti editus, una cum tertio CHRISTOPHILO GODOFREDO Anno MDC XCIV.

die XII. Februar. progenito, funeribus Parentum ſuperſunt, Spemque Nominis & Gloriæ Paternæ conſervandæ concedunt, prior Mercaturæ, alter autem Studiis operam gnaviter impendens.

Proſpexit hac ratione SCHVLTZIVS ab omni parte ſibi commiſſis officiis, mirum quanta Prudentia & Aſſiduitate! Etſi enim natura Corpus debilius graciliusque conceſſiſſet, maluit tamen aliis inſerviendo conſumi, quam ſegni otio contabeſcere; & prudenti ſobriaque vivendi ratione, favente Numine, ſi non æqualem ſemper, tolerabilem tamen pro vita tranſigenda valetudinem adeptus eſt. Quamvis enim *Anno* M DC LXXXV. ab itinere Dantiſcano redux, febre catarrhali dubia corriperetur, illaque judicata, tuſſis ferina & materiæ viſcidæ purulentæ copioſa exſcretio, incrementa virium, non ſine Phthiſeos metu adimerent, evaſit nihilominus per DEI gratiam imminens periculum, ita tamen ut quotannis recidivam minante malo, perpeſſæ cladis memoriam repetere cogeretur.

Circa tempus autem ſolſtitiale hybernum Anni M DC XCVII. catarrhum graviſſimum recrudeſcentem, cum tuſſi moleſtiſſima thoracem concutiente, & infauſta virium proſtratione, ad æquinoctium vernum usque ſequentis anni expertus eſt. Licet autem veris ingreſſu, aëris conſtitutione mitiori facta, catarrhus cum tuſſi ſubito ceſſarent, illud tamen inter meliora omina reponi minus poterat. Reſpiratio namque difficilis hactenus poſt motum tantum moleſta, accedente lateris ſiniſtri, cum Praxeos ſubeundæ gratia, per lubricum platearum obambularet, ſuper lapidem alliſione forti, ſubito tanta incrementa ſumſit, ut aucta indies virium proſtratione, noctu ſomnum interruptum & laborioſum, œdematoſumque pedum tumorem, paulo poſt ad regionem umbilicalem usque protenſum, cum recrudeſcente iterum iterumque majori cum moleſtia tuſſi experiretur,

Adaucta hæc indies adverſæ valetudinis funeſta pathemata non alio quam Medicum prudentem & Chriſtianum decet, aſpexit oculo; pro indubiis enim beatæ analyſeos mente erecta agnovit prodromis, animam, quæ tum ex verbo revelato, tum ex Libro naturæ DEVM ſibi coram cognitum, pia devotione ſemper coluerat, almo Rerum omnium Creatori commendans. Philoſophiam naturalem, & quidquid ad eandem pertinet, per omnem coluerat vitam, & Philoſophum Chriſtianum ipſum extitiſſe, philoſophandi ratio dum mortem inſtare cerneret, inſuper comprobabat.

Quemadmodum enim ſuperato fere per montium jugera arduo tramite viator pedem ſiſtit, & undique circumſpiciens modo exantlatas jamdum itineris viciſſitudines, modo brevi ſperandam quietem conſiderat: ita Noſter peregrinatione ſua defatigatus quietis æternæ Candidatus, miram illam totius univerſi œconomiam naturalem denuo mente repetebat, & a terreſtribus corporibus conſideratis, ad immenſas ſidereas moles, earumque mirandas affectiones aſſurgens, exinde Majeſtatis Divinæ præconia & argumenta infallibilia eliciebat. Hiſce meditationibus vita transacta, urgentisque morbi moleſta tædia ſuperata, donec memorati jam ſupra Anni MDC XCVIII. die XIV. Maji vitæ terminum, mentis ſenſuumque compos, inter devotas preces adeptus, ad conſpectum Creatoris DEI Optimi Maximi lætus pertingeret, viginti quinque diebus ultra quinquageſimum quintum ætatis annum transactis.

Quandoquidem ergo gloria poſt funera ſuperſtes, non diuturna Annorum ſerie, ſed rebus per vitam optime geſtis metitur, perennitati SCHVLTZIANI Nominis vitæ brevitas nihil plane derogat, licet enim minus diu, ſufficit tamen, quod perquam bene vixerit. Ipſe ſua ſorte valde beatus exiſtit, ea cognitione gaudens, ad quam intra mortalitatis ſphæram conſtituti fruſta, adſpiramus, donec exuviis corporeis ſepoſitis, menti ad veram Sapientiæ ſedem penetrare datur. Patriam autem tam charo pigno-

re amisso, dignum tanto Viro exercuit desiderium, dum unius SCHVLTZII obitu Philosophum, Physicum, Mathematicum, Astronomum, Medicum, paucis in omni Eruditione versatum Civem dolet. Nec Illustrem Academiam Imperialem, leviori fato affectam quis crediderit, dum variis procellis exposita Argos, multos ad clavi moderamina intentos, præcoci fato sibi ereptos sensit. Verum cum SCHVLTZIVS Noster nullius commodis pro ingenuo Candore invidus unquam extiterit, nefas foret illius sorte contristari, illud potius cuilibet cordato Sapientiæ Sectatori incumbit, ut simílem gloriam & felicitatem impetraturus, ejus imagine stimuli loco utatur. SCHVLTZIVS enim terrenis curis cœlestes jungens, quæsitam Sapientiam, & longævitatem faustus invenit, in Cœlum recepta mens omnium vicissitudinum expers.

Nomen autem sua celebritate, ultra omnem oblivionis
Sphæram positum existit; Virtus namque
& Eruditio,, dignum laude Virum
vetant mori!

De

ens. in Patav.
GVILELMVS Bononi
DOMINICVS
D. D. D.
Gymnas. Theoret.
Medicin. Profess. Publ. Primar.
Ætat. Anno
Æt. LIV.
Angelus Michael Cavazzoni delin.
Iosephus à Montalegre sculpsit.

De Vita

DN. D. DOMINICI GVLIELMINI

Commentariolus

DN. D. JO. BAPTISTAE MORGAGNI.

MAjores Dominici Gulielmini Novariæ orti, Cravineam, quod in Valle Antigorii eſt oppidum, migraſſe perhibentur. Hinc certe Avum centum circiter annis ante tranſiiſſe Bononiam, conſtat, & in ea Vrbe conſediſſe.

Bononiæ Dominicus natus eſt V. Kal. Octobr. A. D. M DC LV. Principio plura genera doctrinarum attigit; tum vero id quæ magis ſe ferri natura intellexit, ad illa duo totum ſe contulit, Mathematicam ſcientiam, & Medicam Artem, uſus in utraque nobiliſſimis Præceptoribus Geminiano Montanario, & Marcello Malpighio.

Annum agens XXI. Mathematica illuſtrare cœpit, editis duabus *Volantis Flammæ Epitropejis.* Quibus porro *de Cometarum natura, & ortu Diſſertationem*, ac *obſervationem* addidit *Solaris Eclipſis.* Has duo ſunt conſecuta volumina *de Aquarum Fluentium Menſura*, totidemque *Epiſtolæ Hydroſtaticæ*; quibus nunc tertia adjungenda eſt ex Berolinenſibus Miſcellaneis; & is demum, quem Italice ſcripſit, *de Natura fluminum* liber.

Quam vero iis ſcriptis de ſua in Mathematicis præſtantia opinionem excitaverat, opere (quod difficilius eſt) confirmavit. Joanni Dominico Caſſino, Aſtronomorum hujus ætatis facile Principi, in Bononienſi illa celebratiſſima Meridiana Linea inſtauranda comes fuit. Padum autem flumen (ut de reliquis ejus operibus ſileamus) a Placentiæ mœnibus, quibus magis magisque imminebat in dies, objectis molibus repulit.

Nec vero tanto Mathematico præmia, atque honores defuere. Nam Patria XXX. annos natum procurationi fluminum, & totius provinciæ aquariæ præfecit, paucisque interjectis annis in Publicos Mathematum Professores retulit. Ipsum Kalendarium, ut ibi positum est in more, conficere, ipsum Hydrometriam primum omnium docere, in his denique cunctis, aliisque præterea Muneribus ipsius absentis rationem haberi, & conservari perpetuo voluit, ex quo scilicet ab Amplissimo Venetorum Senatu Patavium honestissimis conditionibus evocatus, in Stephani Angeli Mathematici Per-Illustris locum suffectus est A. D. M DC XCVIII.

Itaque jam nulla in Italia fere paulo difficilior Mathematica consultatio accidebat, quin ejus sententia a Magistratibus, Virisque Principibus expeteretur. Hinc Mantuam, hinc Cremonam, hinc Mutinam, hinc alio sæpe accersebatur. Parmensium autem Dux, præsertim post illud, de quo antea dictum est, ad Placentiam opus feliciter absolutum, & plurimi fecit, & propria auro gemmisque exornata imagine donavit. Cum vero Ferdinandus de Abdua, & Franciscus Barberinus Cardinales ab Innocentio XII. Pont. Max. legati essent, ut de illis cognoscerent, quæ inter Bononienses, & Ferrarienses jamdiu sunt controversiis circa Rheni in Padum derivationem; Dominicus non modo suorum apud illos causam egit, sed ab utroque vehementer probatus, jussus est pro sua peritia, & fide de Aquis etiam Ferrariensis Agri, & Ravennatis referre. Nec dubium est, quin ea quæ sunt ab illo proposita, perplacuerint, quanquam ob gravissimas, quas hic referre non attinet, causas illæ quidem nondum compositæ sunt lites. Ab sapientissima autem Venetorum Republica alias in Illyricum missus est ad Castri Novi munitiones instaurandas, alias in Forojulienſem Provinciam, ut rapidum Amnem, Palmæ proximum, & quasi impendentem, a munitissimo oppido arceret. Quam sæpe vero de rebus hujusmodi consuleretur, quamque item charus haberetur, dici facile non potest, nec Venetis quidem solis, quanquam his plurimum, sed & Reipubli-

cæ

cæ Lucenſi, & Hetruſcis Principibus, & optimo Ingeniorum Æſtimatori ac Patrono, Clementi XI. Pont. Max. ut a quibus omnibus, & præterea a ſuis Civibus magnis eodem tempore propoſitis præmiis, & honoribus paulo ante quam e vita diſcederet, eſt vocatus.

Neque in eo Mathematicæ tantum ſcientiæ, ſed & Medica Doctrina ſpectabatur. Emiſerat namque Italice ſcriptas *Conſiderationes ex Figuris Salium erutas*, latine autem *de Sanguinis natura, & conſtitutione Exercitationem, pro Theoria Medica adverſus Empiricam Sectam Prælectionem, de Salibus Diſſertationem & de Idearum vitiis, correctione, & uſu adſtatuendam & inquirendam Morborum naturam Exercitationem*: qui fere omnes libri rurſus Batavorum typis deſcripti ſunt. Annumerari his poſſent Epiſtolæ ſex ad G. *Desnoües* Italico ſcriptæ ſermone, ſed Gallico tantum editæ. Annumerari autem omnino debet *Sympoſium Medicum ſive Quæſtio Convivalis de Vſu Mathematum in Arte Medica*; nam etſi *Joſephum Donzelinum Antonii Filium Coſſentinum* auctorem præfert; ego tamen certum compertumque habeo, tam illam eſſe Gulielmini, qui ſub ficto nomine latere tum voluit, quam quod maxime. His ut fere Contemplatricem Medicinæ Partem ornavit, ſic aliis viciſſim libris Activam erat ornaturus. Huc enim priores illi tendebant, nimirum ut viam quaſi munirent acceſſuris ad libros *de Febribus*, & *de Methodo Medendi*, quos quidem affectos reliquit. Perfectæ autem plures ſuperſunt Diſſertationes, apud Filium aliæ, aliæ apud Alexandrum *Bonis*, Medicum Venetum, optimis cum ſcientiis, tum moribus ornatiſſimum, hisque nominibus Gulielmino chariſſimum, & in iis *de Materiæ Affectionibus* duæ. *De Principio* autem *Sulphureo* novem, & *de Æthere* unica, quas vivens adhuc emitti juſſerat, poſt ejus mortem prodiere, eodem Alexandro *Bonis* curante, & ſe, atque earum Scriptore dignam Præfationem addente.

Annum agens XXII. a Præclariſſimis Philoſophorum, Mediorumque Bononienſium Collegiis Doctor renunciatus, medici-

nam domi forisque cum laude fecit, eoque etiam nomine in comitatu Virorum Principum fuit.

In Anatomico Scholæ Bononiensis Theatro solemnem humani corporis dissectionem adolescens non sine honore administraverat. Postea in custodiendo præclaro Vlyssis Aldrovandi Museo Ovidio Montalbano successor est datus. Librorum quoque cum philosophicorum, tum medicorum factus est Censor. In Patavino autem Gymnasio primarium Medici Theorici locum ab A. M DCC II. post discessum Pompeji Sacci Parmensis Medici clarissimi, pro sua, & illius Gymnasii dignitate, quæ est ampliſſima, tenuit.

Porro ejus consilium sæpe in morbis difficillimis requirebatur: constatque, a Magno Hetruriæ Principe, amplis, ut sibi Medicus esset, fuisse præmiis, & honoribus invitatum.

Tanti autem Mathematici, & Medici famam non Italiæ modo, sed Europæ universæ fines peragrasse, ex eo præsertim agnosci potest, quod non in Patrium tantum, sed & in externos Cœtus Doctorum Hominum celeberrimos est lectus, Cæsareum N. C. Germanicum, Regiosque item Parisiensem, Londinensem, & Berolinensem.

Acerrimo fuisse ingenio, & non deteriore judicio etsi scripta satis ostendunt, non alienum tamen est addere, qualem in scriptis, talem quoque in omni sermone se præbuisse. Negare volebat Montanarius, præclariore, aut promtiore ingenio novisse quenquam. Aliter vero Præceptor Malpighius quanti ipsius judicium faceret, cum sæpe alias, tum præsertim vita excedens ostendit, Posthumi Operis editione illi, & Sylvestri Bonfiliolo Viro Clarissimo commendata.

Ad hæc, atque alia quæ natura dederat, animi bona singularis industria, & labor assiduus accesserunt. Nunquam non illum inveniſſes aut legentem aliquid, aut commentantem, aut scribentem, aut domi, & in publico docentem, idque ea diligentia, & copia, & acumine, &, quod semper est caput, ordine, ut ex ejus Discipulis nominare possem plures nihil a tanto Præceptore degene-

generantes, nisi cum plures nominassem, plures tamen superfuturos esse, intelligerem. A publico docendi officio non illum poterat affecta valetudo, non ex recenti itinere languor avertere. Sed neque in gravissimo, quo confectus est, morbo Amicorum monitis precibusve potuit adduci, ut libros seponeret, quos pulvino subditos, illis discedentibus, sumebat in manus.

Cæterum in Amicos officiosus, in Præceptores pius, in bene de se meritos quosque gratus, modestus præterea, æquus, unoque verbo moribus optimis, & honestissimis fuit, ut hac etiam de causa fieret, ut qui illo familiariter uterentur, hi longe charissimum haberent, quo ex numero Patricii Veneti duo non sunt nobis prætermittendi, Sebastianus Fuscarenus Eques, ac Ædis D. Marci Procurator, dum viveret, Amplissimus, Meritissimusque, & Christinus Martinellius Vir Doctissimus, & Bonorum omnium Fautor summus.

Statura fuit procera, amplo corpore, atque robusto, sed novissime, credo ob assiduas lucubrationes, nonnihil incurvo. Nigros habuit vegetosque oculos, nigra, densa, magna, & contracta supercilia, colorem sublividum, vultum vero natura adductum, & tanquam ad severitatem compositum, ut primo aspectu longe aliter atque erat, asper austerusque putaretur. Valetudine usus est prospera, nisi quod adolescens pulmone sanguinem rejecit, consequente neque brevi, neque periculo vacua ægrotatione. Supremis quoque annis lumborum, inprimisque faucium rheumate frequenter laboravit.

Causamque adeo novissimæ ægritudinis ex gravedine contraxit. Quæ postquam tribus interjectis mensibus remiserat, iterum ineunte Majo recruduit. Huic cum febris non sine quibusdam mentis alienationibus, aliisque gravioribus symptomatibus accessisset, visus tamen æger rursus levari, & fortasse erat convaliturus. Sed vires a sævo longoque morbo infirmatas sanguis e naribus eodem die semel atque iterum profluens sic dejecit, ut dum ad excipiendum sanguinem pelvim poscceret, & se in cubi-

tum reponere niteretur, extemplo deficeret IV. Idus Jul. A. D. MDCC X. ætatis LIV. ſuper menſes IX, ac dies XV.

Aliquot ante illum diebus quæcunque ex noſtris ritibus, quos ſemper caſte religioſeque ſervaverat, impendente morte fieri ſolent, ea omnia ſancte perfecerat. Nec vero ſupremum boni prudentisque Patrisfamilias neglexit officium, ſcripto herede Joſepho, quem ex Conſtantia Joannetta Cive Bononienſi Vxore obſequentiſſima tulerat, filio, eoque cum ipſa Vxore, communique altera Filiola, & Matre, quam grandævam admodum reliquit, Viris graviſſimis amiciſſimisqve commendato; nam duas quas ex eadem Conſtantia tulerat, majores Filiæ inter Sacras Virgines ſe receperant.

Patavii, qua in Vrbe deceſſit, in Delubro, & ante Aram Divi Maximi humatus fuit, quadrato impoſito lapide, in quo inſcriptum eſt:

HIC JACET
DOMINICVS GVGLIELMINI
BONONIENSIS
IN PATAVINO GYMNASIO
PVBLICVS THEORICÆ MEDICINÆ
PROFESSOR PRIMARIVS
OBIIT DIE XII. JVLII ANNO M DCC X.
ÆTATIS SVÆ LIV.

Felix autem Abbas VIALE Vir doctiſſimus, atque integerrimus, & quo erat Patavii cum Gulielmino conjunctior nemo, juſtum ex albo marmore monumentum in celeberrimo loco ſtatuit ad Divi Antonii Templum, qua hoc fere meridiem ſpectat. Scriptum in eo monumento elogium, & qui præterea Gulielmini libri quo ſint tempore, & quot, quibusque typis commiſſi, adſcribemus.

D. O. M.
DOMINICO GVLIELMINO BONONIENSI
IN PATRIO PRIMVM MOX IN PATAVINO GYMNASIO
MATHESEOS INDE THEORICÆ MEDICINÆ
PVBLICO PROFESSORI PRIMARIO
VIRO MORVM PROBITATE SCIENTIARVM PERITIA
SCRIPTIS EDITIS EDENDISQVE CLARISSIMO
A SERENISSIMA VENETORVM REPVBLICA
HVC INGENTIBVS STIPENDIIS ACCITO ET IN ARDVIS
ADHIBITO

QVEM

QVEM
DVM CERTATIM MAGNI PRINCEPES MAGNIS MVNERIBVS
AMBIVNT
POST LONGAM DVBIAM VIXQVE MEDICIS EXPLORATAM
ÆGRITVDINEM
IN IPSO ÆTATIS ROBORE FORTVNÆQVE SECVNDISSIMÆ
PLAVSV
PRINCIPVM PRINCEPS DEVS TERRIS ERIPVIT COELOQVE
LOCAVIT
ÆTATIS SVÆ ANNO LIV. SECVLI VERO XVIII. ANNO X.
FELIX ABBAS VIALE PVBLICVS BOTANICES PROFESSOR
HORTIQVE MEDICI PATAVINI PRÆFECTVS
AMICO ET COLLEGÆ DESIDERATISSIMO
ÆTERNVM HOC AMORIS ET MOERORIS MONVMENTVM
POSVIT.

Volantis Flammæ a Per-Illustri, & Excellentiss. D. Geminiano Montanario Bononiensis Archigymnasii Professore Mathematico optice geometrice examinatæ Epitropeja. Conclusiones a Dominico Gulielmino propugnandæ. Bononiæ ex Typographia Manolassiana 1677. in 4. maj.

Volantis Flammæ & cet. Epitropeja, sive Propositiones Geographico-Astronomico-Geometrico-Opticæ a D. G. ejusd. D. Montanarii discipulo demonstratæ. Bononiæ & cet.

De Cometarum natura, & ortu epistolica Dissertatio, occasione novissimi Cometæ sub finem superioris anni, & inter initia currentis observati conscripta. Bonon. typ. H. H. Dominici Barberii 1681. in 4. maj.

Observatio Solaris Eclipsis anni 1684. Bononiæ habita die 12. Jul. Bonon. apud H H. Antonii Pisarrii 1684. in 4. maj. & Patavii 1711. typ. Jo. Bapt. Conzatti in 4.

Riflessioni Filosofiche dedotte dalle Figure de Sali, espresse in un Discorso recitato nell, Academia Filosofica Experimentrale di Monsig. Arcidiacono Marsigli la vera delli 21. Marzo 1688. In Bologna per gli Eredi del Pisarri 1688, in 4. & in Padova per la Vedova Frambotti 1706. in 4.

Aquarum fluentium Mensura nova methodo inquisita, *Pars I.* Bonon, ex Typographia Pisarr. 1690. in 4.

Aqua-

Aquarum fluentium menſura nova methodo inquiſita, Pars altera. Bonon. ex Typogr. Piſarr. 1691. in 4. Extant ambæ cum duabus ſequentibus Epiſtolis etiam in Miſcellaneis Italicis Phyſico-Mathematicis collectis a Gaudentio Roberto. Bonon. ex ead. Typogr. 1692. in 4.

Epiſtolæ duæ Hydroſtaticæ, altera Apologetica adverſus Obſervationes contra Menſuram Aquar. fluentium a Cl. V. Dionyſio Papino factas, & Actis Erud. Lipſ. anni 1691. inſertas; altera de Velocitate & motu fluidorum in ſiphonibus recurvis ſuctoriis. Bonon. apud H. H. Anton. Piſarri 1692. in 4.

De Sanguinis natura & conſtitutione Exercitatio Phyſico-Medica, Venetiis ex Typogr. Andreæ Poleti 1701. in 8. & Vltrajecti apud Gulielmum vande Water 1704. in 8.

Pro Theorica Medica adverſus Empiricam Sectam Prælectio habita Patavii, dum a Mathematicarum Scientiarum Cathedra ad primam Theoreticæ Medicinæ tranſitum fecit. Venetiis ex Typogr. Hieronymi Albricii 1702. in 8. & Vltrajecti una cum prædicta de Sanguin. natura exercitatione.

De Salibus Diſſertatio Epiſtolaris Phyſico-Medico Mechanica. Venetiis per Aloyſium Pavinum 1705. in 8. & Lugduni Batavorum apud Federicum Haaring 1707. in 8.

Lettres de G. Desnoiies, & cæt. & de Mr. Guglielmini & cæt. & d' autres Savans ſur differentes nouvelles decouvertes. A Rome 1706. chez Antoine Roſſi in 8.

Joſephi Donzelini Antonii Filii Coſſentini (revera Dominici Gulielmini) Sympoſium Medicum, ſive Quæſtio Convivalis de Vſu Mathematum in Arte Medica. Venetiis 1707. typ. Aloyſii Pavini in 8.

De Principio Sulphureo Diſſertationes, quibus Mantiſſæ loco acceſſit Diſſertatio de Æthere. Opus Poſthumum. Venetiis 1710. apud Andream Poleti in 8.

Epiſtola ad G G. Leibnitium de Aquarum fluentium menſura, qua reſpondet Epiſtolæ Dionyſii Papini ad Hugenium. Extat in Miſcellaneis Berolinenſibus Berolini ſumpt. Jo. Chriſt. Papenii 1710. in 4.

INDEX

Fig II.

Obser. CXLII.

Obser. CXLV. Fig III.

Fig I.

TAB XI.

Fig II.



J.G. Puschner sc:

TAB XII.



INDEX
Rerum & Obſervationum in Centuria III. & IV. contentarum.

A.

Abdominis Paracentheſis iterata. pag. 371
mox incremens tum, mox decrementum in Gravida. 165
Abortus nefarie procuratus. 377
Abſceſſibus Tonſillarum aperiendis Inſtrumentum. 459
Abſceſſus in capite. 42
capitis & mors ex uſu Chinæ Chinæ. 52
Aculei foramen in Scorpione Africano. 58
Alabaſtri larga comeſtio innocua. 126
D. *Albani* Hor. morbus, interitus & anatome. 1. App.
Alvi Stypticitas cum diminuta urinæ quantitate contra Hippocratem. 53
Ambræ odore Pepo. 90
Amnio communi, ſed diſtinctis choriis incluſi trigemini. 376
Anatome Aſthmate extincti. 270
Atrophia mortui. 275
Hæmoptoici. 279
Hepatitide ſubito extincti. 334
Anatome Hydropicæ. pag. 273
lethargo defuncti. 279.
Phthiſi extinctæ. 272
Sphacelo oris mortuæ. 274
Vlcere ventriculi extinctæ. 275
Anevriſma carotidis curatum. 150
genu curatum. 39
Anglicanum Sal purgans Ebshamenſe. 397
Anglicæ guttæ medicamentum polychreſtum. 404
Ano excluſus calculus. 310
clauſo natus Infans cum defectu Inteſtini recti. 463
Aphonia periodica. 201
& Hemiplegia a cholera triduana. 5
Apoplectica oris tortura in vetula curata. 288
Apoplexia a calculo felleo. 380
Aqua calida fomentorum calidorum optimum. 248
Aquarum quarundam ſimplicium examen chimicum. 413
Aquæ Villenſis uſus cum cibo. 350

Aquæ vitæ vires. pag. 43
Araneo Locusta 81
Araneæ assumtæ cura. 30
Araneorum lapis. 97
virus in quo consistat sec. Listerum. 34. 35
Arsenici sumti cura. 33
usus ad agrorum fertilitatem promovendam. 153
Arsenicum sine inflammatione necans. 283
Arteriotomiæ usus. 143
Arthritis convulsiva cum tetano. 163
Arthriticæ calcis metastasis ad mammam cancrosam. 38
Arthritidem curat Cortex Chin. Chin. 145
Asthmatici anatome. 270. 279
Atheroma renale. 2
Atretorum exempla. 96. 463
Auri diaphoretici Poteriani præparatio. 113

B.

Balneatoris experimentum lethale. 243
Balneum frigidum in febri sudorem producit. 244
Balsama externa antipodagrica. 78
Balsamo-vitæ curata Paræsis e colica. 91
Barometrica observatio. 49. App.
Bilis tota saxea. 144
Bilariæ vesicæ calculi. 227
Bilarii ductus insolita via. 92. 95
Blitz-Kraut qualis planta. 196
Botoa radix. 162. App.
Boum lues. 23. App. 347
Boum pinguefactio per insufflationem. p. 441
Bubonocele periculosa. 44
Bufo deglutitus. 373
ex dorso pariens. 393
Bufonum spiritus volatilis. 427
pluvia. 393
venenum. 255
haud adeo noxium. 395
Bulimia periodica ex verme. 318

C.

Cachectici anatome. 280
Cæsareæ sectio. 136
Cahve Arabicum & Germanicum. 344. 378
Arbor Gelseminum Arabicum. 378
Calculus per anum excluſus. 310
ingens a muliere excretus. 371
felleus apoplexiæ autor. 380
Calculi fellei. 227. 9. App.
in folliculis. 229
silicei excreti. 265
symptomatum metamorphosis infrequens. 316
vesicæ remedium. 40
Calculosus affectus pro fascinato habitus. 157
Calculorum singularis excretio. 228
Calida aqua fomentum commodissimum. 248
Canthi oculi vulnus exile cum mirisymptomatibus. 130
Capitis consensus cũ pedibus. 105
Caput Gallinæ lapideum. 237
Cardialgiæ remedia. 336
Carotidis anevrisma feliciter curatum. 150

Caryophyllus ſpicam frumenti referens. pag. 368
Caſtaneæ Braſilienſis rarior ſpecies. 90
Cataracta lactea. 469
Catarrhalis febris epidemia. 137
26. App.
Cavallaverde locuſta Cavalletti ſive *Cavallucci*, quale inſectum. 81
Cephalalgia periodica in hæmorrhagiam narium terminata. 351
hypochondriaca imprægnatione ſublata. 297
Cephalalgiæ pertinaces ac periodicæ ex hydrope cerebri. 30
Cerumen Aurium tuſis cauſa. 203
Charta maſticata ſclopeto explo-ſa cranium perforat. 452
Chinchinæ uſus in tertiana mali moris. 55
in podagra. 383
rheumatiſmis &c. 145
hypochondriacis. 450
noxius. 52
Choledochi pori via inſolita. 92
Cholera triduana producit Hemiplexiam cum Aphonia. 5
Clavi periodici hiſtoria. 445
Climactericus primus variolosæ funeſtus. 290
Clysmata blanda in variolis, petechiis &c. prorſus innocua. 36
Coccoluccio Italorum. 139
Coli ulcere & phthiſi extincti Anatome. 272
Conceptio in ſomnio. 108
Concubitus ſatanici Melancholia. 294
Conchyliorum variorum in uno lapide epitome. pag. 122
Contagii Boum obſervata. 347
Contuſiones ſpiritu vini curatæ. 43
Convulſio reciproca. 237
Epiglottidis deglutitionem impediens. 267
Conyzella ſive *Conyza* Canadenſis. 281
Coqueluche morbus Gallorum. 138
Cordis Polypus. 269
Cranii perforatio per chartam exploſam. 452
Criſis ſingularis. 238
Cryſtalliformes Lemæ Virginis. 418
e Cubo & Octaedro lapis figuratus. 15
Cucurbitæ Braſilienſis rarior ſpecies. 90
Cucuruy Bufonum ſpecies. 393
Cutaneis excretionibus clyſmata blanda conducunt. 36
Cyſticus ductus retrogradus calculoſus. 95

D.

Damocervi ventriculi concretum. 263
Defluvium pilorum totius corporis. 311
Deglutitio læſa ex epiglottidis convulſione. 267
innoxia floreni. 277
Dentium caſus a febre maligna. 143
geneſis. 232
Diabetes ſtrangurioſus periodicus. 20

Diarrhæa aliaque ympromata ab Atheromate renali. pag.2
Digiti manus & pedis sex. 23
Divinum in morbis Hippocratis. 107.129
Dorso exclusi Bufones. 395
Ductus thoracici nova demonstratio. 120

E.

Ebshamense sal purgans.397.seqq.
Eclipsium observationes.133.App.
Elaphopita. 263
Empirici temerarium experimentum in se ipso letale. 243
Empiricus Hippocrates in cura Viri in Eniadis. 250
Enterocele magnete curata. 10
Epiglottidis convulsio deglutitionem impediens. 267
Epilepsia inveterata Vsne curata. salivatione curata.231 (299
Equina lues. 27.App.
Equini vermes. 466
Equinum stercus antipleuriticum. 426
Erysipelatis chronici spasmodici cura. 299
Excretionibus cutaneis Clysmata blanda non nocent. 36

F.

Fagus figurata. 224
Faucium ulcerum cura. 362
Febris catarrhalis solutio rarior. 333
dentium casu finita. 143
epidemia. 137.26.App.
maligna summe periculosa curata. 106
Felis magnitudine Tigris. 89
Filamenta meteorica. 357
Filtrum lapis. 417
Flos lenticulæ paluſtris. 80
Fœtus purisimus e matre lue ꝙea consourcatisima. 39
Fomentorum calidorum probatissimum Aqua calida. 248
Fons loterius novus. 302
Tongrensis. 340
Foramen ovale diu apertum. 376
Formicæ dant spiritum acidum & urinosum. 192
Frigoris commodum. 244
Frumenti spicam referens Caryophyllus. 368
Fulminis admiranda actio. 438
Fusi in anum intrusio. 85

G.

Gallinæ caput lapideum. 237
Gelseminum Arabicum fructum Cafe ferens. 378
de Gemellis varia. 364
Gemelli in mola conclusi. 375
Genæ alterius permanens rubor mensium index. 164
Genitalium mira conformatio lethargo defuncti. 279
Glandula pinealis sero infarcta. 10.App.
Gonorrhæa inveterata. 329
Gravedo Germanis Schlaff Kranckheit. 138
Graviditas dubia. 165
Gryllo-Centaurus. 81
Gulielminiana memoria. 225
Gutta Anglicæ. 404
Gutta serena ab enormi hæmorrhagia uteri. 428

H.

Hæmoptoici & Asthmatici anatome. 279

Hæmorrhagia Vteri veſicularis pag. 266
terminans Cephalalgiam. 351
dentis Spiritu Vini curata. 43
penis. 113
Hemiplexia cum aphonia &c. 5
Hepatis lobus ventriculum perforatum ingreſſus. 26
Hepatitide ſubito extincti anatome. 334
Hermaphroditus ſingularis. 305
Hernia inteſtinalis per ſympathiam curata. 10
Hippocratis empiria. 250.
τὸ Θεῖον in Febri maligna. 106
divinitas Medicorum. 178. ſeqq.
Purgatio moralis. 167
Aph. 44. Sect. 6, explicatus. 442
Hydrophobiæ a cauſa interna. 112
demortui anatome. 112
Hydrops aſcites ſine ſiti. 50
cerebri. 30
pectoris. 98
pericardii. 321
decocto ſaſſafras curatus. 54
Hydropicæ anatome. 273
Hydrope pericardii extincti anatome. 321 (445
Hypochondriaci affectus hiſtoria.
Hyſterica convulſio ſingularis. 162
Hyſterolithus. 221

I.

Jæniſiana memoria. 169. App.
Icterus corporis dimidii. 145
curatus. 342
Ilei duplex invaginatio. 1
Impregnatio uſui magneſiæ imputata. 159
Inſufflatio Boum ut pinguefiant. 441
Inſtrumentum pro Tonſillarum abſceſſibus aperiendis. 459
Inteſtini ilei duplex invaginatio. 1
recti defectus cum Ano clauſo. 463
Inverſio ſtomachi aliaque ſymptomata ab Atheromate renali. 2. ſeq.
Iſchuriæ cura per catheterem. 102
magiam. 292
Jungfern-Garn/quid ſit. 357

L.

Lachrymæ petrificatæ. 418
Lachrymarum vitrearum ruptura. 440
Lac ex mammis gravidæ largiter effluens. 297
Lactis cum ſanguine mixtura. 207
ſaccharum. 69
Lanionum morbi. 154
Lapides ex utero excreti in faſcinata. 157
Lapidoſus mictus & Vomitus. 13
Lapis figuratus ex cubo & octaëdro compoſitus. 15
de Goa. 86. App.
Araneorum. 97
Lemæ cryſtalliformes. 418
Lenticulæ paluſtris flos. 80
Lethalitas vulnerum ſubitanea ſine lethali Vulnere. 7
Lethargo defuncti mira genitalium conformatio. 279
Lien maximus. 23
cani exemtus. 55. 468
rotundus. 144
Lienis pars in corpore abrupta. 24

Lignum colubrinum. 73. App.
Lingua duplex. 96
Lippitudo cryſtallifera. 419
Lithotoca mulier pro faſcinata habita. 155
Locuſta quædam rara. 81
Locuſtarum anatome. 137. App.
Lovverianæ Experimenti Examen. 207
Ludum Helmontii Arcanum contra calculum. 17
Lue Venerea infecta mater fœtum edit puriſſimum. 39
Lupuli florum Eſſentiæ uſus in phrenitide. 200
Lutum fornacum aceto mixtum conducit in ſternutatione nimia. 104
Lycopodii ſulphur non eſt cauſa ſulphureæ pluviæ. 193
ſelago Plinii. 196
Lyſimachia lutea Virginiana ſponte apud nos naſcens. 281

M.

Magneſiæ imprægnatio imputata. 159
Ottmannianæ compoſitio. 402. 408. 410
Mania a vini abuſu. 225
Mantes Locuſta. 81
inſectum religioſum apud Turcas. 83
Medicus iſotheus. 178
Medicorum divinitas Hippocratica. 178
Melancholia a concubitu ſatanico. 294
Melancholici mira genitalium conformatio. 279
Meliceris e palpebra exſtirpata. 454
Memoria gravi occipitis percuſſione ſingulariter læſa. 133
Menſium ſignum ſingulare. 164.
fluxus ex pedibus. 241
Mercurii vitæ noxa. 429
Mictus lapidoſus. 13
Monſtri bicipitis humani anatome. 127. App.
vitulini anatome. 462
Morbi Lanionum. 154
Morbus Sapientiæ Plinii. 173
Mors critice dilata. 239
a fuſi intra anum intruſione. 84
Mungo radix & animalculum. 64

N.

App.
Nævi materni Hiſtoria. 304
Nicotiana conſervat in ſene Viſus aciem. 12
Planta albicans leti præſaga futuri. 480
Nux vomica off. 73. App.
Nummi Cratonis. 180. App.
Nummus Wedelii. 182. App.

O.

Oblivio, Hemiplexia & Aphonia a Cholera triduana. 5
Occipitis percuſſione Memoria læſa. 133
ex Octaedro & cubo compoſitus lapis figuratus. 15
Oculi canthi vulnuſculi ſymptomata. 130
Oris ſphacelo mortuæ Anatome. 274
Tortura ſpaſmodico-Apoplectica ſublata. 288
Ottmanniana Magneſia. 408

Ova-

Ovale foramen per XXII. Annos patens. pag.376
Ovarium muliebre an per veſiculares partum excretum. 64

P.

Palpebræ ſuperioris meliceris extirpata. 454
Panormitana Sicula Terra. 407
Paracenteſis abdominis ſæpius reiterata. 371
Pareiræ bravæ hiſtoria. 161. App.
Pareſis ex colica curata. 91
Parotides ex Pleuritide. 314
Partus cæſareus. 136
veſicularum mirus. 60
Pectoris Hydrops prædictus. 98
Penis Hæmorrhagia. 113
Pepo odoratus. 90 (tome. 321
Pericardii Hydrope extincti Anatome. 272.274
Peſtis cauſa & præſervatio. 89. App.
Phthiſis ab Atheromate renali. 2
Phthiſici anatome. 272.274
Pica alabaſtri. 126. infantis. 343
Pilorum totius corporis defluvium. 311
Pinguefactio boum per inſufflationem. 441
Piſcis in ranam transmutatio. 386
Plantæ novi orbis veteri inquilinæ factæ. 281
Plethora aſſerta. 211 (314
Pleuritis in parotides terminata.
Pleuritidi medetur ſtercus equinum. 426
Plinii morbus ſapientiæ. 173
Pluvia ſulphurea. 183
Ranarum an detur. 387
Bufonum. 393.
Podagram curat Balſ. Teſti. 78
Cort. Chin. Chin. 383
Polypi cordis. 269. 325.
aliorum morborum cauſæ. 325
Poteriani Auri præparatio. 113
Potus Vrinæ diverſus a ſanguinis Vrina. 53 (261
Procidentiæ Vteri cauſa ſingularis.
Pulmonis ſcirrho extincti anatome. 321. 275
Purgans ſal Anglicanum. 397
Purgatio moralis Hippocratis. 167
Purpura maligna. 59. 84. App.
Pyra florentia. 351

Q.

Quintana Ballonii. 138

R.

Ranarum in piſces metamorphoſis. 386
Pluviæ an dentur. 387 (268
Raucedini non ſemper noxia V. S.
Renes tres. 144
Rheumatismum curat Cort. Chin. Chinæ. 145
Roſæ duplices triplicesque. 351
Roſea thea. 473
Rubor genæ permanens menſes indicat. 164

S.

Sabinæ noxa. 230
Saccharum Lactis. 69
Sal Anglicanum purgans. 397. ſeq.
Salacitas magna puellæ cujusdam. 354
Salia media via humida parandi ratio. 430
Salivatione curata Epilepſia. 231
Saltamonte Locuſta. 81
Saltz-Mutter quid. 402
Sapientiæ morbus. 173. 3. App.
Sarcoceles exulceratæ cura. 219
Saſſafras Lign. decoctum curat Hydropem deſperatum. 54
Scabies ſpiritu vini curata. 43
Scabiei retropreſſæ noxa. 166
Schlaff-Kranckheit Germanis, Gravedo. 183
Schulziana memoria. 201. App.
Sciurus Caji. 66. App.

Scorpionis aculei foramen. pag. 58
Selago Plinii Lycopodium. 196
Seminis regressus ad massam sanguineam. 180
Serici crudi spiritus. 404
Serpentes Cobras de los capellos. 68. App.
eorum lapis. 69. App.
Serpentaria Asiatica. 79. App.
Sitis abest in hydrope. 50
Societatis Regiæ Parisinæ laus. 161. App.
In Somno conceptio. 108
Spasmus insolitus letalis. 205
Spicam frumenti referens Caryophyllus. 368
Stercus equinum specificum in Pleuritide. 426
Sternutatio creberrima leniissimo remedio cedens. 104
Stomachi inversio ab Atheromate letali. 2
Strabismus ex terrore. 349
Stranguria ileosa Hippocratis. 448
Sulphurea pluvia putatitia. 187
Suppressionis Urinæ causa Gonorrhæa inveterata. 319
Surditas a membrana tympani crassiori. 144
Surinamensis Ranæ in Piscem metamorphosis. 386
Suturæ rectæ defectus in Cranio. 144
Sympathetica curæ triplicis generis. 10
per Sympathiam ulcus cancrosum factum. 11

T.

Tabe consumpti & cachectici Anatome. 280
Taurinensium Aquarum simplicium examen. 413
Terra Sicula Panormitana. 407
Terror Strabismum producit. 349
Testium Tumoris solutio Tussim producit. 204
Tetano juncta arthritis convulsiva. 163
Thea Rosea. 473
Tigridis species felis magnitudinem non adæquans. 89
Tlolota lotl parva Tigris. 89
Tonsillarum descriptio. 456
abscessus cura & instrumentum. 459
Tortura oris spasmodico-Apoplectica sublata. 288
Trigemini communi chorio, sed distinctis amoiis inclus. 376
Tumor anevrismaticus curatione sanatus. 39
Tumores capitis in recens natis infantibus. 42
Tungrensium fons mineralis. 340
Tussis ex acrimonia ceruminis aurium. 203
diuturna ex testium tumore soluta. 204

V.

Variolis Clysmata blanda non nocent. 36
Variolosæ Climactericus funestus. 248
Venæsectionis iteratæ utilitas. 214
usus in raucedine. 268
Venenum Macassaricum. 39. App.
Venena hausta curata. 33
Venerea lues a matre in fœtum non propagata. 39
Ventriculi ulcere extincti Anatome. 275
Ventriculus in thoracem propulsus. 147
Vermes in columbis singulares. 467
equis singulares. 466
epidemici. 238
Bulimiæ periodicæ causa. 318
Verminosa Urina. 142
Vesicularum mirus partus. 60
Vesicularis Uteri Hæmorrhagia. 266
Villensis Aquæ Usus cum Cibo. 350
Visus acies in septuagenario usu fumi nicotianæ conservata. 12
Vituli bicipitis observationes. 462
Ulcerum cura per spiritum vini. 43
gravium in faucibus cura. 362
Ulcus cancrosum per sympathiam factum. 11
uteri. 447 ventriculi. 275
Vomitus biliosus in vetula. 47
lapidosus. 13
letalis ab hepate scirrhoso. 147
Vrachus usque ad umbilicum apertus. 468
Urina potus diversa ab urina sanguinis. 53
diminute fluens, alvo styptica. 53
verminosa. 142
Urinæ via ad vesicam. 14
Uteri procidentiæ causa singularis. 261
hæmorrhagia vesicularis. 266
Vulneris exilis in cantho oculi singularia symptomata. 130
Vulnus capitis letale ex chatta masticata explosa. 452
Vulnera per accidens letalia. 7

W.

Wald-Zug/ quid proprie denotet. 192

Z.

Zinci floribus æmula filamenta divæ Virginis. 360

FINIS.